1035

28
74

CURSUS PHILOSOPHICUS

ADMENTEM

B. ÆGIDII COL. ROM.

DOCTORIS FUNDATISSIMI, ORDINIS EREMITARUM S. P. N. AUGUSTINI PRIORIS Generalis, Archiepiscopi Bituric. Aquitaniæ Primatis & S. R. E. Cardinalis;

AUTHORE

R. P. M. F. JOANNE HIDALGO, ASTIGIENSI,

PROVINCIÆ BÆTICÆ EJUSDEM ORDINIS S. P. N. Augustini Ex-Diffinitore, in Sacra Theologia Doctore, atque in Universitate Hispalensi Vesp. Cath. Professore:

AB EADEM PROVINCIA IN LUCEM EDITUS,

ET DICATUS

Emmo. PRINCIPI INTER MAGNOS MAXIMO

D.D. GASPARI

DE MOLINA, ET OVIEDO,

D. JACOBI CUBENSIS PRIMUM, DEINDE BARCINONENSIS, & nunc Malacitanæ Ecclesiæ dignissimo Præsuli, Catholici Regis à Consilijs, in Supremo Castellæ Senatu Præsidi, & S. Cruciatæ Tribunalis Gubernatori, & Generali Commissario, ac demùm S. R. E. Presbytero Cardinali, ex eodem Eremitarum Ordine & Bæthica Provincia assumpto.

TOMUS IV.

COMPLECTENS SECUNDUM, ET TERTIUM Lib. de Anima, & Disput. in lib. Methaphisicæ.

CORDUBÆ: In Via Cistercienſi, per FERDINANDUM DE ROS. Anno Dñi. M. DCC. XXXIX.

CURSUS

THEOLOGICUS

DISPUTATIO

SECUNDA

DE

ANIMA

VEGETATIVA

DISPUTATIO SECUNDA DE ANIMA VEGETATIVA, ET SENSITIVA.

POstquam de Anima in communi determinatum est, sequitur de unaquaque in particulari agere, & quia de vegetativa ferè nihil controvertitur, simul de ipsa & sensitiva agitur: de substantia Animæ vegetativæ nulla est difficultas, quare hæc determinanda sunt in disp. ista, de potentijs Animæ vegetativæ, de Anima sensitiva, de potentijs ejus internis & externis, de actu sentiendi, de objecto & specie sensibili.

DISPUTATIO SECUNDA DE ANIMA VEGETATIVA,

DISPUTATIO
PHILOSOPHICA
INAUGURALIS
DE
ANIMA
BRUTORUM

QUÆSTIO PRIMA, DE POTENTIJS ANIMÆ VEGETATIVÆ.

ARTICULUS I.

Quid sit potentia nutritiva?

§. I.

Quibusdam præmissis probatur nostra sententia.

1 OPerationes Animæ vegetativæ tres assignat Phil. nutritionem, augmentationem, & generationem, his nempè adæquatur naturalis inclinatio viventis quatenus tale est: naturalis enim inclinatio uniuscujusque est, primò attingere perfectionem sibi debitam, secundò conservare se ipsum, tertiò conservare speciem suam quantum potest: propter primum habet motum augmentationis, quo usque ad quantitatem sibi connaturalem augescit: propter secundum habet motum nutritionis, quo viventis substantia conservatur; cùm enim vivere sit se movere, isto motu pars agit in partem, & quia in corporalibus passio magis facta abjicit à substantia, aliquid consumitur & perit, quod oportet nutritione restauraris propter tertium habet motum generationis; quia enim nunquam est adeo perfectum, quod nutritione restauratur, ac quod amissum est, individuum tandem deficit, quare oportet generatione multiplicari individua, in quibus alijs deficientibus conservetur species.

2 Dubitatur ergo, an pro triplici hoc actu ponenda sit triplex potentia, aut potius una sufficiat cum triplici exercitio,

tio? Quæ dubitatio, quo commodius explicetur, per nonnullas subdividitur, de quibus in sequétibus. Notandú autem, quòd loco motivum non dicit potentiam vegetativæ partis: quamvis enim, ut ipse ait Phil. & experientiâ notum est, vegetativo conveniat moveri secundum locum, quatenus crescit & novum acquirit, quia tamen locum non amittit, quem habebat, ille motus non est loci mutatio, neque proprié, sed quadam tantum acceptione motus localis, qui est de necessitate de loco ad locum: locomotivum ergo proprié dicit potentiam sensitivæ partis.

3 Dubitatur itaque in præsenti art. an potentia nutritiva sit ipse naturalis calor, aut primarum qualitatum temperamentum, an potius virtus aliqua superior? Prima sent. docet, potentiam nutritivam in ipso consistere naturali calore, seu qualitatum temperamento. Pro hac citat Rubio supresso nomine nonnullos RR. sequtos Com. in 4. Met. cap. 2. & Zimar. Theorem. 73. Communis tamen ferè omnium sent. docet differre potentiam nutritivam à calore naturali, & temperamento qualitatum. Pro hac multos de antiquis citat ipse Rub. ex Modernis tenét Averss. Lalem. Elisæus, & alij.

4 Dicendum ergo, quòd potentia nutritiva est virtus Animæ differens à naturali calore, & temperamento qualitatum Prob. 1. Potentia nutritiva est passio Animæ vegetativæ ab ipsa fluens, & in ipsa radicata; sed naturalis calor, aut qualitatum temperamentum nequit esse passio Animæ vegetativæ: ergo. Patet maj. quælibet enim naturalis potentia passio est illius, cujus est potentia, & eo difinitur qualitas ab intrinseco orta. Prob. min. Quod per se convenit mixto in eo quod tale est, non est passio Animæ; sed naturalis calor, aut temperamentum ex commixtione qualitatum, mixto convenit in eo quod tale est: ergo: Patet maj. quia passio convenit omni, & soli; ratio autem mixti superior est, & magis cõmunis, quam ratio animati, sive viventis. Patet item minor, quia elementares qualitates, & earum commixtio cuilibet mixto conveniunt,

5 Prob. 2. Id cujus actus non est vivere, nequit esse vitalis potentia; sed actus correspondens nativo calori aut temperamento qualitatum non est vivere: ergo talis calor, aut tale temperamentum non est vitalis potentia, & consequenter in illis non consistit potentia nutritiva, quæ proculdúbio vitalis est. Prob. min. Actus cor-

correspondens nativo calori aut temperamento qualitatum tantum est transmutare & disponere alimentum; sed hoc non est vitale exercitium: ergo. Maj. ex terminis patet, & min. ostenditur: quia vitale exercitiũ est se movere; at illa transmutatio non est se movere, sed aliud, nempe alimentum transmutare. Rursus vitale exercitium est actus inmanens; talis autem transmutatio est actio transiens: ergo.

Conf. & explicatur: ultra totam actionem nativi caloris exercetur nutritio: ergo potentia nutritiva, cujus exercitium est ipsa nutritio, non consistit in calore naturali. Prob. ant. Tota actio naturalis caloris est digerere alimentum, illud concoquere, & ad minimas partes reducere, quo possit in substantiam aliti transire; sed ultra hoc nutritio exercetur: ergo. Prob. min. quia nutritio consistit in illo motu, quo alimenti substantia per poros traducitur, & propriæ substantiæ viventis unitur, atque in illam convertitur, hoc enim est vivere, & se movere; sed hoc, ut patet, exercetur omnino post illam nativi caloris actionem: alia ergo virtus Animæ est, qua hic motus exercetur, & hæc est potentia nutritiva.

Patet ergo, quòd nativus calor est virtus instrumentaria, qua ipsa utitur potentia nutritiva, & quæ illi deservit, qua nempe materia nutritionis disponitur, & ad nutritionẽ aptatur, & idem de alijs dicendum, quæ ad nutritionem præcedunt, præsertim in animalibus; quia enim aliter se habet alimentitia substantia, quæ est nutrimentum, in purè vegetabilibus, ac in animalibus, diversa utrisque organa providit natura, & instrumentarias virtutes, quibus uterentur ad nutritionem: vegetativa, quia succo nutriuntur, qui per se sufficienter dispositus est, tantum indigent virtute quadam veluti tractiva, qua suctione ad se trahunt, & per poros suscipiunt alimentum, quod nutritiva virtus in propriam substantiam convertit; animalia verò, quia cibo utuntur, quem oportet præparari & disponi, diversa habent organa, quibus ad hoc utuntur, & de quibus latius agere ad Medicos potius, & Anathomicos spectat, nobis sufficit, quòd illa præparatio non est ipsa actio nutritionis, quare potentia nutritiva nequit in aliquo ex illis consistere, quibus illa præparatio fit.

§. II.

§. II.

Solvuntur argumenta.

6 ARg. 1. ex Phil. in hoc 2. de An. tex. 50. quo ita ait: *Omne autem alimentum neceſſarium eſt concoqui poſſe, operatur autem concoctionem calidum, unde omne animatum habet calorem.* Item de Senſ. & ſenſib. cap. 4. ait: *Calidum enim augmentat, & ſtruit nutrimentum*; patet autem, quòd augmentatio ipſa nutritione exercetur: ſi ergo calidum eſt quod augmentat, in ipſo conſiſtit virtus nutritiva, & etiam augmentativa. Rurſus: lib. 3. de Part. animal. cap. 6. ait: *Calor enim eſt quod vim obtinet augendi: ergo idem.*

7 Reſp. quod an potentia nutritiva à potentia augmétativa differat, in ſequenti art. determinabimus: ad præſens dicendum, quod Phil. in illis locis tantùm intendit calorem illi utrique actioni deſervire, & miniſterialitèr, atque inſtrumentariè, quatenus materiam diſponit, dici poteſt utrumque agere, ſcilicet quodammodo nutrit, & auget eo ſenſu quo ad nutritionem & augmentationem concurrit, & illas cauſat. In priori loco aperté patet quod loquitur de eo quod eſt materia nutritionis, & ait talé eſſe debere, quòd poſsit à vivente tranſmutari & concoqui, ſolùm enim hoc modo nutritur animal, & ideo natura omnibus dedit calorẽ, quo poſsint alimentum diſponere, ex hoc autem non ſequitur, quòd ipſe calor ſit nutritiva virtus, ſed tantúm aliquid ad nutritionem prærequiſitum. In alijs duobus locis id tantum intendit, quod jam diximus, calorem nempe vim habere augendi aliquam, ſeu quod ejus vis ad hoc confert, quatenus ſcilicet materiam præparat & aptat.

8 Arg. 2. Temperamentum ex mixtione primarum qualitatum ſufficiens diſpoſitio eſt ad formam mixti; ſed Anima vegetativa quædam forma mixti eſt: ergo ad illam ſufficit illud temperamentum. Tum autem: illa virtus, quæ ſufficit inducere diſpoſitiones ad aliquam formam, ſufficit inducere ipſam formam; ſed naturalis calor ſufficit inducere in materia nutrimenti diſpoſitiones ad Animam: ergo etiam eſt virtus ſufficiens inducere ipſam Animam, & conſequenter erit potentia nutritiva. Patet min. quia naturalis calor ſufficit diſponere nutrimentum, & in eo inducere illud temperamentum proprium viventis. Patet item conſeq. quia actio nutritiva hoc tantum facit, ponere ſubſtan-

tiam

tiam alimenti sub forma ipsius viventis.

9 Resp. dist. maj. sufficiens dispositio est ad formam mixti sub precisso conceptu talis, mitto maj. Sub determinato & magis speciali, neg. maj. & eodem sensu min. Anima enim determinat ad specialem genus rationem mixti, vi cujus determinationis speciales exigit dispositiones, quare sibi non sufficit illud temperamentum ex mixtione qualitatum. Deinde ad subsumptum arg. neg min. Tum quia licet naturalis calor sufficiat inducere illud temperamentum, quòd est viventis proprium, non autem hoc est sufficiens dispositio ad animam; tum deinde, quia actio nutritiva non est solum animam inducere in hac materia, alioqui non differret nutritio à generatione, sed est illam inducere hoc determinato & speciali modo. quod specialem virtutem requirit.

10 Arg. 3. Ad unam operationem sufficit cum virtute principalis causæ una potentia, seu virtus instrumentalis; sed nutritio una est operatio Animæ vegetativæ: ergo pro ea sufficit cum ipsa Anima unica virtus seu potentia ejus; at naturalis calor ad illam operationem proculdubio deservit Animę: superfluè ergo alia virtus additur, quæ sit potentia nutritiva. Conf. Ad omnia, quę præcedunt conversionem alimenti in propriam aliti substantiam sufficit naturalis calor: ergo etiam ad ipsam conversionem, & sic ipse est virtus nutritiva. Patet ant. quæ enim præcedunt sunt cōcoctio & dissipatio, qua alimentum ad minimas partes redigitur, quæ à calore naturali fiunt. Patet item conseq. quod enim sufficit ea omnia ponere, quæ præcedunt inductionem formæ, sufficit ipsam inducere formā.

11 Resp. Ad arg. neg. min. licet enim nutritio sumpta formaliter sit tantùm conversio alimenti in substantiam aliti, & sic unica actio, & motus vitalis, at verò realiter multas includit actiones, quibus materia convertenda aptatur & disponitur: aut ergo in sensu reali procedit arg. & tunc non una actio est nutritio, sed multas includit, & consequenter multas requirit virtutes, quæ ipsi nutritivæ famulantur; aut procedit in sensu formali, & tunc unica actio est nutritio, & unicus vitalis motus, qui consequenter ab una est vitali virtute, hæc autem non naturalis calor, sed potentia nutritiva est. Ad Conf. utrumque est falsum: ant. quidem, quia multa ad nutritionem prærequiruntur, quæ non præstat naturalis ca-

lor, ut oportet alimentum mādi, & dentibus teri, atque in ventriculo reponi, ubi incipit actio naturalis caloris: consl. item, quia qui sufficit omnia ponere, quæ ad formam prærequiruntur, sufficit ponere ipsam formam, eo quod positio formæ est mutatum esse terminus illius motus, quo ea ponuntur, quæ forma prærequirit, quare ad hoc non oportet novam poni virtutem; at in proposito illa conversio, in qua nutritio consistit, mutatio est alterius generis à tota actione qua alimentum disponitur, quare novam & diversam requirit virtutem.

ARTICVLVS II.

An potentia nutritiva differat ab augmentativa?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

12 PRima sent. docet, non differre hujusmodi potentias, sed unam esse animæ virtutem, quæ duos habet actus se consequentes & subordinatos, 1. nutritionem, & 2. augmentationem. Pro hac cit. Durand. Suar. Tolet. Conimb. Rub. & alij. Secunda eaque communior sent. docet, distingui realiter hujusmodi potentias. Hanc tenet D. Thom & sequuntur cōmuniter Thomistæ; ex alijs Alb. Mag. Jand. N. Venet. & cōmuniter RR. eandem cum B. D. tenent nostri Pro ejus explicatione N. B. D. in Quodl. 3. q. 12. qua de hoc ipso quærit, notat, quòd non est opus potentiæ augmentativæ convertere quantitatem alimēti in quantitatem ipsius aliti, in quo fortè æquivocationem patiuntur DD. contrariæ sent. sed augere & majorem facere ipsius viventis quātitatem. Quòd itaque quantitas alimenti transeat in viventis quantitatem duobus modis possumus imaginari: altero ita quòd ex hoc non fiat major quantitas vivētis; & hoc sensu non requirit virtutem distinctam à nutritiva, quia nutritivę terminus est quidem substantia in substantiam viventis convertenda, quia tamen non agit nisi in quantum tangit, non attingit substantiam sine quantitate, hoc sensu quantitatem alimenti in quantitatem viventis convertere est opus secundarium virtutis nutritivæ, non autem sic est actus potentiæ augmentativæ: alio modò potest accipi ille transitus ita quòd ex hoc major fiat quantitas viventis; & hoc sensu est actus potentiæ aug-

augmentativæ, & requirit virtutem distinctam à potentia nutritiva.

Quòd autem quantitatem in quantitatem transire non sit actus augmentativæ potentiæ, patet primò, quia non ex hoc augetur vivens: Secundò, quia ista conversio quandiù durat nutritio exercetur, non enim potentia nutritiva potest attingere substantiam sine quantitate at verò actus augmentationis solùm exercetur quandiù vivens non pervenit ad terminum magnitudinis sibi debitę, quo acquisito nutritur, non autem augetur, quare cessat actus augmẽtativæ virtutis. Notat Aversa, quòd in augmentatione non solùm major quantitas, sed major item substantia acquiritur, quare si attenditur potentia augmentativa prout ad majoritatem substantiæ terminatur, sic non differt à potentia nutritiva. Ratio hujus esse videtur, quia objectum nutritivæ substantiam, augmentativæ verò ponit quantitatem. Huic tamen doctrinæ non acquiescimus: licet enim objectum nutritivæ sit substãtia, quia substantia nutritur vivens, secundario tamen attingit quantitatem, quia non nisi quantum attingit: pariter é converso, augmentativæ objectum est quantitas, secundario tamen attingit substantiam, quia sine ea non potest attingere quantitatem: respicit ergo potentia augmentativa majoritatem, primò quidem in quantitate, quia majoritas per se convenit quantitati, & secundario in substantia, quia non augetur quantitas quin substantia augeatur, quocumque autem modo consideretur, virtus cui competit majus reddere, alia est à virtute, cui competit nutrire & conservare.

13 Dicendum: quòd realiter differt potentia nutritiva ab augmentativa. Hanc conclusionem statuit B. D. in cit. loc. Prob. 1. ex Phil. hic text. 47. quo ita habet: *Atqui diversa est alimenti ratio ut nutrit & auget: nam, ut ipsum alimentum quantum est quoddã auget; ut est hoc aliquid & substantia, nutrit: conservat enim substantiam, & est eo usque profectio, quousque nutritur.* Quibus verbis non solùm conclusionem habet, sed rationem adducit, quæ talis est: Sic differunt potentiæ, sicut objecta, actus, & finis, quem intendit utraque; sed diversa hæc sunt in nutritiva & augmentativa: ergo. Min. probat: quia objectum nutritivæ est substantia nutrimenti; augmentativæ verò quãtitas; actus nutritivæ nutrire est & conservare, augmẽtativæ verò augere & majus reddere; finis, quem intendit nutri-

tiva est conservatio viventis, quare tota vita durat actus ejus; finis, quem intendit augmentativa est pervenire ad gradum magnitudinis sibi debitæ, quare eo adepto, cessat actus ejus.

14 Prob. 2. evertendo motivum, quo nititur contraria sent. Quoties duplex actus eidem potentiæ respondet tanquam alter alteri subordinatus, una est ratio especificativa illius potentiæ, & unus finis ad quem uterque actus ordinatur; sed actus augmentationis & nutritionis neque unus est finis, neque una potest ratio assignari: non ergo ejusdem potentiæ actus sunt subordinati, sed diversas arguunt. Maj. ex terminis nota est; & poterit inductione in singulis patere: quia enim actus sunt ejusdem potentiæ apprehensivæ assensus & dissensus, eadem est utriusque ratio, nempé verum; similiter amor & odium respectu potentiæ appetitivæ, judicium & discursus respectu intellectus, & ita in reliquis. Min. etiam ostenditur de facili: ratio enim nutritivę est substantia, & finis ejus conservatio viventis; ratio verò objectiva agmentativę est quantitas, sivè majoritas, & finis ejus adeptio magnitudinis sibi convenientis, qua adepta, cessat actus ejus.

Conf. Conversio quantitatis elementi in quantitatem viventis quatenus est sequela nutritionis & ad ipsam secundario pertinet, non est actus augmentationis; sed augetur proculdubio vivens: ergo potentia, cujus actus est augmentatio, alia est à potentia nutritiva. Prob. maj. primò, quia illa conversio, ut est sequela nutritionis, in omni actu nutritionis reperitur, in nullo enim potest virtus nutritiva substantiam sine quantitate attingere; sed actus augmentationis non ita reperitur in omni nutritione, non enim augescit vivens quandiù nutritur: ergo. Secundò. Illa conversio quantitatis in quantitatem ut est sequela nutritionis non reddit majus ipsum vivens, alioqui crescceret quandiú vivit; sed ut est actus augmentationis reddit majus: ergo.

§. II.

Solvuntur argumenta.

15 ARg. 1. ex Phil. in hoc 2. de An. text. 34. ubi sit habet: *Vegetativa enim anima & alija est prima, & maximè communis potentia est animæ, cujus actus sunt generare, & alimento uti.* Quibus verbis aperté Phil. ponit unam esse potentiam Animæ

nimæ vegetativæ, cujus diversi sunt actus, imò non distinguit actus nutritionis & aumẽtationis, quamvis distinctum assignet actum generationis: sentit ergo non duas esse potentias nutritivam & augmentativam, sed unicam, cui competit alimento uti sivé ad conservandum, sivè ad augendum vivens.

16 Resp. quòd in aliqua fortè antiquiori versione text. illis verbis habetur, quo adducunt DD. contrariæ sent. in versione Joan. Argyrop. quæ nunc habetur castigatior, ita habet text. *Nutritiva namque anima & cæteris inest, & prima est & maximè communis Animæ vis, & potentia, qua cuncta viventia vivunt, cujus sunt operationes officiavè generare nutrimentoque uti.* Quibus verbis de potentia nutritiva sermo est, & ex præcedentibus patet quòd iste est sensus genuinus; statuitur enim præc. tex. quòd qui velit de potentijs determinare, debet prius ipsos earum actus considerare, quia ex actibus innotescunt potentiæ, & his subjungit tex. 34. adducto, quòd primò & maximè cómunis potentia est nutritiva, quę nempe omnibus convenit tam sensitivis, quàm intellectualibus; ex hoc autem, ut patet, nihil ad propositum: quod autem hujus actum dicit generare, ad seq. pertinet art. interim dicitur, quòd radicaliter & prima ad ipsam pertinet nutritivam generare, quatenus ipsi convenit semen elaborare, in quo vis generativa residet.

17 Arg. 2. ex eodem Phil. ibid. tex. 42. quo ita ait: *quoniam autem eadem potentia est animæ vegetativa & generativa, de alimento necessarium est determinare primum, separatur enim ab alijs potentijs opere hoc.* Quo tex. nihil posse clarius adduci ait Rub. quare subjungit DD. nostræ sent. quasdam quęsijsse futiles glossas hujus textus. Sed ego quidem in ipsis, ut jacent verbis, sine ulla glossa observo, quòd ait Phil. hanc potentiam, de qua loquitur, quæcumque illa sit, à reliquis distingui hoc opere; patet autem quòd de Anima vegetativa & potentijs ejus loquitur: si ergo unam dicit potentiam augmentativam & nutritivam, à quibus alijs ea distinguitur? Certè non poterit assignari multiplex alia potentia in anima vegetativa á quibus per hoc opus, quòd est uti nutrimento, illa potentia differat: si ergo unam ait Phil. quæ nutrimento utitur, ab alijs duabus opere hoc differre, patet quod tres ponit potentias nutritivam, cujus est illud opus & de qua loquitur, & alias

alias duas, nempè augmentativam & generativam, à quibus illa differt, & quòd iſte ſit ſenſus ejus patet ex ipſo tex. in eadem citata verſione, in qua ſic habet: *Cùm autem eadem vis Animæ ſit nutriendi, & generandi, primum de alimento determinare neceſſe eſt, hæc enim à cæteris potentijs hoc opere atq; munere ſejungitur.* Jam autem priùs diximus quo ſenſu eadem vis dicitur nutriendi & generandi.

18 Arg. 3. Potentiæ non multiplicantur niſi quando una non ſufficit pro diverſis actibus; ſed pro actibus nutritionis & augmentationis ſufficit una virtus: ergo. Patet maj. quia fruſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora. Prob. min. Converſionem ſubſtantiæ alimenti in ſubſtantiam aliti naturali neceſsitate ſequitur converſio quantitatis in quantitatem, & eodem modo ea fit, nempe alimenti eadem tranſmutatione, & abſque nova difficultate; ſed illud primũ eſt actus nutritionis, hoc verò augmentationis: ergo. Patet maj. quantum ad primũ quia quantitas de neceſsitate comitatur materialem ſubſtantiam, cum ſit ipſi coæva; quantum ad aliud item, quia quando unum naturali neceſsitate ad alterum conſequitur, non addit novam dfficultatem. Patet item min. quia nutritio habet pro objecto ſubſtantiam, quæ viventis ſubſtantia conſervatur; augmentatio verò quantitatem, qua fit majus.

19 Hoc unicum eſt contrariæ ſent. fundamentum via rationis. Reſp. neg. min. Ad prob. ejus diſt. maj. naturali neceſsitate ſequitur converſio quantitatis in majorem quantitatem, neg. maj. In quantitatem precisè ut ea comitatur ſubſtantiam, conc. maj. ſed hoc ſenſu neg. min. quo patet ad ejus prob. Itaque nutritio intendit conſervationem viventis, quare virtus ejus ad hoc tantum ſe extendit ut de alimento accipiat tantundem ac vitali actione perit: ſivè ergo ſubſtantiæ in ſubſtantiam, ſivè quantitatis in quantitatem accipiatur converſio, virtus cui convenit tantundem accipere, ac perit, nutritiva eſt, & non amplius habet quam hoc; at verò augmentatio non præcisè conſervare intendit, ſed augere uſque ad debitam viventi magnitudinem, quare actus ejus non id tantum accipit de alimento, quod perit, hoc enim tantum conſervaretur vivens, non verò augeretur, ſed accipit & convertit amplius, per ſe primo de quantitate, & ſecundario de ſubſtantia; & quia ſic accipere & convertere quantitatem, aliam requirit virtutem

rem, augmentativa alia est à nutritiva.

ARTICVLVS III.

De potentia generativa, & actu generationis.

§. I.

Quæ tam dubitantur de potentia generativa.

20 QUæ de hoc utroque dubitantur, aut leviorem habent controversiam, aut non plenè nostri sunt instituti, quare breviter singula percurremus. Dub. 1. circa potentiam generativã, quid ea sit aut in quo consistat? Docet communior sent. RR. consistere potentiam generativam in virtute elaborativa seminis. Motivum unicum est, quod potentia generativa virtus est Animæ: at verò virtus quælibet in semine residens, à qua immediatè generatio perficitur, dici non potest virtus Animæ, cum non sit potentia vitalis, neque ejus exercitium sit vita; semen enim à generante decisum, quomodo generationem operatur, non vivit: non ergo potentia generativa est, sed instrumentum ejus.

21 Dicendum nihilominus quòd potentia generativa non illa virtus est elaborativa seminis, sed virtus in semine residens. Prob. In illo consistit potentia generativa, cujus actus & exercitium est generatio ipsa; sed virtus in semine residens talis est: ergo in hac dici debet potentia generativa consistere, illa autem alia virtus elaborativa seminis non nisi remotè & mediatè dici potest generativa, & potius est potentiæ generativę ministerialis. Patet maj. quia ex actu ipso, ad quem instituitur, dignoscitur potentia. Patet item min. quia virtus in semine residens habet materiam fœtus alterare, organizare, & ad formam viventis plenè disponere, quod est generationem perficere.

Conf. à pari: non enim consistit potentia nutritiva in eo, quo aptatur & pręparatur alimentum, & eo diximus non consistere in naturali calore, sed in illa virtute, qua nutritio ipsa perficitur, & conversio alimenti in substãtiam alitĩ: ergo pariter potẽtia generativa non consistit in virtute præcedente, qua semen elaboratur, sed in virtute, qua ipsa fit generatio.

22 Nec motivum in cõtrarium, quid urget: primo quia semen non operatur gene-

ra-

rationem virtutis propria, sed virtute generantis; debet autem vivere & se movere ipsum generans, seu principale agens: quid autem sit virtute generantis operari in Phis. explicuimus. Secundò. Vivere seu vitale esse in organo seu potentia, qua vivens operatur, non est se movere, seu quòd ipsa potentia habeat movere & moveri; nō enim ipsa potentia vivit, sed anima per potentias suas: ut ergo semen sit vitalis virtus non oportet quòd ipsum se moveat, imò hoc esse impossibile jam in præcedentibus sæpè diximus, sed tantùm quòd sit quo anima vitaliter operatur, & vitale opus exequitur; jam autem nullus dubitat, quin virtus in semine residens id est quo anima vitalissimum, & naturalissimum opus exequitur, nempè generationem: debet ergo illa virtus dici vitalis potentia.

23 Dub. 2. Quid illud est, quòd in semine dicitur virtus generativa, an nempè vitalis calor, vel aliquid aliud? Id quidem determinare nostrū non est, & ad Medicos potiùs spectat, quàm Phis. In calore quidem nativo illam virtutem, consistere, aliqui ex eo deducunt Medici, quòd per hoc solum quo calor ejus remittitur, ipsum fit inutile ad generationem; hoc autem ex eo ostendunt, quia ex hoc solùm, quòd nimis fit longum instrumentum á natura destinatum induci sterilitatem, habetur pro comperto; illa autem longitudo hoc tantum potest causare, quòd nativus calor seminis remittatur, non enim aliquid potest ex hoc solo capite dici evaporari. Hęc ratio probat quidem illo calore indigere virtutem seminis, non autem in ipso consistere; sufficit enim, quòd remisso calore indisponatur ipsa virtus, quo non possit opus suum exequi.

Præterea: In vegetabilibus, & in multis etiam sensitivis, ut illa sunt, quæ non vivipara, sed ovipara dicuntur, illa virtus prolifica non ita ab isto calore dependet, ova enim calore omninò amisso illam virtutem retinent. Galenus Medicorum princeps de form. fęt. cap. 6. impossibile reputat id assignare, in quo virtus prolifica seminis, seu potentia generativa consistat; & Com. quid Divinum dicit; quamvis in hoc deficiat, quòd putat virtutem illam esse assistentē semini, sicut motrix intelligentia Cœlo; naturalis enim debet esse, & veluti entitativa ipsi semini, quare nequit concipi ut purè assistens & affixa ut motor.

Compendio quodam in ipso semine residere vivens, peritissimi quidam philosophantur

tur moderni,& microscopij ope in grano seminis cujuslibet vegetabilis, ipsa detegi vegetabilia,quæ ex eo possunt procreari, quare compendia hæc seminalia dicunt generativam virtutem : Illam quidem de compendijs seminalibus sent. ad præsens pro dignitate expendere non vacat , ad præsentem difficultatem ea certe non sufficit: 1. in semine vegetabilium illud compendium erit ad summum transmutabilis materia ad viventis formam perducenda ; relinquitur autem in cognita virtus activè transmutativa, & hæc est de qua quærimus, quæque absolutè dicitur generativa : neque enim dici potest quòd à calore Solis , aut alterius naturalis agentis extrinseci activé transmutatur ; quamvis enim hoc concurrat , & de necessitate requiratur, non tamen ipsum agens dici potest , quòd sit generans vivens vegetabile, sed tantùm disponens & coadjuvans : quandoquidem enim vivens est, quod generatur, vitalis debet esse ipsa generatio, quare debet esse se movere , & in ipso semine debet poni virtus activa movens & transmutans , & de hac quærimus.

Præterea : generans in talibus debet esse vivens suę speciei , est enim talis generatio, origo viventis à vivente , & virtus activè transmutans agit in virtute principalis generantis , cujus est virtus : quamvis ergo exterius agens aliquid operetur disponendo virtutem ut agat , requiritur tamen in ipso semine virtus agens de qua quęrimus quid est , aut in quo consistit , quare dato illo sensu de compendijs seminalibus relinquitur præsens difficultas. Insuper : aliter debere discurri de semine animalium, ac de semine vegetabilium patebit seq. §. nempe in semine vegetabilium est proculdubio materia viventis generandi , quare ibi locum poterit habere illa positio de compendijs seminalibus, atverò in animalibus materiam fœtus non esse ipsum semen, saltim in viviparis ibi dicemus, quare in ipso semine quæri debet quid est virtus activé transmutativa materiæ.

24 Nobis in re prorsus occulta videtur quidē quod per recursum ad rationes seminales solùm poterit aliqua lux haberi ; cùm autem rationes seminales in sensu , quem intendit S. P. & latè in Phis. dedimus, non sint aliqua virtus , sed virtutem supponant , & sint tantùm quędam ejus habilitas, qua à Deo ad hoc opus destinata est hæc virtus, ut debité præsente proprio passibili sequatur transmutatio , adhuc difficultas relinquitur , quæ est illa virtus cui hęc habilitas , seu ratio se-

minalis à Deo indita est ? Ad quam hoc videtur verosimilius, quòd sicut agens, cujus illa est virtus, est quidem elementare, quòd tamen peculiarem addit differentiam, qua alterius est generis altioris & perfectioris, nempe vivens ita virtute quidem elementari utitur & naturali transmutatione per calidum & humidum, non autem in hoc consistit virtus propria ejus, qua tale est, sed in virtute activa altiori & alterius generis, quę tamen nobis latet, & sicut semen aliquid est ipsius viventis ab eo decisum, aliquam ejus habet virtutem, quam solum à posteriori possumus cognoscere ex effectu suo, & hanc dicimus potentiam generativam.

25 Dub. 3. An potentia generativa differat à nutritiva ? Hęc quidem ex premissis de facili solvitur : multi negant, qui nempe ponunt generativam in ipsa consistere virtute seminis elaborativa ; patet enim quòd semen elaborare, ad ipsam pertinet nutritivam virtutem. Quandoquidem, autem semen elaborare ministerialiter & prævię ad generationem se habet, quæ opus est aliud vel ex hoc ipso colligitur, quòd virtus generativa alia est à nutritiva, & quòd hæc ad illam ordinatur, & quodammodo illius est organica & ministerialis.

§. II.

Expediuntur qùæ ad ipsum pertinent actum generationis.

26 DE hoc latè & ut asolet fundamentaliter agit B. D. in speciali trac. quem inscripsit de format. corp. human. ex quo multa habet, tum in 2. sent. agens de gener. qualiter exerceretur in statu inocentiæ, tum in 3. agens de conceptu & partu B. V. tum in 4. agens de Sac. Matrim. ex ijs aliqua ad propositum accipiemus, qui latiorem desiderat tractationem, ipsum adeat. Dub. 1. Quid ipsa sit generatio viventis ? Nullibi de hoc determinat Phil. communiter autem definitur : *Origo viventis à vivente in similitudinem naturæ à principio conjuncto.* Quamvis enim generatio communitèr dicta sit transitus ad formã quia tamen, ut ex B. D. in Quodl. 3. q. 8. Jam supra notabimus, quo aliquid magis est perfectum plura ad ejus generationem prærequirit natura, ut in aliquibus non determinat specialem materiam, sed in qualibet potest forma induci ; in alijs determinat materiam, non verò agens ; in alijs determinat agens, non verò locum ; in

aliis

alijs materiã, determinat, & agẽs, & locum etiam ac modum, quo debet fieri generatio: cum vivens perfectiſsimum ſit genus entium, magis debet determinatè explicari ejus generatio.

27 Dicitur ergo 1. *origo* quo non ſignificatur, ut multi volunt, influentia effectiva generantis: tum quia in ſent. Phil. quam tenet B. D. & communiter RR. Philoſophi, Mater non concurrit activè ad generationem; & tamen verè generat: tum deinde, quia in Divinis ſalvatur veré conceptus generationis; ibi autem origo viventis à virtute non poteſt ſignificare influentiam effectivam: ſolùm ergo illa particula ſignificat, quòd genitum procedat à vivente tanquam ab origine, & principio ſui eſſe. Quod deinde additur *viventis à vivente* determinat ſpeciale principium quod iſta generatio requirit, quòd nempe agens principale debet eſſe vivens ejuſdem ſpeciei ac eſt genitum, quare diximus ſupra, quòd in generatione vegetabilium agens principale tranſmutans materiam nequit eſſe Sol, aut Cęli influentia, quamvis iſta concurrant, ſed virtus viventis in ipſo reſidens ſemine.

Dicitur inſuper *in ſimilitudinem naturæ*, quo denotatur ſpecialis modus, quem iſta generatio requirit, neque enim ſufficit, quòd vivens à vivente procedat, ſiquidem vermes ab ipſo procedunt vivente, in quo generantur, non tamen ab ipſo generari dicuntur, quare debet vivens à vivente procedere ex intentione & conatu communicandi naturam ſuam. Quod tandem dicitur *à principio conjuncto*, cætera determinat, quæ ad iſtam generationem requiruntur, ut quod ſit per ſemen ad hoc à natura deſtinatum, in tali loco determinato, ut in matrice fœmellæ, in quibus talem locum determinat natura. Quæ ergo viventia dicuntur ex putri materia generari, non eo talia dicuntur, aut quia non ex proprio ſemine, aut quia non à determinata activa virtute, ſed quia minus perfecta cum ſint, non determinant ſibi talem ſpecialem modum, aut locum, ſed à cęli influentia ſufficienter adjuvatur & diſponitur propria virtus activa, ut poſsit debitam materiam tranſmutare, quo illa videtur putreſcere, & ſola putrefactione tranſmutari ad formam.

28 Dub. 2. Quænam ſit materia generationis viventium? N. Manſ. ponit hujuſmodi materiam eſſe alimentum, & ait eſſe Phil. & communem ſent. Sed alio ſenſu & valdè remotè de materia procedit illa ſent. Docet quidem Phil. utramque potentiam, nempe nutritivam

& generativam circa alimentum versari, scilicet nutritiva circa alimentum indispositum, disponendo illud & transmutando in propriam substantiam; generativa verò circa alimentum dispositum & jam transmutatum in propriam viventis substantiam, puta circa sanguinem, quem esse alimentum proximũ jam supra diximus: loquitur ergo illa sent. de materia circa quam versatur potentia generativa; præsens autem dubitatio quærit de materia proxima generationis, seu ex qua formatur corpus viventis.

29 De duobus autem dubitatur, de semine & sanguine Matris, an nempe semen sit materia ex qua fœtus formatur, vel potius sanguis Matris, aut utriusque commixtio? De omnibus tribus sent. sunt. Prima quidem ponit, quòd semen viri est fœtus materia, & hæc dicitur esse communior Medicorũ sent. Secunda ponit, quod semen Matris. Tertia, quòd utriusque commixtio. Quarta demum, quæ est Phil. sent. ponit, quòd materia fœtus est sanguis Matris. Prima sent. ex hoc rejicitur à Phil. quia debet assignari activa virtus, à qua materia transmutetur & organizetur; hæc autem residet in semine viri: cúm ergo non possint coincidere efficiens & materia, neque idem in se ipsum effectivam habeat influentiam, oportet, quòd transmutabilis materia alia sit à semine viri. In vegetabilium quidem semine utrumque invenitur, & virtus generantis activè transmutans, & materia viventis generandi; est autem quodlibet vegetabilium semen heterogeneum, & in diversa ejus parte residet virtus activa distincta à tota materia transmutabili, & ideo observatur, quòd formicæ, cum grana in foveis reponunt, corrodunt cuspidem ne nascantur, quia nempé in cuspide virtus activa residet; semen autem animalium homogeneum est, nec potest in alia parte activam virtutem habere, in reliquo materiam fœtus, cum omnes partes sint ejusdem rationis.

30 Facilius rejicitur 2. sent. primò quia in animalibus semé fœminæ non est propriè tale, sed quædam humiditas loco seminis, quæ generationi inutilis est, & solúm deservit ministerialiter & præcisé ad disponendum & præparandum generationis locum. Secundò, quia sine semine Matris generationem esse posse, fere omnes supponunt. Beatis. V. sine emissione seminis concepit naturalissimè quidem quantum est ex parte sua, & mulieres multæ sine seminis emissione concepisse se testatę sunt, ut à peritissimo Medico accepisse se ait B. D. &

ideò

ideò Theologi in Moralibus docent communiter, quod femina quę in actu conjugali non seminavit simul cum viro, non tenetur se provocare ad seminandum, quia nempe seminatio ejus non est necessaria simpliciter ad generationem: quandoquidem ergo id quòd est materia fœtus de necessitate requiritur, tale esse non potest semen Matris.

31 De 3. sent. similitèr dicendum sivè commixtio ponatur utriusque seminis, sivè ut communius ponunt Medici ex semine viri & sanguine Matris. Primò quidem, quia semen viri cum sit homogeneum & ejusdem rationis in toto & in qualibet parte nequit esse simul virtus activa, & materia fœtus etiam partialis. Secundò, quia in formatione corporis Xpti. D. assistentia Sp. S. non supplevit materiam, sed virtutem activâ tantum; si autem materia fœtus per se & naturaliter est utriusque commixtio, debuit semen Patris supplere: requiritur ergo illa commixtio, non autem quia utrumque sit materia, sed quo facilius virtus activa virilis seminis possit materiam fœtus transmutare, alterare, & organizare.

32 Relinquitur itaque sent. Phil. quòd materia fœtus est sanguis Matris. Hanc communiter tenent Peripatetici, & conformior est, tum rationi quia eadem est materia ex qua formatur fœtus, & ex qua nutritur & augescit quandiú in ventre Matris conservatur; & materia nutritionis & augmenti est proculdubio Matris sanguis, eo enim prægnantibus deficiunt regulariter fœminea: tum etiam conformior est his, quę de formatione corporis Xpti. D. catholicé tenemus: fuit enim Xptus. D. homo univocé cum reliquis, & proinde ex eadem materia formatum corpus ejus; at formatum est ex purissimo sanguine B. Virg. ergo.

33 Neque quid urget quod communiter objicitur: primò quod sanguis Matris, qui dicitur menstruus, impurus est; materia autem fœtus debet esse pura & valdé elaborata, principalissimo nempe naturæ operi destinata. Secundò. Si materia fœtus tum formandi, tum in utero alendi esset sanguis Matris de necessitate gerentibus uterum deficerent menstruationes; sępe autem contingit oppositum. Hæc facile est solvere: ad 1. dicitur quòd sanguis qui regulari menstruatione emittitur, est impurus & fere omnino excrementitius, & eo emittitur, quod non tollit quin de puriori & magis elaborato fœtus formetur: non ergo qui emittitur impurus, materia est fœtus, sed alter purus.

Ad

Ad 2. quia in multis valdè abundat sanguis, aliquid superfluit, & his uterum gerentibus non deficiunt menstruationes, quia sanguinis copiam natura ministrat, quæ fœtui sufficiat, & quæ superfluat; at verò in his etiam experitur, quòd etiâsi fluant menstrua gravidis & lactentibus, non tamen copiosè adeo, acquando non gerunt uterum: signum ergo id est quod aliquid alendo fœtui impenditur.

34 Dub. 3. An Mater activè concurrat ad generationem? De hoc Theologi quærunt in 3. circa generationem Xpti. D. Scotus dist. 3. q. vn. affirmat; quam sent. cum Galen. communiter tenent Medici. D. Thom. 3. p. q. 32. art. 4. negat & hæc est sent. Phil. quam tenet item B. D. tum cit. tract. de form. corp. hum. tum in 3. dist. 4. sequitur Argent. ibid. q. 1. art. 2. & comuniter nostri. Not. quòd generatio aut potest sumi realiter pro omni operatione, quę ad hoc concurrit ut producatur simile in natura; aut formaliter pro ipsa materiæ organizatione & transmutatione ad formam; priori modò multas includit operationes, nempe materiam præparare, illam emittere invasà natura destinatum generationi, & ibi positam organizare, & planè ad susceptionem animę disponere: hoc sensu non dubitatur, sed an in ipso actu organizationis materię & plenæ dispositionis ad animam se habeat mater passivè, vel aliquam habeat activam influentiam?

35 Dicendum, quòd Mater passivé se habet ad generationem. Hanc conclusionem probat B. D. in 3. dist. 3. q. 2. art. 2. ex Phil. lib. 15. de Animal. qui est lib. 2. de gen. animal. cap. 1. ubi sub medium ita habet: *Melius enim magisque Divinum est principium motûs, quod per generationem mas obtinet, fœmina enim materia est.* Ibi explicandum assumit, unde est necessitas utriusque sexus ad generationem in animalibus? Rationem assignat, quia oportet alterum esse activum principium, alterum vero passivum, sivé alterum quod se habeat tanquam unde motus, alterum verè quòd se habeat tanquam materia; subjungit verò quòd præstantius est principium quòd mas habet, quia fœmina se habet tanquam materia, nempè passivè. Alia ibi adducit ex Phil. B. D. quæ mitto quia hanc esse Phil. sent. nullus dubitat.

36 Prob. 2. ratione Theologica B. Virgo Maria fuit naturalissimé Mater Xpi. D. & eodem modo, ac quævis alia Mater; sed B. Virgo non habuit concursum activum: ergo nulla Mater illum habet. Maj. om-

omnes SS. supponunt, & ipse etiam Scotus, qui in præsenti concluſ. tenet contrariam sent. Prob. min. 1. quia activa virtus à contrarijs ponitur in semine Matris; at B. Virgo semen non miniſtravit: ergo. Min. eo supponitur, quia semen non miniſtratur sine delectatione, quam B. Virgo non habuit. Secundò eandem principalem min. prob. B. D. quia formatio corporis Xpi. D. fuit in instanti; sed concursus activus B. Virg. non potuit esse in instanti: ergo illum non habuit. Patet hæc min. quia creata virtus, qualis erat B. Virginis, non operatur in instanti, cum ejus influentia sit actio transiens & successiva, quæ tempore mensuratur.

37 Ad hanc rationem 1. solutio est, quam ex D. Bonav. refert Scot. quod nempe B. Virgo non habuit activum concursum; nihilominus Mater activè concurrit: quia B. Virgo licet habuerit activam virtutem, ejus tamen exercitium præventum est virtute Sp. S. qua factum est ut non seminaret, in semine enim virtus activa residet. Hanc solut. ipse Scotus, & cæteri rejiciunt: quia tunc B. Virgo non esset Mater Xpi D. naturaliter sicut aliæ Matres quantum est ex parte sua, sed miraculo, quo nempe fieret, ut illum concursum non poneret, quem aliæ Matres ponunt.

Secunda solutio est, quã Scotus habet, quòd nempe B. Virgo activum concursum habuit. Ad rationem in contrarium resp. quòd potuit cooperatio B. Virg. fuisse in instanti: quia aliqua media de necessitate requirũtur ab inferiori virtute, quę à superiori non requirũtur quare successio, quæ agenti inferiori requiritur in operatione sua, non requiritur à superiori, & videmus quòd agens Divinum in instanti ponit effectum, quem agens creatum non nisi successivè: tum autem, Sp. S. & B. Virgo sunt agens perfectius quam sint Pater & Mater in quavis alia generatione: ergo quamvis aliarum Matrum influentia non nisi successivè ponatur, illam tamen potuit B. Virgo ponere in instanti.

Sed hęc etiam solutio rejicitur: primò, quia id, in quo dicitur virtus activa residere, nempè semen, non habuit B. Virgo: ergo nec activam virtutem, & mirus influentiam, quare si eodem modo genuit ac aliæ Matres, nulla habet illum activum concursum. Secundò. Motus in instanti omninò repugnat; sed influentia activa B. Virg debuit esse motus, nempe influentia effectiva corporalis agentis motus est: ergo. Tertiò. Concursus B. Virginis ex parte sua naturalis fuit, & ejusdem ordi-

dinis ac rationis, ac concursus cujuslibet alterius Matris, miraculum enim, & virtus Sp. S. solùm fuit ad supplendum viri concursum: si ergo cujuslibet Matris influëtia activa requirit successionem & motum, idem requirebat influentia B. Virginis.

38 Prob. 3. conclusio ratione philosophica, qua etiã utitur D. Thom. Natura nihil facit frustra; sed frustra esset sexuum diversitas si Mater habet virtutem activé influendi: ergo. Patet min. quia tum ipsa Mater se sola habet principium activũ & passivum, ipsa enim materiam ministrat: si ergo ipsa etiam habet virtutem activam à qua illa materia transmutetur, totum ea sola haberet, quod ad generationem requiritur. Nec refert dicere, quòd Mater habet quidem virtutem activam, sed insuficientem, quare opus est concursu viri. Contra est: Primò, quòd hoc est quòd arguitur, nempe quòd frustra natura dedisset Matri virtutem activam, si dedisset insufficientem. Præterea: non alio insufficiens dicetur virtus activa Matris, nisi quia alia indiget activa virtute viri; sed hoc est quod arguitur, nempe quod si activam habet Mater, alia non indiget: idem ergo assumit illa solutio quòd est argumentum.

39 Arguit. 1. Scot. Mas & fœmina habent formas ejusdem speciei; sed ad formas ejusdem speciei consequuntur potentiæ ejusdem rationis: cum ergo activum & passivum sint diversę rationis, non ponit potentia unius activa, alterius verò passiva esse. Resp. dist. min. consequuntur potentiæ ejusdem rationis quidditativæ conc. min. non solùm quidditativé sed etiam accidentaliter, neg. min. Itaque quantum ad quidditatem ejusdem rationis est utriusque potentia, & eundem habet actum, ac objectum, nempe utraque est generativa hujus animalis; quòd autem alia sit activa, alia passiva, differentiam accidentalem facit, sicut ipsa sexuum diversitas in animalibus, quorum sunt illæ potentiæ.

40 Arg. 2. Pater diligit filium, eo quòd est opus ejus, ex Phil. in Ethic. sed Mater plerumque plus diligit: ergo etiam opus ejus est filius, & consequenter non se habet passivè. Resp. neg. hoc sub illatum: utique opus Matris est filius, & quodammodo magis quam Patris, quia materiam ministrat, ex qua formatur, ipsum in utero gestat, & proprio alit sanguine, hæc sufficiunt ut filius sit opus ejus, non autem ut ipsa dicatur activé operari in organizatione.

Arg.

41 Arg. 3. Aliquando filius magis Matri, quam Patri assimilatur: ergo in Matre est virtus activa. Patet consèq. quia agens intendit assimilare sibi effectum. Instatur: aliquando enim neutri assimilatur: ergo tunc neuter habebit activam influentiam; aliquando alicui ex cognatis, qui tamen nullum habet concursum. Directè neg. consèq. Ad rationem dicitur, quòd agens latiùs patet, significat nempe ipsum generans, & veré Mater est generans. Dicitur 2. quòd agens intendit assimilare sibi effectum in prædicatis suæ quidditatis; illa autem similitudo est in accidentibus, & corporis lineamentis.

42 Arg. 4. Si Mater passivé se habet, non plus habet Mater in generatione filij, quam habeat terra in formatione plantæ; sed hoc est absurdum: ergo. Quodsi dicatur, Matrem plus habere, quia materiam ministrat. Contra: quia vermibus in se generandis materiam ministrat, nec horum Mater dici potest. Resp quòd legitima est inducta solut. Ad rationem in contrarium dicitur, quòd non utcumque ministrare materiam sufficit, sed talem, tali modo, & actione, quæ sit generatio.

43 Arg. 5. ex Damasc. asserente, quòd Sp. S. B. Virgini virtutem tribuit susceptivam simul & generativam; sed si Mater esset principium passivum, superflué copularet virtutem generativam virtuti susceptivæ; ipsa enim virtus generativa Matris susceptiva esset, nempe passiva: ergo. Resp. quòd hoc ipse etiam tenetur explicare, virtutem enim, qua ex parte sua genuit B. Virgo, non accepit à Sp. S. Præterea: si illa virtus generativa, de qua Damasc. est aliqua virtus activa, potiùs ille locus arguit oppositum, quàm propositum arguentis, si enim talem accepit, illam non habet. Rursus: concursus Matris, quamvis passivé se habeat, non est susceptivus, materiam enim ministrat à virtute activa viri transmutandam: quicumque ergo sit sensus Damasceni, de quo latiùs differere opus non est, ex illo loco nihil deducitur ad propositum.

44 Dub. 4. Quo sensu ait Phil. quòd generatio est naturalissimum opus viventis? De quo mirum quanta dicuntur, fere enim unusquisque suo modo explicat, cum tamen ex ipso tex. sensus possit clarissimè deduci; text itaque 34. sic habet: *Hæc enim operatio maxime omnium operationum viventibus est naturalis, viventibus inquam hisce, quæ sunt perfecta, non membris capta, quæque non sine semine oriuntur, unumquodque inquam, aliud sibi simile procreare, animal quidem animal, planta au-*

autem plantam; ut sint semper hoc pacto, conditionemque subeant, quoad possint Divinam; id enim ipsum appetunt universa, gratiaque ipsius omnia agunt, quæ secundùm naturam agunt.

Sensus itaque planus est, quòd maximé cuilibet viventi est naturale opus generare & procreare sibi simile, quia maximè unumquodque appetit se perpetuare in esse; & quia in individuo non possunt perpetuò durare, maximé appetunt animalia aliud procreare, in quo conservetur species. Addes quòd in unoquoque præstat & magis est naturale bonum commune quam particulare; & conservare individuum, aut illud augere, quæ sunt actus nutritivæ, & augmentativæ virtutis, pertinent ad bonum particulare individui, procreare verò sibi simile pertinet ad bonum commune speciei: ex illis ergo actibus, quæ propria sunt opera viventis, qua tale est, maximé & summé naturale est generare.

QUÆSTIO II.
DE
ANIMA SENSITIVA.

ARTICVLVS I.

An sit, & quid sit anima sensitiva?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

SImul an est, & quid est anima sensitiva quærimus, de utroque enim sententiæ sunt, imò posset etiam addi, quibus ea conveniat? Neque enim desunt, qui sensum & sensitivam animam plantis attribuant. Prima itaque sent. hæc esse potest, quæ asserit aliquas plantas habere sensum. Pro hac sent. P. Feixoo nonnullos citat in suo Theatro tom. 3. disp. 9. Plat. Democ. Anax. Emped. quos Phil. refert. lib. 1. de plant. Camp Rudig. Reddi, Coning. & alios: qui potissimé moventur

tur ex eo quod quædam inveniuntur plantæ, in quibus motus cernitur, quo se retrahunt & manum fugiunt ante ipsius manus contactum, & talem esse ferunt in America arborem, quæ Pudica dicitur, vel sensitiva, in Italia plantam, quæ Setamarina dicitur, & alias non nullas.

S. P. Aug. lib. de quanti. an. cap. 33. hujus meminit sent. & hoc de ea fert judicium: *Non enim audienda est nescio quæ rusticana planè impietas, magisque lignea, quàm sint ipsæ arbores, quibus patrocinium præbet, quæ dolere vitem quando uba decerpitur, & non solum sentire ista cum cæduntur, sed etiam videre atque audire credit. De quo errore sacrilego alius est differendi locus.* Universalitatem quidem, qua omnibus plantis sentiendi vitam tribuebant Manichei, his verbis fugillat S. P. sufficit autem quod errorem dicit intolerabilem plantis sensum tribuere, ut opus non sit illam sent. ratione rejicere. Motus autem, quo illæ videntur se retrahere, poterit ex aliquo motu in aere causato ex motu appropinquantis manus, quin ex hoc oporteat sensum illis concedere.

46 Secundà sent. esse potest huic è diametro opposita, quæ brutis omnem denegat sensum & vitam, sed machinas esse ait automatas; quæ ex solo partium mechanismo ad præsentiam objecti aliquas exercent operationes sine ulla perceptione aut cognitione, ad modum quo motum videmus in horologio. Hanc, post nonnullos de antiquis præsertim Græcis, suscitavit Gomez de Pereyra Medicus Hispanus in sua Margar. deinde illam tenuit Descart. quem multi sequuntur ex modernis, & latè propugnat Tosca tract. 10. de Animal. lib. 2. Martin. Philosoph. Scepticæ Dial. 10.

47 Tertia sent. huic alia via opposita esse poterit, quę non solùm sensum, sed rationalitatem etiam brutis concedit. Hanc quamvis communem Phil. sent. dicat rationabiliorē, novissimé nititur statuere cit. Feixoo, de hac autem seq. art. Quarta sent. asserit quidem, bruta sentire, & cognitione sensitiva percipere objecta, negat tamen ullam habere animam à tota materia distinctam, sed ad illam cognitionem & vitales operationes sufficere partium organizationem & mechanicam dispositionem. Hanc tenet Petrus Gassend. quem multi sequuntur de modernis Duham. P. Fabri, & alij. Quinta demùm sent. docet, bruta verè sentire, & animam habere sensitivam à tota materia distinctam. Hæc est sent. Phil. quam omnes te-

nent Peripatetici, & eam esse sent. P. Aug. patebit infra.

48 Dicendum itaque, quòd bruta verè sentiunt & objecta percipiunt, idque ab anima habent, quæ forma est materialis quidem & corruptibilis, sed à tota materia diversa. Hęc sent. multis posset probari, illam tamen communiter Peripatetici supponunt, quia probare quod nullus negat, inutile reputavit; quia tamen moderni Hassendistæ & Cartesiani buccis crepantibus calumniantur nos cæco ductu, & sine ulla probatione brutis animam concedere & cognitionem, id necesse erit probare: duo ergo adducemus ex sac. text. duo item ex D. P. & duo tandem à ratione, quibus sufficienter poterit conclusio patere.

49 Prob. itaque 1. ex 1. Gen. quo latè describitur quòd de aqua & terra produxit Deus reptile animæ viventis, & volatile, jumenta deinde, & bestias terræ, & tandem ait text. dedisse Deum terræ fructus & herbas in cibum homini & alijs, *in quibus est anima vivens*. Aliter proculdubio ista accipit sac. text. ac cætera alia, non solùm terram & aquam, de quibus omnia facta sunt, sed herbas etiam & fructus, quos ipsis dedit in cibum; & de lignis quidem ait text. crescere ex se, & facere fructus ut semen unumquodque gigneret, quod est se movere, in quo vita consistit, non autem ait habere animam viventem, quod de brutis asserit: deducitur ergo hinc non solùm bruta sentire, & operationem habere ac motum alterius generis, ac vegetabilia, sed etiam habere animam, quod differtè tex. explicat. Ita hunc locum omnes SS. exponunt, & expresè D. Basil. hom. 8. & 9. in Gen. quo loco contra nos adducitur, de quo infra.

50 Prob. 2. ex eodem lib. Gen. cap. 30. quo refertur factum Jacob, quòd nempe virgas decorticatas posuit in canalibus, ut oves conciperent in conspectu habentes multicolores virgas, quo fœtus ederent multicolores. Quo loco quærũt Interpretes, an naturaliter, an miraculo fieret, ut ex illo conspectu fœtus orirentur varij? Sent. SS. ut videre est apud à Lapide, & alios, est quòd miraculo quidem ad id fuit instructus Jacob, naturaliter tamen contingit, quòd ex tali conspectu induceretur varietas in fœtibus; pro hoc sensu adduxit Cornel. S. Aug. D. Hieron. D. Isid. & alios, ex quibus verba P. Aug. libet adducere, qui lib. quæst. Vet. testam. q. 93. in Gen. ita habet: *In facto Jacob, cum virgas excorticavit detrahens viride, ut*

ab-

album appareret variè, & sic in conspectu fœtus pecorum variaretur: multa dicuntur similiter fieri in animalium fœtibus. Et progreditur historiam referens de muliere, quæ adulterij accusabatur, eo quòd filius evasit Parentibus dissimilis, quam fertur Hipocrates liberasse, ex quo asseruit potuisse id evenire ex matris imaginatione tempore conceptus.

Hanc historiam refert iterum & approbat S. P. lib. 8. de Civ. cap. 5. tenet ergo S. P. quòd naturaliter contigit factum in ovibus Jacob, sicut in illa historia & alijs asseritur: tex. ergo in expositione S. P. & communi SS. asserit, oves percipere objecta, & imaginationem formare non secus ac homines. Quod autem reponunt communiter. DD. contrariæ sent. his & alijs ex fac. tex. probationibus, quòd nempe loquitur tex. non in rigore philosophico, sed ad sensum vulgi, neque nos facere intendit doctos, sed bonos, quare plerumque res accipit non ut sunt, sed ut communiter apprehenduntur. Hæc, inquam, sed impia est, & Phil. Christiano prorsus indigna: tum quia absurdum est dicere Sp. S. vulgi errores approbare; tum quia nullum posset ex fac. tex. deduci arg. contra heterodoxos, cuique enim ad manum esset illa solutio. Adde 1. quod quo loquatur sensu tex. fac. non Philosophis competit exponere, sed SS. PP. vidimus autem sensum ex P. Aug. 2. quòd sensus ibi historialis est, & quo factum narratur ut contigit, in quo nulla est necessitas se accommodandi ad sensum vulgi.

51 Prob. 3. ex Pat. Aug. qui toto lib. de quant. an. passim habet animam & cognitionem habere bruta, libet autem tex. accipere ex cap. 23. quo S. P. ab Adeodato quærit, quid sensus sit, quo anima per corpus utitur? Talem autem ipse definitionem tradit: *Sensus passio corporis est animam non latens.* Quo autem illa definitio amplius explicetur, contra illam reponit S. P. quòd brutis convenit sentire, quare illis debet convenire quòd animam non lateat passio corporis; & quia scit anima id, quòd ipsam non latet, brutis conveniet scire. Hoc postquam latissimè prosequitur, tandem cap. 30. solvit, quo ita incipit: *Quia quanquam sit aliud sensus, aliud scientia, illud tamen non latere utrisque commune est, ut ipsi homini & bestiæ, quamvis plurimum differant, animal tamen esse commune est,* &

& paucis interjectis detegens æquivocationem, qua illud nititur argumentum: *non continuo esse scientiam, si quid non latet, sed si per rationem Non latet.* Patet itaque, quòd S. P. brutis animam concedit & sensibilem cognitionem, siquidem concludit, quòd in illis locum habet illa definitio, qua sensatio dicitur passio corporis animam non latens.

52 Prob. 4. ex D. Basil. illo ipso loco, quo in contrarium adducitur, nempe hom. 8. in Hexam. ubi illa pertractat verba text. *producat terra animam viventem*, & talem instituit quæst. Cur terra viventem animam, aqua autem reptilia animæ viventis jussa est producere? Resp. autem: *Arbitramur natatilium quidem naturam imperfectioris quodammodo participem esse vitæ, quippè cum in humoris crassitudine degant; nam & auditum obtinent gravem, & aspectum hebetem, cum per mediam aquam videant. In terrestribus autem animantibus, cùm perfecta vita prædita sint, principatum universum subindicat animam obtinere, terrestrium siquidem sensus perspicatiores sunt, quam aquatilium.* En supponit animam habere tam terrestria quam aquatilia, & eo quærit, quare in his dicatur produci non anima, sed vivens, quod animam habet, in illis verò non vivens, sed ipsa anima? En item in omnibus supponit veram sensationem, & ait, quòd in terrestribus perspicatior est sensatio, & eo magis videtur anima dominari, quare dicitur ipsa produci.

53 Prob. 5. à ratione: In quocumque reperitur operatio causata ex immutatione intentionali, & per speciem sine materia, in eo est anima, & vera objecti perceptio; sed ita reperitur in brutis: ergo. Ostenditur maj. quia intentionalis immutatio mera est repræsentatio, eo dicitur intentionalis; at ex hoc moveri solum potest anima, quæ capax est repræsentationem percipere: ergo. Patet hęc min. in corpore enim & corporali subjecto, quatenus tale est, solúm potest operatio sequi ex contactu phisico, quare videmus in corpore inanimi recipi intentionalem immutationem, ut imago in speculo, & colores in Iride, nulla autem ex hoc sequitur operatio, aut realis illorum immutatio, & machinas, quas dicimus automatas, seu se moventes non nisi ex corporali contactu; quo pars movet partem, videmus moveri. Min. principalis, quòd nempe in brutis ex sola intentionali immutatione sequatur operatio, alijs missis ex eo sufficienter ostenditur, quod in brutis memoriam prodit, ut

quòd

quòd famelicus cibum quærit ubi illum invenit aliquando, aut etiam ubi repoſuit, quòd ſemel percuſſus illum agnoſcit, à quo læſus eſt, & eo viſo recordatur, & alia id generis: patet enim, quòd id in memoria reſervatur, quidquid illud ſit, non corporale eſt aliquid per phiſicum contactum agens, ſed intentionale, & ſola illius objecti repræſentatio: ſi ergo hac movetur brutum, animam habet, & illius repræſentationis perceptionem.

54 Prob. 6. alia ratione: In quocumque reperitur diſciplinabilitas, & hoc quod eſt arte aliquid edoceri, in eo eſt amima, & vera objecti perceptio; ſed in brutis id reperitur: ergo. Maj. patet, quia edoceri non poteſt niſi percipiens quod à docente proponitur, & automata videmus nulla poſſe arte inſtrui. Patet item min. quia paſsim videmus bruta domeſticari & edoceri uſque ad imitationem humanæ loquelæ. Conf. Habitus & facilitas aliquid faciendi ex aſſuefactione & repetitione actuum non poteſt reperiri niſi in habente animam & verè percipiente; ſed videmus bruta habilitari, & facilitatem uſu acquirere aliquid faciendi: ergo. Maj. pat. oportet enim aliquid ex actu relinqui, & hoc à ſubjecto percipi, ut ex actibus habitus generetur. Multa alia prætermitto, quoniam ex his ſufficienter poterit concluſio patere, oportet autem, quæ in contrarium objiciuntur, latius expendere quo ea amplius conſtabit; quod autem anima à tota materia debet differre probatum ſupponimus in Phiſ.

§. II.

Solvuntur argumenta.

56 ARg. 1. ex ſac. text. tum Deut. cap. 52. tum Levit. 17. quibus dicitur: *Quod anima omnis carnis in ſanguine eſt.* Conf. ex D. Baſil. hom. 8. in Hexam. ubi ait: *Chriſtianum ignorare non poſſe quid ſit anima brutorum, cum Sac. Scriptura toties dicat nihil aliud eſſe, quàm ſanguinem.* Reſp. quòd ſenſus ſac. text. ut communiter habent Expoſitores, & videri poteſt apud P. à Lapide, eſt quòd in ſanguine dicitur reſidere anima, cùm enim ſanguis ſit proximum nutrimentum, eo deficiente deficit vita, non quòd in ipſo ſanguine anima conſiſtat, ſed quòd eo deficiente deficit. Ad Conf. ſufficiet verba adducere D. Baſil. ſic itaque habet: *Cur animam viventem tellus educit? Vt quid ſit inter animam jumenti atque animam hominis diſcas. At animam ho-*

hominis paulo post quomodo habeat scies. Nunc interim audi de animantium anima ratione non præditorum. Cum juxta quod scriptum est, animalis omnis anima sanguis sit ipsius: sanguis autem coactus in carnem suapte natura vertatur, caroque corrupta in terram resolvi soleat, mortuum quid optimo jure est anima jumentorum: igitur animam terra viventem educat. Vide consequentiam ordinemque animæ ad sanguinem, sanguinis ad carnem, carnis ad terram: contrà, facta resolutione per eadem regreditur à terra in carnem, à carne in sanguinem, à sanguine in animam ipsam, & jumentorum animam invenies terram esse. Noli putare corporis ipsorum constitutione vetustiorem animam esse, neque post carnis dissolutionem existere.

Totum volui ad longum adducere tex. quia dissertissimè S. D. asserit, quòd anima bruti ipse ejus sanguis est, sed quod mirere magis hac eadem & sequenti Homilia adducitur pro contraria sent. quæ in brutis rationalitatem propugnat de quo seq. art. Itaque quod sensu supra dato loquitur S. D. apertè patet in verbis ejus, siquidem eodem ordine se habere, ait, animam ad sanguinem sanguinem ad carnem, carnem ad terram: veram ergo habent animam aliam à sanguine, ad quem se habet per ordinem, & eo solùm dicitur in sanguine esse, ut statuatur differentia ad animam hominis, quæ non cum sanguine perit, sicut anima brutorum.

37 Arg. 2. ex Phil. lib. 2. de gen. animal. cap. 1. ubi ait: *Fieri autem potest ut hoc ab hoc moveatur, & hoc ab hoc, sintque perinde ac admirabilia illa automata.* En sicut automata non vivunt sed pars à parte movetur, ita contingit in animalibus, de quibus ibi loquitur. Resp. quòd sensus, quem intendit Phil. ex ipso habetur processu, sic enim sequitur: *Partes enim habent vim modo quodam, etiam cum quiescunt, quartum 1. ubi extrinsecum aliquid moverit, statim proxima actu efficitur: ut igitur in spontinis illis quodammodo illud movet, quod nihil nunc tangit, sed ante tetigit; sic id, quo semen, vel quod semen effecit, movet, cum aliquid tetigerit, quamquam non adhuc targat*: Intendit ergo quod sicut horologium v. g. ab artifice dicitur moveri, à quo motus datur 1. parti, quamvis ipse nunc non agat, sic semen à generante dici potest moveri, quamvis nunc non sit ipsum generans, quia in actu fecit ipsum semen, & talem dedit formam; ex quo nihil ad propositum.

Arg.

58 Arg. 3. ex eodem Phil. in 8. Phis. tex. 20. ubi negat animalia se movere, ait enim: *Quod enim prius quiescebat postea ambulat nulla re externa movente, ut videtur. Sed hoc est falsum, videmus enim semper aliquid innatum moveri in animali; cur autem hoc moveatur non ipsum animal causa est, sed fortasse id quod ambit.* Resp. quòd de mente Phil. dubitari non potest, quin sit mens ejus, animalia verè vivere & se movere, & quidem illo eodem loco, ut supra vidimus disp. præc. & latius disp. 3. Phis. ibi enim asserens, quòd gravia non se movent, rationem subjungit, quia hoc, nempe se movere, animatorum est proprium: ibi ergo, ut ex his quæ sequuntur poterit constare legenti, arguebat contra se, quòd animal non se movet, quia videtur sæpe ab exteriori moveri. Resp. autem, quòd se movere dixit non absolutè, sed eo motu, qui progressivus dicitur, quo non ab exteriori movetur, in hoc autem intendit differentiam, quæ est in operationibus sentiendi, in quibus ab exteriori objecto excitatur, & fit in actu.

59 Arg. 4. à ratione: Deus & natura nihil faciunt frustra; sed potuit Deus ita constituere bruta, quòd per mechanicam partium dispositionem, sicut automata suas exercerent operationes: ergo ita fecisse censendus est. Min. videtur evidens, si enim arte hominum tales fiunt machinæ, quę licèt inanimes, ex se ipsis habent moveri, cur non poterit Deus ita fecisse? Conf. quia nulla est contradictio in eo, quòd ita imaginentur bruta suas operationes exercere sine ulla perceptione: ergo id non debet censeri impossibile, quoties non involvitur contradictio pro Dei potentia standum est.

60 Resp. 1. data min. neg. conseq. ex quo enim Deus ita potuit facere non sequitur ita fecisse; potuit quidem sine ulla sexuum distinctione animalium omnium salvare procreationem, cum in multis imperfectis ita de facto esse supponat. Naturalistæ; potuit & alia multa fecisse, quæ non fecit, neque proinde licèt arguere frustra ita esse factum. Adde quòd Gassendus illo arg. nititur probare, quòd vivunt animalia, & veram habent objecti perceptionem sine anima, ex solo partium mechanismo, eo autem probaret contra ipsum Cartesius, quòd nullam habent vitalem perceptionem, æque enim potuit Deus ita fecisse. Resp. 2. neg. min. ex suppositione enim, quòd viventia fecit, quòd ex fac. Tex. passim habetur; contradictio est, quòd viventia essent & non

viverent, aut quòd viverent, & non se moverent; si autem debent se movere, quòd automata non habent, formam debent habere superiorem & alterius generis, ac illa est partium dispositio, quam habent automata, & hæc est anima. Ex hoc patet ad confirmationem.

61 Arg. 5. Illa sent. cæteris præferenda est, quæ Decretis Concil. magis cohæret, sed ita se habet quæ brutis cognitionem negat & animam: ergo. Prob. min. In Concil. Lateran. 5. Sess. 8. districtè præcipitur Philosophiam docentibus, ut congruas adhibeant solutiones argumentis, quæ ab hæreticis contra immortalitatem animæ nostræ objiciuntur; sed huic Decreto magis congruit sent. illa: ergo. Patet min. semel enim statuto, quòd operatio cognoscendi non potest à sola materia, aut ejus partium dispositione, quæ cum materia perit, procedere, ex operatione cognoscendi, quam in nos experimur, optimè colligitur immortalitas animæ nostræ; illud verò ant. ponit sent. illa. Conf. Sent. quæ brutis tribuit animã & cognitionem, argumentum tribuit hæreticis, & ocasionem negandi animæ nostræ immortalitatem: ergo ea minus congruit decreto Conc. Prob. ant. Si enim in bruto cognitio salvatur & anima, cum hoc tamen quòd eorum anima cum corpore perit, patet, quod eodem modo poterunt hæretici de anima nostra philosophari.

62 Resp. quòd illi ipsi, qui hic ex decreto Concil. Lateran. arguunt, dum illis arguitur tex. Tridentini circa accidentia Eucharistica, respondent, quòd ad Concil. non spectat res purè phisica, & quòd Patres illi erant Peripatetici, quare loquuntur more suo, quin ex hoc aliquid debeat censeri definitum circa rem phisicam: posset ergo illis argui eadem forma, qua nunc arguunt, quod illa sent. præferenda est, quæ magis conformatur decretis & modo loquendi Concil. qualis est proculdubio circa accidentia Eucharistica sent. Perip. Directè neg. min. Ad prob. dicitur, quòd quamvis ex aliqua suppositione clarior appareat via convincendi hæreticos, si tamen illa suppositio manifestè opponitur sac. Scrip. secundum communem SS. expositionem, non proinde illa suppositio amplectenda est, neque censeri debet, quòd Concil. illam præscribit viam cum aliunde via pateat, quam inierunt SS. ad convincendos hæreticos; at in proposito ita est: quamvis enim supponere, quòd cognitio nonnisi ex anima immortali potest procedere, & eo brutis negare cognitionem, aperte deducat ani-

animæ nostræ immortalitatem, quia tamen illa suppositio est contra fac. Script. in communi SS. acceptione, qua brutis cõceditur vita, & vera cognitio, non hæc via censeri debet magis conformis decreto Concil. sed quam tenent SS. & Catholici DD. Quo ad Conf. patet.

63 Arg. 6. Si bruta animam habent, & veré percipiũt quæ operantur, nos excedunt in perfectione, & perfectior est illorum anima, quàm nostra; sed hoc absurdum est dicere: ergo dici debet, meras esse machinas, quæ omnino non percipiunt quæ operantur. Prob. sequela maj. quia illa, quæ bruta operantur, perfectius sæpe operantur ac nos, ut experientia videmus, ut docet P. Aug. cit. lib. de quant. an. cujus verba adducemus art. seq. si ergo illa exercent cognoscendo & percipiendo quæ operantur, nobis perfectione præstãt. Resp. neg. maj. Ad prob. neg. conseq. non enim absolutè perfectiora sunt ex quo in ordine sentiendi habeant perfectiores operationes, cùm alias habeat anima nostra altioris ordinis & gradus, nempe intelligendi, imò ex hoc fortè minus in sentiendo prævalet, quia altioribus dedita operationibus minus his inferioribus applicatur.

64 Arg. 7. Si bruta cognoscunt, etiam judicabunt, sicut enim aliqua in illis apparent cognitionis signa, ita judicij; sed judicium non debet brutis concedi: ergo neque cognitio. Hoc argumento aliquos eo adductos ait Tosca, ut brutis concederent ratiocinium; bruta autem rationalia non esse definitum ait contra Gnosticos. Hæc sunt quæ adducit Tosca pro sent. cit. Gomez de Pereira, quibus tantum, ipse addit. 1. quòd in brutis nulla est operatio, nisi quæ motu locali exercetur; ita autem non exercetur cognitio. 2. quòd nulla est necessaria cognitio pro operationibus, quæ ad eorum conservationem requiruntur, quòd ex eo confirmat, quia in nobis multa peraguntur nobis insciis, neque enim scit quisque quid in ventriculo peragitur, & quomodo alimenta dissolvuntur, & in propriam viventis substantiam convertuntur.

65 Resp. ad arg. neg. maj. cujus nullã assignat prob. quod autem ait definitum, bruta ratione non uti; nihilominus P. Feixoò validissimé id propugnat, cujus arg. videbimus art. seq. Ad 1. rationem ipsius Tosca eadem, qua asseritur cõfidentia neg. maj. imò de hoc tota controversia est in præsenti, an aliqua sit in brutis operatio, quæ localem motum & corporalem contactum excedat, & sit vera objecti perceptio? Et

ut cętera mittam, quando brutum aliquid quærit ubi non est quod quæritur, tunc ista operatio non ex aliqua procedit corporali impressione ab objecto causata per tenuissimos illos effluvios, quos à re in organo causari ipsi comminiscuntur, nullum enim supponitur esse objectum à quo causentur: ex se ergo & veré vivens tunc movetur. Ad aliud dicitur, quòd pro conservatione cujuslibet animalis tantúm sunt necessariæ operationes vegetativæ partis, in quibus utique sivé in illis sivè in nobis nulla est sensatio, aut perceptio; ultra hoc autem quòd ad partem vegetativam pertinet, & pro conservatione ejus necessarium est, voluit Deus brutis dare sensitivam vitam & operationes, & nobis ulterius rationalem.

§. III.

Expenditur quæ habet D. Martinez pro 2. sententia.

66 D. Martinus Martinez dial. 10. Phil. Scep. latè illam propugnat Carterij sent. quæ brutis omnem denegat vitam, & vitalem perceptionem: & in primis Cartesianum introducit Peripateticum sugillantem, quòd vulgi more primis ducatur apprehensionibus, seu primæ sensuum impressioni credat sine ulla ratione reflexione, sicut Philosophum deceret, quare multoties verbis assentitur & vocibus neque explicatis, neque intellectis. Sed quis hæc ferat? In præcedentibus adduximus P. Aug. & D. Basil. & iterum oportebit adducere seq. art. non quidem obiter, sed data opera ostendétes, bruta vivere, & veré sentire seu objecta percipere; si hos dicere licet cęco ductu sensuum impressionibus credere, aut sine rationis examine brutis animam concedere & sensum, ipse videat sollertissimus Cartesianus, ego quidem libertissimé Ciceronianum arripiam illud: *Errare me hercle malo cum Platone: quàm cum istis vera sentire.* Sed jam aliquas ejus rationes videamus, omnes enim fere esset impossibile.

67 Arg. 1. veluti per rationem dubitandi: Videmus quòd idem sonus artificiatus & Musicę præceptis regulatus editur in horologio, ab avicula, & ab homine: unde ergo colligemus, quòd avicula potius ut sicut homo, quàm sicut horologium, quod ex solo partium mechanismo sine ulla perceptione illum edit sonum? Si ergo hominum arti datur ita afabrè partes disponere alicujus machinæ, quòd ex se ipsa moveri videatur, cur id Dei arti denegetur? Neque enim hucusque canis aliquis nobis revelavit quid in

ínreriori ſuo geritur quando ipſum ullulare audimus, an nẽpe ex aliqua ſenſatione & perceptione, ſicut in homine voces illę oriuntur an potius ex mera partium diſpoſitione mechanica, ſicut in horologio.

68 Reſp. quòd aviculam cognoſcimus ſe habere ad modum hominis, & percipiendo edere illum ſonum ex eo, quòd videmus ipſam inſtrui & edoceri, ut ita vel ita ſonum edat; neque enim poſſet edoceri non percipiens, ſicut videmus, quòd non poteſt edoceri machina inanimis: rurſus videmus, quòd machina poſtquã ſemel ita diſpoſita eſt ab artifice ſuo ut hũc edat ſonum, non niſi hunc edit; avicula autem poſtquam edocta eſt ſic edit vel ſic, & nũc uno, nunc alio modo, quod ſignum eſt appetitus à quo ipſa movetur ſic edere vel ſic. Nullus negat quin multo plura poſsit ars Dei, quàm ars hominis, ſed non proinde poterit quę contradictionem involvunt; eſt autem cõtradictio, quòd viventia non vivãt. Neq opus eſt ut aliquis nobis canis revelaverit quid in interiori ſuo geratur; ſicut enim ipſi nullo ſibi revelante cane determinãt quòd non ſentiunt, ita nos ſine ulla revelatione ex his quæ videmus determinare poſſumus, quòd percipiunt, & vere ſentiunt.

69 Arg. 2. Conceptus, quẽ de ſpiritu formamus contra materiale & corporeũ hic eſt, quòd ſpiritum concipimus ſubſtantiã cogitativam atque intelligentẽ, corpus autẽ ſive ens materiale, ſubſtantiã extenſam, impenetrabilem, figurabilem, loco mobilẽ, & hujuſmodi cętera, quę duo adeo ſunt contraria, ut quantũcumq materiam velimus concipere ſubtilizatam & attenuatam, numquã tamen poterimus concipere aut cogitativã, aut ſine impenetrabilitate, extenſione & reliquis: ſi ergo brutis concedimus perceptionẽ & ſenſum, inermes relinquimus & omni deſtituti argumento, quo probare poſsimus, animam noſtram eſſe ſpiritualem: non ergo ſic debemus concedere.

70 Reſp. neg maj. Si enim ipſi non alium poſſunt de ſpiritu formare conceptũ, nos longe alium formamus: 1. quidem prius eſt in unoquoq, quòd ſit hoc aliquid in entitate ſua, ad quod pertinet, quòd ſit corpus aut ſpiritus, & ex quo hoc tale eſt ſequitur, quòd ſit ſic vel ſic operativũ: non ergo conceptũ ſpiritus bene format, qui ex operatione illũ format, prius enim conceptus ſpiritualis ſubſtãtię debet haberi, ad quem ſequatur hanc vel illã habere operationẽ: deinde, quòd ſit cogitativa aut intellectiva ſubſtãtia non ad cõceptũ pertinet ſpiritus, vel ſpiritualis ſubſtãtiæ, ſed vivẽtis quę poſterior quędã differẽtiã eſt: prętera ex-

extensio, figurabilitas, impenetrabilitas, & cæteri similes conceptus, affectiones quædam sunt, quæ indicant quidem à posteriori conceptum materialis substantiæ, non verò formaliter in illis consistit conceptus corporis aut substantiæ corporeæ.

Itaque conceptum spiritus, sive spiritualis substantiæ per hoc habemus, quòd sit ens quoddam natum subsistere, sive per se esse in natura simplex & omnino indivisibile, & omnem partibilitatem repugnans, & per hoc quòd corpus concipimus subtile ad minimum accedens, seu indivisibile, spiritui concipimus assimilari, & spiritum solemus vocare corpus ita subtile; non dum autem in hoc conceptu exprimitur ulla vis operandi sic, vel sic: corpus similiter concipimus substantiam compositam ex materia & forma, natam extendi figurari, dividi, in quo etiam conceptu nulla exprimitur vis operandi: quia ergo conceptus spiritualis substantiæ prior est omni virtute operandi, quamquam brutis concedamus illam percipiendi vim, aliunde relinquitur intacta via probandi, quòd anima nostra spiritualis est. Rursus: à posteriori ex operatione colligitur etiam, quòd anima nostra est spiritualis substantia, sed neque hæc via deficit ex quo brutis concedatur cognitio, est enim alterius generis illa operatio ex qua deducitur spiritualitas animæ, nempe intellectiva & supra se ipsam reflexiva, quòd non habet cognitio bruti.

71 Arg. 3. Si brutis conceditur sensatio & vera perceptio objecti, non differt secundum essentiam suam anima bruti ab anima hominis; hoc autem absurdum est: ergo. Prob. maj. Si bruta veré percipiunt, tantum differt anima bruti ab anima hominis penés magis & minus perfectè percipere, utraque autem convenit in hoc, quòd sit substantia perceptiva, seu cogitativa; sed prætérquamquod magis & minus non variant essentiam, multoties supponit demonstratum, quòd conceptus spiritualis substantiæ in hoc consistit quòd sit cogitativa: Si ergo cogitativa est anima bruti, eandem habet essentiam spiritualis substantiæ, & solum differt accidentibus. Cōf. Si bruto conceditur sensatio, concedi debet, tum judicium de sensatione; tum discursus, atque unius ex altero deductio: tum tandem suo modo libertas & dominium eligendi unum præ altero; sed hæc absurdum est brutis concedere: ergo Maj. ex eo ostenditur, quòd ea, quæ nobis indicant brutorum sensationem, debent pariter cætera illa indicare.

Resp.

72 Resp. neg. sequelam, ad prob. ejus dist. maj. penes magis & minus perfectè percipere in eodé genere perceptionis; neg. maj. in diverso, conc. maj. sed hoc sensu neg. min. Non itaque absolutè conveniūt in ratione substantiæ perceptivæ, seu cognoscitivæ, sed hac eadem ratione differunt, quia superior est & alterius generis perceptio seu cognitio animæ nostrę: in gradu ergo generico sentiendi conveniunt, & quidem univocè, de hoc enim verum tenet, quòd magis aut minus non variant essentiam; ad hunc autem gradum addit anima nostra taliter percipere & cognoscere, quod anima bruti non habet. Solutionem habet P. Aug. cit. cap. 30. de quant. an. cujus verba supra dedimus, quibus ait, quòd animam non latere passionem in corpore factam, quid commune est homini & bruto, cum hoc tamen aliter hominem non latet, quia per intellectum, aliter brutum, quia tantùm per corporis sensum.

Quòd autem ait á se demonstratum conceptum spiritus in hoc consistere, quòd sit substantia cogitativa, demonstrationem non licuit invenire; aliqualiter autem supra ostendimus, quòd conceptus spiritus sive spiritualis substantiæ prior est virtute operandi: ex præjudicio illius principij, quòd nępe conceptus spiritus in hoc consistit, multis vijs arguit, & quidem efficaciter, semel enim posito, quòd substantia cogitativa est spiritualis; facili negotio convincitur, bruta non cogitare, alioqui spiritualis esset eorum anima sicut nostra; quia tamen illud principium omnino falsum est, nec probationem licet reperire, illa omnia mittimus, negata enim hac maj. de facili corruunt: posset illud arg. instari, quia Angelus & anima nostra differunt penes magis & minus perfectè intelligere; nec tamen ejusdem sunt essentiæ. Ad Conf. art. seq. dicetur ex instituto.

73 Arg. 4. Anima bruti est materialis forma & ex materia educitur; sed quòd ex materia est non potest materię conditionem superare: ergo talis anima non est perceptiva & immutationis cognoscitiva. Min. ex eo patet, quia rivulus non potest ascendere supra altitudinem fontis unde oritur: conseq. autem etiam supponitur, quia materiæ & corpori esto possit competere impressionem recipere immaterialem, sive intentionalem, percipere tamen sive cognoscere altioris est ordinis. Præterea: nos non possumus in rebus concipere nisi duas substantias corpus & spiritum; at anima bruti substantia est, neque

que spiritus esse potest: erit ergo corpus, & consequenter ea tantum poterit habere, quæ corpori conveniunt, & materiæ, extensum, figurabile, impenetrabile, non autem percipere.

74 Resp. 1. quòd posset in arguentē regeri argumentū, materia enim ex cōmuni animi cōceptione passivū quid significat, & ipse hoc tantúm, ait, sibi cōvenire, extensum, figurabile, impenetrabile, & similia: si ergo rivulus non excedit altitudinem fontis, unde activitas, & vis agendi, quam in corporalibus videmus? Resp. 2. neg. min. ad cujus prob. neg. conseq. fons enim unde oritur forma quælibet non solūm est principium passivum, exquo educitur, sed activum etiam à quo educitur, & effectivè causatur, in utroque enim continetur, & ab utroque esse accipit & perfectionem suam. Deinde quòd corporali substantiæ solúm possint convenire conditiones materię, non autem percipere, libentissimè ipse supponit, & eàdem confidentia sibi negatur, de hoc enim tota est præsens controversia. Quod autem ait hæc tantum duo posse nos concipere, corpus & spiritum, falsum etiam est,: corpus enim de necessitate est substantia cōposita & elementata, quare elementa ejus sive principia debemus concipere materiam & formam, quæ non corpus, sed corporis principia sunt, cúm elementa priora sint natura ipso elementato, ut latè ostendimus disp. 1. Phis. non ergo quidquid concipimus corpus est aut spiritus.

75 Arg. 5. argumento Capanellæ, quod nimis extollit: brutorū forma mixta est: ergo ea nihil continet præter elementorum virtutes; sed elementa sensitiva non sunt: ergo Prior conseq. eo nititur, quòd nemo dat quod non habet: forma ergo ex mixtione elementorum resultans non poterit habere vim sentiendi, quam ipsa non habent elementa. Hoc arg. eandem habet vim ac præcedēs, supponit mixtum eo tale dici, quia ex mixtione consurgit elementorum, quòd ipsa elementa formaliter in mixto manent, & quòd natura mixti nihil est aliud, quàm convinatio & commixtio elementorum, quæ omnia falsa sunt. Mixtum, ut præc. tract. diximus, est alia natura ab elementis, quæ eo mixta dicitur, quia est 2. talis, & ad natura eorum reducitur quæ 1. talia dicuntur: non ergo ex mixtione elementorum ortum duxit forma bruti, sed à Deo per creationem facta est, & potuit virtutem accipere, atque accepit de facto, quam elementa non habent, dicitur autem mixta sensu jam dato. Ad formam ita-

itaquè nèg. prior conſ. & ad prob. ejus neg. ſup. quòd ex elementis ortum duxerit forma bruti, à Deo enim creata eſt ſicut alia, & à Deo virtutem accepit, quam habet.

§. II.

Reliqua expenduntur, quæ habet Toſca pro 4. ſententia.

76 PRo 4. ſent. quòd nempe dato, quòd bruta vivant, & verè percipiant, eorum forma non anima eſt, aut aliquid à tota materia differens; ſed ex ſola partium diſpoſitione operationes illas exercent, ſicut videmus in automatis, arg. 1. Toſca, quòd generaliter de omni forma probatum alibi ſupponit, ſolùm eſſe partium materiæ convinationem. Deinde: quòd ſuperfluit forma materiæ ſuperaddita, ſiquidem ex ſolo partium mechaniſmo eorum operationes ſalvari poſſunt. Ad hoc utrumq̃ dicitur, ad 1. quidem quòd arg illa in Phiſ. ſoluta ſunt, & dato quòd in alijs poſſet ſalvari ex ſolo partium mechaniſmo operatio ſibi conveniens, ſpecialis tamen neceſſitas eſt in animalibus ponendi formam à tota materia diverſam; illa enim vita, quæ eſt objecti perceptio, & ex intentionali immutatione moveri, non poteſt in ſolam materiam refundi, ut §. 1. probavimus. Quoad 2. patet, non enim ſicut de automatis poſſumus de his philoſophari, quare motus, qui eſt brutorum vita non poteſt ex ſolo partium mechaniſmo ſalvari.

77 Arg. 2. Si prædicta forma abſoluta entitas eſt, quit explicari quomodo ea producatur; quæcumque enim aſſignetur ejus cauſa, rejicitur de facili. Rurſus: gallina v. g. incubando fovens ova non producit animam pulli, alioqui etiam animam anſeris poſſet producere, cùm ejus ova poſsit fovere. Vlterius: nulla cauſa aſſignatur, quæ inſectorum animas producat, quæ ex putri materia oriuntur, niſi recurſus fiat ad Deum, qui tamen recurſus, eſto pius, in naturalibus effectibus parum eſt philoſophicus: ſatius ergo eſt nullam talibus animam concedere.

78 Reſp. neg. aſſumptum; cauſa talium eſt generans & quæ contra hanc ipſe objiciat facile eſt ſolvere, imò eadem difficultas, quam ipſe nobis objiciat de productione animæ, ſibi ſolvenda eſt de organizatione materiæ, neque enim magis apparet difficile, quòd hæc talis anima à quavis naturali cauſa producatur,

quam, quòd hæc talis organizatio & diversa partium dispositio. Ad 1. ergo dicitur 1. quòd qua ratione nos ponimus diversam animam anseris ab anima pulli gallinarum, eàdem ipse debet ponere diversam utriusque organizationem: quo ergo dicatur modo una & eadem gallinæ activitas hæc aut illa confovens ova, hanc aut illam organizationem inducere, eodem nos dicimus, hanc aut illam educere animam. Dicitur 2. quod gallina non est generans ex eo præcisé quòd ova confovet, fimo enim alicubi ova foventur, & pulli educuntur illius speciei cujus est avis, quæ ova edidit.

Generans ergo est avis, quæ in ovo reposuit & materiã tranmutabilem, & activam virtutem à qua tranmutetur illa materia; quia tamen hæc virtus tanquam à conditione dependet à calore, quo fiat in actu, ab avi alterius speciei possunt pulli educi, imò etiam calore fimi, quin ex hoc aut avis fovens, aut fimi calor formam producat alterius speciei. Ad alterum de insectis dicitur, quòd non opus est ad Deum recurrere tanquam ad specialem causam; insecta enim à proprio semine habent causari, quòd in oviculis uniuscujusque speciei proprijs continetur, dicuntur autem talia ex putrefactione generari, quia non determinant sibi locum, in qua virtus seminis; fiat in actu, sicut determinant sibi perfecta, quæ dicuntur vivipara, quare putrefactione fit in actu illa virtus seminis, de cætero autem eodemmodo de his philosophãdum, ac de avium ovibus.

79 Arg. 3. Si anima, bruti entitas est absoluta, explicare tenentur ejus assertores qualiter suas operationes eliciat, & duas specialiter opponit, motum & sensum: quòd ad motum attinet, nec explicari, nec concipi posse ait, quomodo moveat rervum v.g. nisi ipsa pellat virtute motrice; si autem talem habet virtutem, poterit se ipsam movere ad quid ergo tanta opus est diversitate membrorum, & organorum apparatu? Per hoc enim quòd illa anima motum producat, corpus ipsum movebitur. Deinde quomodo anima illa in dies fortior evadit, cum adolescit animal, explicari etiam non potest, si ipsa entitas est simplex à tota materia diversa. Quòd verò ad sensum pertinet, explicari non posse ait, quomodo affici possit à corpore sensibili: si enim afficitur, certé divisione, compressione, vel tensione afficitur: ergo ipsa anima capax erit ut dividatur, secetur, comprimatur, & consequenter non nisi corpus erit,

erit, talia enim soli corpori conveniunt.

80 Resp. quòd illas operationes explicare facile est. imò nisi anima ponatur toti materiæ superaddita, eæ non possunt explicari. Ad 1. itaque dicitur, quòd pollet utique anima virtute motrice, ipsa nempe vita; opus autem habet membrorum & organorum diversitate, quo per unum moveat, per aliud moveatur, per unum enim atque idem movere & moveri est impossibile, de quo satis dictum est in Phis. Ad ulterius: illa difficultas, quomodo anima fortior evadit, multum olim movit Adeodatum, & illam latè versat S. P. lib. de quant. an. cap. 15. ex quo dicendum, quòd anima non crescit aut fortior efficitur, sed in dies perficitur organizatio, & magis roboratur dispositio partium, quo totum evadit fortius, neque hoc poterit difficultatem facere nisi volenti animam concipere sic à materia diversam quòd cum ipsa non communicet, sed sit totum aliud, talis autem non est, sed actus & perfectio materiæ cum ipsa cõstituens totum, cui competit crescere.

Quantum ad sentiendi operationem, etsi aliquando illa interveniant, quæ ad corporalé contactum pertinent, quod autem in illis non consistat sensibilis immutatio, latè explicat B. D. tum in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. de Resur. q. 5. de Infer. cap. 12. Quodl. 2. q. 9. quibus in locis explicat, quomodo ab igne corporali possint torqueri spiritus & animæ damnatorum & sensibilem pati dolorem? Idque explicat ex eo, quòd sensatio de necessitate perficitur per speciem sine materia, sivé intentionalem, & quia hanc potest anima à corpore suscipere, potest ignis ille ut instrumentum Divinæ justitiæ spiritus damnatorum torquere: quòd autem in intentionali immutatione consistat sensatio ex eo inter alia ostendit, quia in sensu tactus v. g. qui magis est materialis, non aliter sensatio perficitur; aliud est enim calefieri, aliud verò calorem sentire, cùm experiamur, quòd manus nimis frigida dum igni appropinquat, calefit quidem & reali immutatione calorem suscipit, qui alterius manu posset in ipsa manu frigida sentiri non autem ipse habens manum sic frigidam calorem sentit, quousque paulatim ad temperamẽtum ea reducatur, quo possit intentionalem immutationem recipere: quia ergo per materialem immutationem non fit sensatio, sed per intentionalem, non oportet, quod anima sit corpus aliquòd, imò oportet quòd sit aliud à materia, quo

posit illam immutationem percipere, quæ est per speciem sine materia.

81 Arg. 4. Si anima brutorum est entitas à tota materia diversa, non est cur non possit seorsim à corpore persistere, posset enim seorsim à corpore se movere, secari, comprimi, & alia id generis, quare non est cur destruatur cùm à corpore separatur: satius ergo est dicere, quòd anima bruti non est aliquid à tota materia diversum, sed in ipsa consistit materiæ compaginatione & organizatione. Ista quidem sicut simplici assertione, & sine ulla probatione adducuntur, ita absolutè negantur: nescit arguës aliquid concipere nisi ens naturale subsistens, cum tamen, quia hoc est compositum & elementatum, debeat ejus partes concipere & elementa, quæ eo quòd principia sunt totius naturæ corporalis & entis nati subsistere, priora esse debent omni tali, & sic non entia nata subsistere, sed talis entis pars & aliquid; sic sunt generaliter materia & forma, & sic est anima bruti, quare non est ens aliquòd natum in se esse & subsistere, sed entis subsistentis pars ad alia comparte distincta, quæ, quia non est nata subsistere, per seperationem destruitur & perit.

82 Arg. 5. ex P. Aug. lib. de Sp. & an. cap. 23. locum tamen mitto, quia opus illud non esse P. Aug. jam habetur pro comperto. Adducit deinde ex eodem S. P. de cog. ver. vit. cap. 4. quo ita habet: *Vita brutorum animalium est spiritus vitalis constans de aere & sanguine animalis, invisibilis, sed sensibilis, memoriam habens, intellectu carens, cum carne moriens, in aera evanescens.* Hic etiam lib. non esse P. Aug. supponitur, eo quod aliqua in eo asseruntur quæ nunquam scripsit Aug. P. quorum alterum hoc dici posset, cum toto lib de quant. an. sepissimè anim. brutorum statuat. Posset insuper dici, quòd author quicumque sit explicare intendit, quòd sex. modis spiritus dicitur in sacris lit. quorum unus est vita brutorum, quare non de anima, sed de illa loquitur tenui substantia, quam dicimus spiritus animales, sivé vitales, & hanc dicit brutorum vitam, quia illis potissimé vitales operationes exercétur. Hæc sunt quæ pro illa sent. habet Tosca, siquid autem aliud objiciatur, ex dictis poterit solvi.

ARTICULUS II.

An bruta ratione utantur?

§. I.

Probatur communis sententia.

83 QUòd bruta rationali anima sint prædita tenuere Pythag. Plat. & Diogen. qui tamen ponebant bruta rationabiliter non agere, seu ratione non uti propter distemperantiam corporum; ratione verò uti tenuere postea Plin. lib. 8. nat. hist. cap. 1. Montan. lib. 2. cap. 12. Campanel. lib. 2. de sens. cap. 23. Valles sac. Phil. cap. 55. & alij apud N. Reylof. lib. 5. cap. 1. novissimè autem hanc sent. totis viribus nititur stabilire sup. cit. Feixeò, cujus profunde fundamento opus erit expendere; non multum autem in probanda communi sent. immorabimur, nec enim res adeo nota multa eget probatione, quare una aut altera adducta via authoritatis, eas tantùm via rationis expèdemus probationes, quas ipse, ut inefficaces rejicit.

84 Dicendum ergo, quòd bruta ratione non pollent. Prob. 1. ex sac. Text. Psalm. 31. quo dicitur: *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Quo homines increpantur, quòd brutorum more vivant, hoc est non ratione, sed passione & appetitu carnis ducantur; supponitur autem bruta ratione non uti. Idem sensus est Psalm. 48. *Homo cùm in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus.* Id ipsum passim sac. Tex. supponitur.

85 Prob. 2. ex P. Aug. lib. 7. de Civ. cap. 3. quo ait: *Sine intellectu atque ratione pecora vivunt.* Lib. 10. de Trin. cap. 8. *bestiæ intelligentia carent, quæ mentis est propria.* Idem passim habet S. P. multis in locis, quæ latè congerit cit. Reylof lib. autem 2. de lib. arb. cap. 6. sic habet: *Et corpus nos habere manifestum est, & vitam quandam, qua ipsum corpus animatur atque vegetatur, quę duo etiam in bestijs agnoscimus, & tertiam quidàam quasi animæ nostræ caput, aut oculum, aut si quid congruentius de ratione atque intelligentia dici potest, quam non habet natura bestiarum.* Lib. tandem de quant. an. cap. 14. ita habet: *Quod si quisquam eorum cognatus dicet elephantos esse sapientes; sensi enim quamvis admirans, sensi tamen, etiam hinc homines sæpe ambigere, illud quantum opinor saltim concedit.* Quibus verbis non asserere, sed dubitare solum de hoc irrisione accipit, qua

qua vocat brutorum cognatos eos, qui sic dubitant, quare non est cur in ejus mente expendenda immoremur amplius. Idem habet D.Amb. in Hexam. lib. 5. cap. 17. Greg. Nissen. lib. 2. de an. cap. 8. Fulg. lib. de fid. ad Petrū. cap. 24.& alij apud cit Reylof.

86 Prob. 3. ratione: bruta uniformiter operantur; sed quæ ratione utuntur non operantur uniformiter: ergo: Maj. experientiâ constat, qua videmus,quòd bruta uno modo agunt id quòd agunt. Min. etiam nota est, quæ enim ratione pollent, liberum habent arbitrium, quo nunc sic, nunc autem aliter prolibito operantur; quæ autem uno modo semper agunt non ratione, sed naturali necessitate ducuntur. Hac ratione ad hoc ipsum probandum utitur P. Aug. lib. de ver. relig. cap.43. eandem habet D. Nissen. loc. cit quare illam dicere inefficacem,est SS.hos DD. sugillare, & inefficaces dicere in ostendendo intentum suum. eandem habet D. Thom. in 1. 2. q. 13. art. 2.

87 Resp. nihilominus P. Feixoò neg. maj. quia in brutis ejusdem speciei alia experiuntur mansueta & de facili domesticabilia, alia per oppositum, & vix est in brutis reperire operationem, aut inclinationem, in qua non observetur diversitas, licet non tanta, quanta in hominibus: fatetur quidem, hominem discernere inter honestum, utile, & delectabile; brutum autem honestum non percipere, & inter utile & delectabile non discernere, quare semper attingere in eo quòd conveniens; cum hoc autem ait diversitas ingens componitur in sagacitate & industria illud cōveniens assequendi, quòd inter alia exemplo probat canis venatici, qui leporem in sequūtus, junior quidem recta vestigijs ejus insistit; postquam autem assuefactione & exercitio venandi novit lepusculam juga montis petere, si illam videt obliqué aliquanto fugientē, non ipsam, sed recta montis petit fastigium, quo facilius ipsam assequitur: hoc & similia ostendunt bruta non cæco duci naturæ impulsu, sed advertentia aliqua, & rationis usu.

88 Sed in primis illam maj. notam supponunt SS. quare minus dicendi sunt advertisse, quàm P. Feixoò. Deinde: solutio ejus extra chorum saltat, de diversitate enim & varietate agitur, quæ arguat non naturæ impulsu,sed prolibito agere; hæc enim diversitas est, quæ arguit ratione uti, siquidem videmus in hominibus tum plures ejusdem complexionis, & inclinationis, ut plures sunt cholerici, studiosi, venatui dediti

diti; è converso item observatur in similibus diversitas, ut alter lenis est, alter verò durus & asper, alter studio, lusui alter & otio inclinatur: jam autem neque ex ista diversitate arguitur, quòd talia pro libito agãtur, sunt enim naturales propensiones; neque ex illa convenientia liceret arguere, quòd homines non ratione & libertate utuntur, sed naturæ instinctu reguntur: non ergo hujusmodi diversitas attendenda est in brutis, neque ex hujusmodi accipiunt SS. uniformiter, & naturæ instinctu operari.

Debet ergo attendi an eandem operationem unus sic, alius sic exequatur, quo possit deduci prolibito sic exequi, & ratione uti; & quia observatur, quòd uno modo omnia bruta operationes suas exercent, ut uno modo hirundo nidificat, uno modo venaticus canis leporem insequitur, & sic de alijs; hinc SS. deducunt non ratione uti, sed naturæ instinctu duci, contra quod nihil refert, quòd aliud sit mite & de facili domesticabile, aliud è contra, hoc enim ad cõplexionem pertinet & humorum dispositionem, sicut in ipsis reperitur hominibus. Quod ergo ipse fatetur, brutum neque honestum percipere, neque inter utile & delectabile discernere, ex hoc colligitur ratione non duci: hujus enim objectum est ipsum quid præscindens à sensibili cõvenientia: si ergo ratione uteretur brutum deberet quid attingere & differentias illas discernere, quòd si solùm à convenienti movetur, signum id est solam habere sensitivam cognitionem, cujus est illud attingere conveniens.

89 Prob. 4. Si bruta ratione utuntur, rationalia sunt; sed hoc est inconveniens: ergo. Prob. min. Si rationalia sunt ejusdem sunt essentiæ ac homo, & solùm differunt accidentaliter penes magis & minus, sed hoc manifestè repugnat: ergo. Ostenditur maj. Rationale inferioris ordinis ac homo est, repugnat: si ergo brutum rationale est, ejusdem erit ordinis & essentiæ ac homo. Prob. ant. In quolibet ordine id est infimum, quod supremum infimi attingit, tunc enim si infra descendatur, jam alter ordo est; sed gradus ratiozinandi, in quo est homo, attingit supremum ordinis sensitivi: ergo. Patet min. quia supremum illius ordinis est imaginatio & phantasia; intellectio autem hominis sit medijs illis, & dependenter ab illis: non ergo est vera intellectio, si infra illam descendit, quam homo habet, sed mera erit sensitiva cognitio.

90 Hanc item contra se objicit P. Feixoò, resp. autem neg.

neg. min. ad prob. autem ait, quòd non ejusdem sunt essentiæ, quamvis sint rationalia, quia ratione utuntur inferioris ordinis: hanc autem explicans inferioritatem ait, quòd bruti discursus tantúm ad materialia objecta se extendit; ulterius autem non est supra proprium actum reflexivus; quod utrumque cùm habeat homo, altioris ordinis est ejus discursus, & diversæ essentiæ: hoc autem non tollit quin brutum aliqualiter discurrat, & unum deducat ex alio, ut equus stabulum videns, ubi aliquando pabulatus est, nisi prohibeatur, ad illud se movet, inferens nempe & deducēs se iterum pabulandum; felis sonum audiens, sub quo vapulavit, fugit, timens nempe iterum vapulare.

91 Sed hæc solutio argumentum non infringit, quod sic cōntra eam instauratur: aut in objecto materiali attingit bruti cognitio ipsum quid præscindens à quali & quanto, sive in eo quod quid est; aut tantúm attingit in eo quod est quantum & quale: Si 1. erit quidem rationalis illa cognitio, non autem aut limitata ad sola materialia objecta, aut alterius essentiæ ac hominis: Si autem 2. erit quidē alterius essentiæ, non verò rationalis cognitio, aut discursiva, sed meré sensitiva. Prob. assumptum: quantum ad 1. quidem, quia cognitio hōminis habet pro objecto ipsum quid in eo quod quid est: si ergo hoc ipsum habet illa bruti cognitio, ejusdem essentię est, & eandem habet latitudinem. Quantum ad 2. deinde: quæ enim à quanto & quali non præscindit, non nisi id attingit quod in specie sensibili repræsentatur; at deducere per discursum est aliud ex hoc attingere: non ergo discursum habet. Præterea: quòd rusticus idiota minus attingat, quàm Philosophus, aut quòd Medicus ad Mathematica non se extendat, non essentialem & specificam arguit diversitatem: non ergo alterius esset essentiæ discursus bruti, ex eo solùm, quòd ad aliqua objecta, non verò omnia se extenderet, ad quæ extenditur discursus hominis.

Rursus: eo bruti cognitio non est supra proprium actum reflexiva, quia ejus ratio specificativa non abstrahit à quanto & quali, quare ea non reperitur in ipso actu; at hoc ipso non potest deducere, seu aliud attingere ex eo, quod in sensibili specie sibi repræsentatur: non ergo discursu utitur. Aliud itaque est, quòd memoriam habeāt sensitiva, in qua species reservantur eorum, quæ aliquando attigit; aliud verò, quod ex eo quòd sibi in specie repræsentatur aliud deducat: illud 1. est

quòd

quòd in actibus reperitur equi & felis, sed hoc sensitivam cognitionem non excedit; hoc 2. ad discursum requiritur, hoc autem in brutis non datur.

92 Prob. 5. Si bruta ratione utantur, libertate polleât necesse est; sed absurdum est dicere bruta libertate pollere: ergo. Hanc item rationem innuit S. P. contra Faust. lib. 22. cap. 28. Hanc item contra se objicit P. Feixoò resp. autem duobus modis solvi posse: 1. neg. maj. ex quo enim ratione utantur, non sequitur libertate etiam uti; quia enim illa ratio non distinguit inter bonum & bonum, non habet electionis materiam, & consequenter nec libertatem. Resp. 2. dist. min. Repugnat libertate pollere morali conc. Repugnat libertate pollere purè physica, neg. min. Itaque, quia honestum non percipiunt, non possunt habere moralem libertatem, penès quam accipitur honestum & inhonestum in operationibus, possunt autem habere physicam: tum quia indifferentia quædam cernitur in eorum operationibus; videmus enim, quòd canis cum altero bellum parans quadam perplexitate quasi deliberat an aggrediatur, nec ne: tum etiam, quia hujusmodi libertas in amentibus, & pueris cernitur; hos enim honesti, & inhonesti in capaces esse nulli dubium est, libertatem autem habere aliquam ex eo deducitur, quòd suasione, minis, verberibus alliciuntur, ut hoc præ illo eligant, quod ineptissimè fieret nisi aliquam haberent libertatem.

93 Neutra solutio rationem illam solvit: non 1. ex quo enim ratione utantur, sequitur de necessitate, quòd illorum cognitio habet pro objecto ipsum quid, alioqui non se extendit ultra factam impressionem, & consequenter neque potest aliud inde deducere; si autem habet pro objecto quid, & attingere debet honestum, quod sub ratione quidditatis continetur, & discernere habet atque eligere: aut ergo ratione non utitur, aut vim habet eligendi. Præterea: libertas indifferentia est dominativa eligendi alterutrum, quaré quod ad unum determinatur, non habet libertatem, quod autem ad unum non determinatur illam habeat necesse est; sed nequit ad unum determinari, quod ratione utitur: ergo hoc libertate polleat necesse est. Patet min. Si enim ratione utitur, non determinatur ad impressionem ab objecto factam, sed inde potest aliquid aliud deducere.

Minus quidem potest stare altera solutio: physica enim libertas alia à morali novum quid

est hucusque inauditum, & rationi prorsus repugnãs: aut dominium habet determinandi alteram partem, aut non: si hoc 2. omnino non est liberras, neque ullomodo sui juris dici potest in eo quod non habet dominium: si autem illud 1. dicatur, in hoc formalissimè moralitas consistit, quòd ex se fecit, & potens non facere. Præterea: omnino repugnat tantúm & præcisé à convenienti moveri, & tamen ullomodo habere dominium determinandi, quod enim tantum à conveniẽti movetur, à magis convenienti magis movetur, quare ab ipso objecto determinatur, at supponit ipse tantum á convenienti moveri bruta: ergo. Rursus: quòd non discernit inter conveniens & conveniens nullomodo determinat, aut dominium habet; sed brutum juxta ipsum omnino non discernit: ergo.

Quod autem addit de cane quasi deliberante, habent quidem bruta operationes nonnullas rationalibus valde similes, ut inferius dicemus; sicut autem videntur illæ operationes rationales, non verò sunt, ita illa cunctatio apparet quasi deliberatio ad eligendum, non autem talis esse potest; ubi enim non est aliud & aliud bonum, esse non potest electio; fatetur autem ipse, quòd in brutis non est aliud & aliud bonum: illa ergo cunctatio nihil est aliud quam non sufficienter moveri irascibilem à sensibili objecto sine ulla deliberatione aut electione. Similiter quod de pueris & amentibus, ait, commentitium est: pueri quidem cum incipiunt ratione uti, incipiunt etiam deliberare & eligere, sed de his argumentum non procedit: amentes & ratione omninò carentes pueri alliciuntur suasione, aut deterrentur minis & verberibus, non secus autem ac bruta, non quidem ut eligant, sed ut hanc partẽ amplectantur, quæ est magis convenieus, cujus tamen convenientiam ipsi nescium discernere. Istæ sunt rationes quibus ipse ait communem sent. probari, & quas ut insufficientes rejicit, eis tamen, ut patet sufficienter illa sent. probatur, amplius autem ea patebit solvendo fundamenta ejus.

§. II.

Solvuntur argumenta.

94 ARg. 1. ex eo quod historici passim habent de mirabilibus brutorum quorumdam operationibus, quibus capacia ostenduntur cujuslibet disciplinæ, illarum etiam, quæ sine rationis usu exequi omnino non possunt,

sunt, ut hominum idiomata percipere, scribendi artem, & similia: quo ci ca famosum adducit elephantis factum, de quo proboscide in arena scripsisse ferunt græcis caracteribus sententiam: *Hic egomet scripsi.* Item de alio in exercitu Regis Antiochi, qui cum flumen oporteret transire, metuente elephantorum duce, à Magistro exclamatum est, quòd qui 1. flumen superaret, futurus esset elephantorum dux, quo audito unus quidam præcipiti audacia in flumen se projecit, quare & dux factus est, altero ducis insignijs expoliato, qui tamen pudore eo ductus est, ut voluntarié abstemius citò perierit: in his & similibus aliorum operationibus omninò erit rationis expers, qui rationis negaverit usum.

95 Sed quandoquidem arguens ipse his non multum fidit, dubiam quippé valde fidem habent, non est cur multum immoremur: multoties enim pro historia venditatur, quod mera est fabula, quia ex aliorum relatione historici multa desumunt, in quo sæpé falli contingit. Licét itaque bruta aliqua præ alijs sagaciora appareant & disciplinabilia, non tamen ultra id quod sensus patitur, & sensibilis impressio; hoc ergo tantum sensu hominũ idiomata percipere possunt, quòd nempe simul cum verbis, quibus instruuntur, factum ostenditur, quòd de quo debent instrui, & facti specie per sensus accepta, & in memoria sensitiva reservata, cum verba illa audiunt, ex specie, quam habent, excitantur ad illud factum, pro quo non requiritur discursus aut ratio, sed memoria tantum sensitiva; ultra hoc autem si dicatur bruta percipere hominum idiomata, mera est fabula.

96 Arg. 2. In brutis reperiuntur actiones supra totam spheram sensationis: ergo illis concedatur oportet rationis usus. Prob. ant. Avicula v. g. nidum construit ut propriam habeat habitationem; misso autem an in hoc operetur propter finem, non potest omnino negari, quòd aliquam habet advertentiam, & perceptionẽ boni illius quod quærit in hujusmodi operatione, si enim talem non haberet, aut omninò non moveretur, aut mera esset machina inanimis, ut vult Cartes. Tunc autem arguit: sensatio non nisi ad objectum præsens, & existens terminari potest; at actus ille non terminatur ad objectum præsens & existens: non ergo sensatio est, sed supra totam sensationis spheram, & sic rationis usus. Maj. inquit per se est evidens: quod enim actu non existit, nequit sentiri

ri. Ostendit itaque min. Actus ille præsensionis ad bonum terminatur, quod brutum quærit, puta convenientiam habitationis; hoc autem, ut patet, physicè & actu non est: ergo.

97 Resp. neg. ant. Ad prob. missō quod non benè ipse mittit, an ex intentione finis operetur; hoc enim debet potissimè examinari, cùm in hoc differant rationalia à non rationalibus, quòd rationalia finem sibi præstituunt, non rationalia verò finem intendunt sibi ab authore præstitutum, & quia his ab authore præstitutus est finis, non aliter & aliter habent pro libito operari; hoc, inquam, missō neg. maj. quam ipse supponit notam: non enim de necessitate terminatur sensatio ad objectum præsens & existens. Quod 1. fide patet, qua edocemur, quòd in Eucharistia non est panis, & quamvis intellectus fide instructus credat, quòd ibi non est panis, sensus tamen illam eandem immutationem patitur, quam acciperet à substantia panis, quia nempe panis species ibi sunt à quibus sensus immutatur. 2. ex hoc à ratione id ipsum patet: non enim sensus ad objectum in se ipso terminatur, sed in specie sua: non ergo est de necessitate sensationis, quòd objectum sit præsens & existens, sed sufficit illius species.

Præterea: memoriam in parte sensitiva omnes concedunt; si autem de necessitate haberet sensatio ad objectum præsens & existens terminari, otiosa esset omnino memoria: non ergo ipsum objectum requiritur præsens ad actum sentiendi, sed sufficit species ejus, quæ in memoria reservatur, & ita est in proposito; ex specie enim, quam in memoria habet avis, commodi, quod in habitatione reperit, movetur ad construendum nidum, quare non præsensio est ille actus, sed actualis sensatio.

98 Arg. 3. quo communem rejicit solutionem præcedenti arg. adhiberi solitam: dicitur enim communiter in his & similibus bruta moveri ab instinctu; sed instinctus iste nihil est: ergo ratione utuntur, qua sibi finem præstituunt à quo moventur. Prob. min. 1. quia vox illa nihil determinatè significat, quare recursus ad instinctum non solutio, sed tergiversatio est. 2. aut quòd dicitur instinctus, quidquid illud sit, puré sensitivum est; aut aliquid supra vim sensitivam: si hoc 2. dicatur, habetur propositum; si autem 1. tenet arg. prius factum, quòd nempe non nisi ad objectum præsens & existens potest terminari, quare ab eo non potest brutum moveri in operatione, qua con-

quo

modum quærit non existēs v. g. futuram habitationem.

99 Resp. neg. min. ad cujus 1. probationem liberrimè ipse statuit nihil significare, quia sibi latet, aut non occurrit significatum. Ad 2. dicitur, quòd puré sensitivum est; non autem tenet argumentum, ut jam patuit. Itaque N. B. D. in 2. dist. 26. q. 2. art. 3. id explicat quod Phil. nomine instinctus significat, nempe inclinationem ad proprium finem sibi ab authore præfixum: quia enim rationalia finem sibi præstituunt, & propriæ rationis actu quærunt, hæc agentia Deus movet quodam impulsu, motione, & excitatione, qua ad honestum allicit, bruta autem, quia non habent rationem, qua sibi finem præstituant, & ab eo moveantur, finem illis Deus ipse præstituit, & eo inter bonum & bonum non discernunt, quia illis non aliud bonum est, quàm quem sibi præstituit author: quia ergo hunc finem non habent actu propriæ rationis quærere, quo ad illum impellantur, inclinationem Deus indidit vehementem, & hanc dicit Phil. instinctum.

100 Arg. 4. Canis à quopiam percussus, ab illo postmodum fugit, si obviaverit, in quo triplex actus distinguatur necesse est: 1. quo percussionem percipit; si enim non percipit, nihil est, à quo postmodum fugiat: 2. quo illam percussionem, quam percepit, retineat; licèt enim perceperit, si nunc de facto illam perceptionem non retinet, non poterit nunc de facto moveri: 3. quo deducat posse iterum percuti ab eo, à quo semel percussus est; alioqui cur ab eo fugiet? Nunc autem: 1. actus mera sensatio est; at 2. & 3. plus apertè, quàm sensatio: ergo. Min. probat: de 2. quidem actu, quia rememoratio illa terminatur ad objectum non existens, licèt enim existat species percussionis, hæc autem non terminus est sed medium, supponit autem sensationem debere ad objectū præsens terminari. De 3. item actu, qui novus est usus illius speciei, non solùm eadem ratione patet, quòd non est sensatio, nempè quia non terminatur ad objectum præsens, sed ulterius ostendit ratione: canis fugit eo quod timet iterum percuti: ergo percussionem cōcipit ut futuram, aut saltim possibilem; sed ita concipere non potest sine discursu: ergo. Prob. hæc min. Canis ille futuræ percussionis speciem non habet, solum enim habet, quam accepit à præterita: ergo sola rationis exercitio potest apud se formare futuræ percussionis ideam. Patet conf. quòd enim species non repræsentat solùm

po-

potest illatione percipi, imò duplex requiritur illatio, altera, qua ex percusione deducat hominem sibi inimicum, & altera, qua ex hoc deducat fore, ut iterato percutiatur.

101 Resp. neg. suppositum, quòd triplex ibi actus interveniat, noster enim intellectus præscindendo multiplicat actus, canis autem vnum tantùm sentiendi actum ibi habet, quo hominem fugit ex præterita percussione inimicum, nec oportet futuram percussionem timere, sed præteritæ meminisse, quo hominem illud sibi apprehendat inimicum: tantùm itaque ibi est actus memoriæ, hic autem sphæram sensationis non transgreditur. Quod autem ait, speciem non esse terminum, sed medium: species quidem materialiter accepta pro eo, quod est, medium est, & aliud ab objecto, formaliter verò pro eo quòd repræsentat, est objectum ipsum, & terminus. Quod autem iterum supponit non nisi ad objectum præsens terminari actum sentiendi, jam dictum est supra; addimus autem, quòd in nobis dormientibus nullus exercetur rationis usus, alioqui libertatis etiam esset, & meritum haberent aut demeritum figmenta somniantium, quod aperte figmentum est: sentiendi ergo sunt actus illi; patet autem, quòd multa tunc percipimus non existentia in re, imò nec possibilia existere.

102 Resp. 2. dato quòd triplex ille actus interveniat, quod neuter est rationis, & de 2. jam patuit, quòd solius est memoriæ sensitivæ, de 3. autem dicimus, quòd non oportet illationem ibi intervenire, aut novam percussionis ideam, sed per cogitativam, seu sensum internum novum haberi usum illius speciei, quam in memoria habet canis: ex qua enim ratione caret, vehementissimũ indidit author conatum ad proprium commodum, quare cernuntur bestiæ sensu & sensitivis operationibus nobis præstare, de quo latè disserit S. P. cit. lib. de quant. an. à cap. 26. cùm enim illo eodem argumẽto moveretur Adeodatus, ut brutis rationem concederet & scientiam, & in exemplum adduceret Vlissis canem, qui post annos viginti dominum suum novit, ut habet Homer. reponit S. P. cap. 28. *Quid autem hoc putas esse, nisi vim quãdam sentiendi, non sciendi? Sensu enim nos bestiæ multæ superant, cujus rei causam non hic locus est, ut quæramus.* In cap. autem prec. jam coactus fuerat Adeodatus brutis rationem denegare argumento, quo S. P. illi probavit, quòd si bestiæ ratione utuntur, nobis præponendæ sunt, quare ait: *Cogor omnino aut scientiam bes-*

bestijs non concedere, aut nihil recusare, quin mihi meritò anteponantur; quantumcumque autem ingenio polleat arguens peracuto, non ego illum Adeodato patiar præponi, de quo S. P. lib. 9. Confes. cap. 6. Deo sic confitetur: *Horrori mihi erat illud ingenium.*

103 Arg. 5. Canis lepusculam insequutus, si ad trivium perveniat, 1. via quærit fugientis vestigium, non inveniens quærit item 2. cùm autem neque hac invenerit, non amplius quærit, sed 3. via sine inquisitione persequitur: ergo ratione utitur, & argumento quod Logici dicunt à sufficienti partium enumeratione, nempe: aut hac aut illac, aut tandem illuc lepus abijt; sed neque hac, neque hac: ergo hac abierit necesse est. In hujus argumenti confirmationem verba adducit D. Basil. hom. 9. in Hexam. qui illo eodem utitur argumento, sic habet: *Quæ sæculi sapientes per prolixum vitæ totius otium desidentes vix tandem invenerunt, argumentationum, inquam, rationumque nexus, in his, se se offert canis instructius à natura: nam cùm feræ vestigia, quam persequitur, investigat; si quidem invenerit ea pluribus se se findentia modis; divortia viarum singulatim, digressioneque, quascumque in partes ferant, ubi suo illo sagacissimo odoratu per lustravit, vocem prope syllogisticam per ea, quæ agit, elicit hoc pacto: fera quam persequor, aut hac, aut illa, aut illa divertit parte; atqui non hac, non item illa: restat ergo illam ista abijsse via; atque ita falsa tollendo verum invenire solet. Quid plus faciunt, qui pro linearum descriptionibus designandis tanta cum gravitate sedent, lineis que pulveri insculptis è tribus ubi duas propositiones subsiluerint ut falsas, in ea demum, quæ trium reliqua est, verum comperiunt.* Manifestissimus quidem hic locus est, in quo duo observat, in quibus magnam inesse ait vim: alterum, quod ait canem à natura edoceri *argumentationum, rationumque nexus*: ergo ratione utitur, cui soli competit argumentari: alterum, quòd ait, *quid plus faciunt* sapientes dum argumentantur, quasi dicat, nihil.

104 Resp. quòd argumenti solutio in ipsis est D. Basil. verbis, quibus potissimè innititur, non quidem in his, quæ adducit, sed in præcedentibus, quæ omisit, sic itaque locus incipit: *Et quidem canis expers rationis est, sensionem tamen obtinet parem propè dixerim rationi, quæ namque sæculi sapientes* & alia ut supra adducuntur: vides itaque sensum S. D. & verba directissimè intendere contrarium, nempé commen-

dat

dat authoris sapientiam, quæ talem dedit brutis sentiēdi vim, ut sine ratione illa agant, quæ rationi & discursui videntur similia; passimque tum illa tum præc. homil. dum bruta nominat, animalia dicit rationis expertia, seu ratione carentia: qua ergo fronte pro brutorum ratiocinio S. D. adducatur quispiam judicet. Ad formam itaque dato ant. neg. conseq. nihil enim id aliud est quam vis magna sentiendi, qua nobis bestiæ plerumque præponuntur, ut ait S. P. supra adductus, sivé ut ait D. Basil. sensionem habere rationi propé parem, quæ tamen sensio est, sive actus sentiendi.

105 Arg. 6. ex eodem facto: Determinatio exequendi feram 3. via ex conceptu provenit, quem canis habet de eo quod hac 3. via abijt, & iste conceptus ex alio oritur, quòd neque 1. via abijt, neque 2. Nunc arguit: aut illa determinatio actus est diversus à precedente, quo percepit non abijsse 1. via, neque 2. aut unus est actus: si illud 1. dicitur, manifestè patet, quòd est discursus, deductio nempe unius ex alio; at verò dici non potest 2. quòd nempe unus actus est: ergo. Probat. hanc min. tunc enim perfectius cognosceret brutum, quàm nos, siquidem quod nos multiplici actu percipimus, uno attingeret actu; patet autem quod perfectius est uno actu attingere conclusionem & principium ejus, quàm duobus ad id uti, quia hoc 2. potentialitatis est. Hac ratione D. Th. in 1. p. q 58. art. 3. negat discursum in Angelis, & eadem Angelus perfectior est in cognoscendo, quàm anima nostra, quia uno actu attingit, quæ nos non nisi multiplici.

106 Hoc argumēto (subjungit ipse) præoccupatum relinquitur quidquid de illa canis actione hucusque pro communi sententia excogitatum est: Dicunt nonnulli, quòd in illa actione perceptio intervenit discursui similis, quæ tamen discursus non est, sed mera sensatio. Hoc tamen, inquit, nihil dicere est; probanti enim aliquod se habere attributum, nihil responderet, qui diceret non tale esse, sed aliquid simile, evasio nempe ridicula hæc est. Sed certè qui ita respondet non quispiam de turba est, sed D. Basil. Mag. cujus verba libet iterum adducere: *Canis rationis expers est, sensionem tamen obtinet parem propè dixerim rationi.* D. ergo Basilius nihil respondet illi tuo argumento, & evasione utitur ridicula? Siccine licet de talibus loqui! Sed ad hoc cogitur, qui proprio tantúm tribuit judicio.

Ad-

107 Adducit deinde solutionem S. Th. & venia tanti D. illam rejicit: D. Thom. itaque in 1. 2. q. 13. art. 2. ad illud arg. resp. in hac & similibus brutorum operationibus rationem, electionem, aut activam ipsorum directionem non intervenire, sed à Deo dirigi, eo modo quo se ipsum dirigeret si ratione uteretur, aut quo sagitta non se ipsam in scopum dirigit, sed à sagittante dirigitur, & horologium ex artificis directione movetur: horum rationem assignat S. D. quia naturalia ad artem Dei comparantur, sicut artificialia ad artem hominis.

108 Contra hanc solutionem reponit 1. quòd tum principium, quo nititur, tum exempla, quibus utitur, aprimé quadrant sententiæ Cartesij, & magis pro illa, quàm pro communi adduci possunt: certe enim Cartesius eisdem utitur, quo ostendat bruta machinas esse innanimes, & eorum motus non aliter fieri, quàm horologij, ejusque solemne argumentum est, quòd quandoquidem potest limitata hominis scientia machinas fabricare, quibus perpetuum tribuit motum, negari non potest, quin Deus potuerit eodem modo bruta formasse. Reponit 2. quòd causæ 1. directio brutis non adimit vitam & vitalem suarum potentiarum usum, quare brutorum directio non est puré passiva sicut artificiati: habent ergo, non obstante illa directione, cognitionem, & de hac probat argumentum, quòd est rationis usus, quia in ea omnia reperiuntur indicia, quibus discursiva ostenditur. Insuper: illud principium, quòd naturalia ad artem Dei sicut artificialia ad artem hominis cõparantur, in ipso tenet homine: sicut ergo ex illo principio non deducitur, quòd homo non habeat rationis usum, neque item in brutis debet deduci.

109 Sed hæc é superficie tantum S. D. rationem attingunt: S. D. in illo art. de electione agit an ea brutis conveniat; & quia electio est mediorum ad finem, quare illis convenit eligere, quibus convenit finem intendere ostendit, quòd bruta non sibi præstituũt finem, sed ab authore illis præstituitur & ad illum diriguntur, ut inde pateat eis non competere electionem: quia tamen ex quo ratione utantur debent sibi finem præstituere, etiam ad propositum optima est illa solutio. Ad 1. quòd contra ipse reponit dicimus, quod utitur Cartesius principio illo & exẽplis, malè tamen applicatis: si enim infinitè superat ars Dei artem hominis, non id tantúm quod hominis ars tribuit artifi-

ciato deduci debet tribuisse Deum animatis: quandoquidem ergo ex fac. Tex. & ratione constat bruta vivere & se movere, quod artificiata non habent, non in hoc debet fieri paritas, sed in eo quod est finem sibi præstituere & ad ad ipsum dirigi; est enim imperfecta illa brutorum vita, & quæ ad hoc non attingit, quare quãtum ad hoc se habent ad Deum sicut artificiata ad artem hominis: principium ergo S. D. non absolutè debet accipi & quantum ad omnia, ut accipit Cartesius, sed determinatè quantum ad directionem in finem, ut accipit D. Thom. & hoc sensu patet, quòd non eo uti potest Cartesius.

Ad 2. utique Dei directio non adimit vitam brutis, propriam utique cognitionem relinquit, sed imperfectam, puré sensitivam, & quæ non sufficit ipsum in finem dirigere: absolutè ergo non est puré passiva illa directio sicut artificiati, quia relinquit se movere; quantum ad hoc autem, quòd est finem sibi præstituere, & ad illum se dirigere merè passiva est, & omnino sicut artificiati: non itaque de illa cognitione probat argumentum, quòd est rationis usus, quia non probat, quòd est sufficiès discernere inter bonum & bonũ, & brutum in finẽ dirigere. Ad id quod ulterius addit, jam patet quod falsum assumit; quia enim hominé fecit Deus rationalem, & capacem se in finem dirigendi, patet, quòd homo non se habet ad artem Dei sicut artificialia ad artem hominis quantum ad id, de quo intendit D. Th. patet ergo quod solutio S. D. sufficiens est.

110 Nihilominus directé ad formam resp. neg. sup. quòd multiplex ibi actus interveniat, & deductio unius ex alio, quare ad dilemma dicitur, quòd unus est actus. Ad rationem in contrarium neg. maj. ad cujus prob. dicitur, quòd perfectius est uno actu, quàm pluribus cõclusionem attingere & principia eodem genere cognitionis; secus autem quando attingere utrumque uno actu ex imperfectione oritur & confusione ipsius cognitionis. Ratio D. Th. de Angelis priori sensu procedit; at verò in proposito, ex eo canis una cognitione illam habet determinationem, quia ejus cognitio inferioris est ordinis, quare confusa & quæ minus discernit: comparativè quidem ad nostram cognitionem sensitivam perfectior est illa, propter rationem supra datam ex P. Aug. cum hoc tamen puré sensitiva est, & quæ non discernit sicut nostra rationalis: si Angelus illum haberet actum, & omnia attingeret clarè, quæ nos

ate-

attingimus, & uno actu, quare cognitione rationali sive intellectiva, & sine discursu; brutum autem unum quidem actū habet, qui tamen neque illa omnia attingit neque adeo clara cognitione, sed sensione percipit, quod sufficit ipsum movere.

111 Arg. 7. & est item replica, quam adducit contra illam D. Th. solutionem: bruta se ipsa in finem dirigere ferè ad sensum patet, videmus enim in aliquibus eorum operationibus totam illam actuum seriem, qua nos deliberamus & ad finē dirigimus: si ergo ex hoc deducitur rationis usus, brutis debet concedi. Prob. ant. Felis enim conspecto, quo possit uti, alimento, priusquam ipsum aggrediatur veluti secum ipse deliberans circunspicit an ab aliquo videatur, à quo possit in furto deprehēdi; deinde hac, illac incipit tentare, loca mutat, variè conatur quousque aut assequitur, aut re desperata discedit: quis hic veluti perspicilio non videt totam illam actuum seriem, qua homo dubitaret, consuleret, deliberaret, atque assequi tentaret: si ergo ista series rationem in homine indicat, debet illam in bruto indicare. Præterea: argumentum, quo contra Cartes. probamus bruta sentire, est quia videmus ea illos habere motus, quos homo habet in sentiendo; at hic videmus illos habere, quos homo habet in ratiocinando: ergo.

112 Resp. neg. ant. quia enim homo ad finem creatus est videndi Deum, oportuit illi tribui vim, qua honestum discerneret, & se in finem dirigeret: bruta autem, ut ipse fatetur, honestum non percipiūt, neque inter bonum & bonum discernunt, quare neque eligere illis competit, neque se in finem dirigere: Ad prob. ergo dicitur, quòd in tota illa actuum serie nihil est, quod terminos sensationis transgrediatur, quod enim viam quærit assequendi visum alimentum actus est appetitus sensitivi, quòd verò circunspicit an ab aliquo videatur, metus est, quo fugit, aut quod aliquando expertus est, aut quod naturalis inclinatio docet timere; quod tentat qua possit via assequi, ipsa imaginatio docet, quod vires hac parte non sufficiunt, illa sufficiunt assequi: nihil ergo ibi est rationale. Ad conf. neg. maj. non enim ex sola motuum apparentia movemur ad concedendam brutis vitam, sed ratione, quæ convincit alterius generis esse eorum motus, ac artificiatorum: neg. item min. non enim in his est aliqua similitudo cum operationibus rationalibus, ut jam patuit

113 Arg. 8. Actus numerandi rationis est proprius, ex Phil., neque ulli competit ratione non utenti; sed in brutis reperitur actus numerandi: ergo. Min. duplici probat exemplo: altero jumenti, quod die jovis aliquod laboris opus exercebat, à quo ut se liberaret, cunctis per circulum quintis ferijs è stabulo aufugiens mira sagacitate se occultabat: aliud exemplum est canis, qui cum dominum sequi soleret dominicis diebus aliquo euntem, dodominus tædio affectus ipsum, ne sequeretur, domi reclusit; ipse autem canis, ne iterum recluderetur, sequenti sabbato cavit, & locum anticipatè petijt, ubi ipsum dominus sequenti die invenit: in his apertè conspicitur, tum actus munerandi dies, tum usus rationis in præcavendo damnum quod timebant.

114 Resp. neg. min. Ad prob. dicitur, quòd in his & similibus exemplis bruta non numerant, sed sentiendi vi multo vivacius & vehementius, quàm nos impressionem percipiunt, quæ in memoria sensitiva reservatur, & redeunte temporis circulo appetitum movet. Pro his itaque & similibus brutorũ operationibus, quæ ad rationales videntur multum accedere, præ oculis habendum est quod Div. Dyonis. 7. de Div. nom. ait: *Ipsa Divina essentia omnium effectiva semper omnia cõcordans indissolubili, concordationis & ordinis causa semper fines primorum conjungit finibus secundorum.* Ex quibus N. B. D. in 2. dist. 32. q. 2. art. 3. & sæpe alibi deducit, quòd in quolibet rerum ordine infimum supremi attingit supremum infimi, ut in ordine sensitivo quod infimum est valdè accedit, & videtur non differre ab eo quod est supremum in ordine vegetativo, in ostreis v. g. & similibus vix vita sensitiva percipitur; sic è converso in eodem ordine sensitivo quod est supremum & perfectius valdé propinquum est infimo ordinis rationalis, debemus autem non sensu & apparentia in his duci, sed ratione, cujus potior pars debet esse majorum, & præsertim SS. sententiam sequi.

*****

QUÆS.

QUÆSTIO III.

DE POTENTIJS

ANIMÆ SENSITIVÆ IN COMMUNI.

ARTICVLVS I.

An potentiæ sensitivæ sint supra se reflexivæ?

115 DE hoc quærit B. D. in 2. de An. lect. 28. ad tex. 143. & ex his quæ ibi habet breviter difficultatem expediemus: non est idem quærere, an sensus sit supra se reflexivus, seu quòd idem est, an possit sensus percipere actum suum, ac quærere an ipse actus sentiendi sit quid sensibile, & possit sensu percipi; ut enim inferius dicetur, datur inter sensus internos potentia, quæ dicitur sensus communis, quæ omnium sensuum objecta & actus etiam attingit, quare actus sentiendi quid sensibile est proculdubio, & aliquo sensu percipitur: quæritur ergo an actus ipso sensu, cujus actus est, possit percipi per reflexionem, sicut intellectus supra suum actum reflectitur & cognoscit se cognovisse? Ratio dubitandi posset sumi ex his, quæ habet Phil. lib. 3. cap. 2. quo de hoc ipso quærit, supponit autem nos sensu percipere nos sensisse, ut visu cognoscimus nos videre: deinde tex. 140. ait, quòd idem est actus sensibilis & sensus, ut visio quædam est coloratio: in ipso ergo actu videndi ratio objectiva visus reservatur; at potentia potest attingere id, in quo ratio sua objectiva reperitur: poterit ergo visus ipsam suam percipere visionem, & sensus quilibet suam sensationem.

116 Dicendum nihilominus, quòd sensus non est supra actum suum reflexivus. Hæc conclusio communis est, nullus autem, quòd sciam, illam probat, seu veluti principium

pium supponunt, quòd sensus non est supra se reflexivus, illam triplici ratione probat B. D. ex quo. prob. 1. Potentia sensitiva est virtus materialis & organica, hoc est organo corporis affixa, & quæ non nisi eo mediante operatur, sed virtus materialis non est supra se reflexiva: ergo. Maj. nota, supponitur, & min. prob. B. D. 1. quia virtus supra se reflexiva libera est & sui juris; quæ autem est materialis, materiæ alligata est. Secùdo quia operari sequitur ad esse, & modus operandi modo essendi proportionatur: ergo virtus, quæ non est nata in se esse, non potest in se operari, & ad se terminare operationem suam; & virtus organica, qualis est potentia sensitiva, non est nata in se esse: ergo. Patet min. quia talis est organo corporis affixa; quia autem actus sentiendi in ipso est sensu, supponitur quod actum suum directé percipere, est supra se ipsa se convertere.

117 Prob. 2. Nulla virtus extensa est ad se conversiva; sed potentia sensitiva est virtus extensa: ergo. Min. nota supponitur, quia est organo corporis affixa & illi coextensa. Maj. est propositio Procli, quę sic probatur ab ipso: si extensum esset ad se conversivum, oporteret, quòd totum converteretur ad totum; sed hoc implicat: ergo & quod extensum sit ad se conversivum. Patet maj. quia si pars convertitur ad partem, non est ejusdem supra se conversio, sed alterius ad alterum. Min. prob. Si totum convertitur ad totum, quælibet pars ad quamlibet convertitur; sed hoc implicat in eo, quod est extensum: ergo. Prob. min. Si quælibet pars ad quamlibet convertitur, non est ibi distantia partium; sed tunc neque extensio erit: implicat ergo totũ esse extensum & partes à se distare, & tamen quòd quælibet possit ad quamlibet converti & totum supra se ipsum: virtus ergo, quæ est supra se reflexiva, debet esse inextensa: & quia talis non est virtus sensitiva, ea non potest esse supra se reflexiva.

118 Prob. 3. Sensus est potentia passiva, & sentire est quoddam pati; sed potentia simpliciter passiva non est supra se reflexiva: ergo. Maj. supponit B. D. quia illam habet Phil. in tex. supra, quem movetur illa dubitatio; eam nos art. seq. probabimus. Prob. itaque min. Passio de necessitate est ab alio: ergo sicut sensus non potest à se ipso pati, ita non potest se ipsum directé sentire, & sensationem suam percipere.

129 Hæc ratio patitur instantiam, contra illam ergo ipse B. D. arguit: Intellectus est

est potentia passiva, & totidem verbis asserit Phil. quòd intelligere est quoddam pati; sed nihilominus intellectus, nullo dubitante, est potentia supra se conversiva: ergo non tenet illa ratio. Maj. quamquàm communiter non teneatur, nobis certa est, & illam disp. seq. probabimus. Ad hanc instantiam ipse B.D. resp. quòd aliter passiva potentia est intellectus, aliter verò sensus: duplex enim est passionis genus; altera, quæ magis facta abjicit à substantia, seu quæ est destructiva passivi subjecti; altera, quæ est perfectiva, & quæ magis facta non abjicit; illa prior physica est hæc 2. intentionalis: tùm autem, passio physica & quę magis facta abjicit, de necessitate est ab alio, potentia enim activa hujus generis definitur, virtus transmutandi aliud in quantum aliud; altera verò passio non ita de necessitate est ab alio: quamvis ergo sentiatio formaliter non sit pati tali passione, quæ magis facta abjicit, cũ habeat fieri per speciem intentionalem, sensus autem est potentia passiva passione illius generis, sine qua non exercetur sensatio; ideo videmus, quòd sensus læditur ab exellentia sensibilium, non autem intellectus ab excellentia intelligibilium: ex illo ergo genere passionis, quam sensus, habet, non verò intellectus, deducitur, quòd sensus non est potentia supra se reflexiva.

120 Ad motiva dubitãdi resp. Ad 1. sensu quidem, discernimus nos sentire, ut visu cognoscimus nos videre; nõ autem directé percipiendo sensationem ipsam, sed indirectè: cum enim intenebris sumus v. g. sensu ipso videndi percipimus nos nihil videre, & quia contrariorum eadem est ratio & disciplina, sensu ipso, quo percipimus, nos nunc non videre, discernimus & judicamus de ipso actu videndi; hoc autem, ut patet, non est quod directè ad ipsum videndi actum habeat terminari visus, sed indirectè ad carentiam ejus, & hoc tantum modo discernit sensus de actu suo, quare inde non sequitur, quòd sit supra se reflexivus. Ad 2. neg. min. non enim sufficit, quòd in aliquo sit ratio objectiva sensus, sed aliunde requiritur, quòd ea possit in sensum agere, & sensum immutare ad actum sentiẽdi; hoc autem in ipso actu non reperitur, eo quod talis immutatio debet fieri in organo corporali: intellectus ergo, & quęlibet virtus non organica, potest à quocumque immutari, in quo reperiatur ratio ejus objectiva, & quia illa reperitur in actu suo, est supra actum suum reflexiva quælibet talis po-

potentia, non eo precisè quia ratio ejus est transcendens, & in ipso actu suo reperitur, ut aliqui malè supponunt, sed quia aliunde ipsa potentia non est organica, & non requirit corporalem proportionem ad id à quo debet immutari, quare potest immutari à quolibet, cujus contrarium cùm habeat potentia sensitiva, ea non potest ab ipso actu suo immutari.

ARTICVLVS II.

An potentiæ sensitivæ sint purè passivæ?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

121 PRæsens difficultas latiùs, & magis ex instituto expenditur disp. seq. de intellectu, quia tamen hìc de sensibus communiter quæritur, breviter, quę sufficiant, attingemus, cætera ibi quære. In primis quid sit sensatio ipsa expendendum est: Lerma hic ait, quòd sensus est, potentia quæ formas rerum sine materia suscipere potest, quam diffinitionem ait communem esse, & ex Phil. desumi; ex quo deberet colligi, quòd sensatio ipsa est talium formarum susceptio: patet enim, quòd actus susceptivi, in eo quod tale est, ipsa est susceptio; at item patet, quòd sensatio est actus sensus in eo quod sensus est: si ergo sensus ex definitione sua est potentia sic susceptiva, actus sentiendi nihil erit nisi ipsum suscipere. Præterea: formæ sine materia ab objecto causantur in sensu, ut omnes supponunt, neque aliter possunt in potentia causari nisi per medium: prius ergo in medio ipso causantur. Rursus: In speculo videmus formam sine materia recipi, nempe intentionalem objecti similitudinem. Vlterius: Intellectus etiam formas sine materia recipit: non ergo est sensus definitio, quòd sit susceptivus formarum sine materia.

Habet itaque Phil. propositionem illam in hoc 2. de An. tex. 121. quo postquam explicuit quæ cuique conveniunt sensui in particulari, ea pergit explicare, quæ omnibus communia sunt, quare ait: *Hoc autem universaliter accipere de omni sensu oportet; sensum, inquam, id esse quod sensibiles sine materia formas suscipere potest.* In hoc autem, ut patet, non intendit, quidditatem sensus explicare, sed aliquam proprietatem, quæ omni convenit sensui, ex quo non tollitur, quin ea alijs conveniat. Si itaque

què sensus non in hoc consistit, quòd sit virtus illius speciei susceptiva, neque sensatio in ipsa speciei receptione poterit consistere, sed sicut sensus est virtus, quæ non solùm recipit, sed vitaliter percipit illam immutationem per formam sine materia, ita sensatio in ipsa consistit vitali perceptione.

Hæret autem adhuc difficultas; ipse enim intellectus etiam percipit vitaliter impressionem causatam per formam sine materia. S. P. Aug. lib. de quant. an. cap. 23. & lib. 6. de Music. cap. 5. de hoc ex instituto agens ait, quòd sensatio est *passio corporis animam non latens*; quod enim sensus percipiat illam immutationem factam a sensibili in organo corporis sensatio est: quæritur itaque, qualiter exercetur potentia in hoc quod est animam non latère impressionem in corpore factam, an nempe passivè tàtùm, an activè aliquomodo?

122 Prima sent. docet se habere omnino activé, nempé quòd susceptа sensibili specie consistit sensatio in productione quadam, seu activa influentia sensitivæ virtutis. Pro hac cit. Jandun. & Apollin. Meritò tamen rejicitur communiter: quia vitalitas in causalitate purè & omnino activa salvari non potest; est enim vita ex communi omnium consensu motus á se & in se. Secúda itaquè sent. docet, quòd utrumque habet potentia sensitiva, & quod sit activa in eliciendo actum suum, & quod sit passiva recipiendo ipsum; dicitur autem absoluté potentia passiva, quia denominatio sumitur ex comparatione ad objectum; ad hoc autem sensus comparatur passivè, quia ab ipso immutatur & recipit actum 1. sentiendi, nempè speciem, qua fit in actu. Hæc est communis ferè omnium sent. uno dempto vel altero, qui infra pro 3. adducuntur, quare superfluum est pro ea nominatim AA. citare.

Hanc sent. ex instituto rejiciemus disp. seq. interim tamen, quod assumit falsum est: non enim ex comparatione ad objectum, sed ex modo, quo se habet ad actum suum, debet denominationem sumere potentia, tùm quia actu exercetur, tùm quia objectum non nisi medio actu attingit, quarè medio actu ab objecto dicunt ipsi specificari: si ergo negare non possunt, quòd sensus est potentia passiva, id quippe & Phil. & cæteri DD. passim asserunt, dici debet ad actum suum passivè se habere. Præterea: Dato quòd actum eliciat, quo objectum attingit, sentire formaliter est ipsum attingere seu percipere objectum, quare illud elicere quid prævium erit & præsup-

suppositum ad sensationem, ipsa autem sensatio in passione consistit, qua illo actu objectum percipit: erit ergo etiam hoc dato passiva formaliter in eo quod sensitiva est.

123 Tertia sent. docet, quòd potentiæ sensitivæ sunt omnino passivæ in actu sentiēdi. Dicitur quidem in actu sentiendi, quia cùm in quolibet exercitio vitæ anima per unam potentiam moveat, per aliam moveatur, ipsa potentia, qua movet, activè se habet, non autem hæc est, quæ percipit & sentit, sed quæ aliam applicat ut percipiat, quælibet autem in actu, quo proprium objectum attingit, passive se habet, & ipsum sentire percipere est. Hanc tenet, & ex instituto probat N. B. D. q. 1. de cog. Ang. & sæpe alibi; sequuntur communiter Nostri, & ex alijs cit. Niph. Thienens. Alb. M. & alij, esseque tum P. Aug. tum Phil. patebit inferius; not. autem quòd male traducitur à multis B. D. quasi teneat, quòd sensatio nihil est nisi speciei in potētia receptio, & sensum esse potentiam passivam eo precisè quod speciem recipit: non hæc est sent. ejus, sed ultra speciem recipere, sicut ea in medio recipitur, habet sensus vitaliter percipere id, quod in specie repræsentatur, & in hac perceptione sensatio consistit.

124 Dicendum itaque, quòd sensus omninò passivé se habet ad actum sentiendi. Prob. 1. ex P. Aug. lib. 11. de Trin. cap. 2. quo toto latè hanc habet sent. tria namque docet ad actum sentiendi concurrere, in quo vestigium quærit Trinitatis, nempe res ipsa, quæ sentitur, impressio ejus per speciem suam in potentia sensitiva, & intentio animæ, quæ hoc utrūque copulat, ait itaque: *Cùm igitur aliquod corpus videmus hęc tria, quod facillimum est, considerandа sunt, & dignoscenda: 1. ipsa res, quam videmus deinde visio, quæ non erat priusquam rem illam objectam sensui sentiremus: 3. quod in illa re, quæ videtur, quandiu videtur sensum detinet oculorum, id est, animi intentio. In his igitur tribus non solùm est manifesta distinctio, sed etiam discreta natura: 1. quippe, illud corpus visibile longè alterius naturæ est, quàm sensus oculorum, quo sibimet in vidente fit visio, ipsaque visio quid aliud, quàm sensus ex ea re, quæ sentitur, informatus apparet?*

Deinde: hoc idem prosequutus paulò ante medium ita habet: *Quo circa ex visibili & vidente gignitur visio, ita sanè, ut ex vidēte sit sensus oculorum, & aspicientis, atque intuentis intentio; illa tamen informatio sensui, quæ visio dicitur, à solo*

im

imprimatur corpore, quod videtur. Rursus: paucis interjectis ita ait: *Quæ cùm ita sint, tria hæc, quamvis diversa natura, quemadmodum in quandam unitatem contemperentur, meminerimus, id est, species corporis, quæ videtur, & impressa ejus imago sensui, quod est visio, sensus vi formatus, & voluntas animi, quæ rei sensibili sensum admovet in eoque ipsum visionem tenet. Cùm igitur horum trium tam diversæ substantiæ sint, tamen in tantam coeunt unitatem, ut duo priora vix intercedente judice, ratione discerni valeant, species videlicet corporis, quod videtur, & imago ejus, quæ fit in sensu, id est visio. Voluntas autem tantam vim habet copulandi hæc duo, ut & sensum formandum admoveat ei rei, quæ cernitur, & in ea formatum teneat.*

Longissimum esset omnia adducere, quæ ad hoc habet, legatur toto illo cap. item cap. 8. & 9. ejusdem lib. & cuique patet, quòd sensum intendit nostrę conclusionis, quòd nempe motus vitalis in sentiendo nihil est aliud, quàm quod sensus postquam speciem objecti in se habet, per intentionem voluntatis, seu appetitus applicatur & illi unitur, quo eam percipiat, quare anima movet per illam intentionem, qua applicat, & movetur per potentiam, qua percipit, & sensatio nihil est aliud, quàm sensus formatus sivè informatus illa specie, quòd non est precisè speciem in se habere, ad hoc enim animi intentio non requiritur, cùm ea recipiatur in medio, & in ipsa dormientis potentia, sed est illam habere suo modo, nempe vitaliter illam percipiendo: actus ergo sentiendi in potentia sentiente nihil est nisi hæc perceptio, & consequenter passio quædam. Hoc iterum ex S. P. oportebit inferius ostendere de intellectu.

125 Prob. 2. ex Phil. hic cap. 5 quo à tex. 51. explicare incipit vim sentiendi, & quòd sensatio est passio quædā, ait itaque: *Fit itaque sensus cum movetur atque patitur aliquid, uti diximus; nam ipse sensus alteratio quædam esse videtur.* Quibus verbis nomine sensus actum ipsum sentiendi significat, ipsa enim potentia neque fit, neque alteratio est: ait ergo, quòd exercetur sensatio quatenus potentia patitur, quia ipse actus sentiendi est alteratio & passio quædam, nempe sumendo latè alterationem, quo sensu ait, quòd visio est quædam coloratio, patet enim quod actus sentiēdi non talis est alteratio, in quo passio magis facta abjicit à substantia. Mitto alia quoniam ex hoc loco sufficienter deducitur conclu-

sio nostrâ. Mitto item loca adducere B. D. quoniam de mente ejus nullus dubitat, vid. cit. q. 1. de cog. Ang.

226 Prob. 3. ratione, quæ ex Phil. deducitur, & sic potest formari. Idem est actus sensibilis, & sensus in eo quod talia sunt; sed actus sensibilis ipsa est impressio, qua sensum immutat, prout ea est à sensibili: ergo actus sensus, qui est sensatio, ipsa eadem est immutatio prout á sensu percipitur, sivè prout in eo est vitaliter, & modo suo, & consequenter potentia est passivè se habens in actu sentiendi. Maj. est Phil. tex. 138. quo enim probet eodem sensu, quo sentimus percipere nos sentire, duas assumit propositiones; alteram, quòd actio non in eo quod agit est, sed in eo quod patitur, & universaliter motus non in movente, sed in moto est, & hanc habet tex. 139. alteram, quòd sensibilis & sensus idem est actus, sicut moventis & moti, & universaliter agentis & passi: sicut ergo calefactio unus est actus calefacientis & calefacti, illud nempe idem, quod prout à calefaciente est calefactio actio, prout in calefacto est calefactio passio; ita in proposito illud idem quod prout à sensibili est actus ejus & immutatio potentiæ, quamvis proprium nomen non habeat, hoc ipsum prout in sensu est sensatio, nempe actus ipsius sensus.

Not. autem, quo vis rationis percipiatur, quòd dicitur in quod talia sunt: quia tam res sensibilis, quàm sensus ipse potest accipi ut res quædâ est; & ut est potentia vitalis & perceptiva: materialiter & ut res quædam est, actus objecti est speciem causare, & potentiæ, illam recipere sicut ea reciperetur in medio; formaliter verò ut est tale subjectum, nempè potentia vitalis & perceptiva actus ejus est tali modo immutari & recipere speciem, nempè vitaliter & percipiendo quod ipsa rep ræsentat: est ergo actus sensus in eo quod est talis potentia seu quod idem est, actus sentiendi, ipsa immutatio ut sic percepta, seu ut in sensu est modo quo ipsi competit eam recipere, & sic passio quædam.

227 Prob. 4. alia ratione, quæ ex eodem Phil. deducitur cit. cap. 5. quo intendit quòd sensus potentia est, quæ actu ipso sentiendi reducitur ad actum, non autem potest se ipsam reducere, sed à sensibili reducitur, quare passiva est, sic formatur ratio: Sentire est potentiam sensitivâ in eo quod talis est ad actum reduci; sed potentia sensitiva ut talis est, in hoc quod est ad actum reduci se habet passivè: Ergo. Maj. patet ex terminis, ex hoc enim, quod

quod speciem recipit, non reducitur ad actum in eo quod est potentia sensitiva, cùm mediũ etiam recipiat speciem, quare in eo formaliter quòd est potẽtia sensitiva, ad actum reducitur ipso sentire, sivé actu sentiendi. Ostenditur min. Activé reducere de potentia ad actum non ei competit quod est in potentia, sed ei quod est in actu; sed ipsa potentia pro priori ad ipsum sentire in potentia est ad ipsum actum sentiendi etiam ut habet speciem: non ergo ipsa se ipsam active reducit, sed ab alio reducitur, & sic passivè se habet. Patet hæc min. quia etiam ut habet speciem pro priori ad exercitè sentire non actu sentit, sed sentire potest.

128 Prob. 5. alia ratione quæ ex P. Aug. deducitur: Sensatio est passio corporis animam non latens; sed hoc nullum includit activum exercitiũ ipsius potentiæ quæ sentit: ergo. Maj. est definitio sensationis, quam totidem verbis habet S. P. de quant. an. cap. 23. & lib. 6. de Mus. cap. 5. Min. ex ipsis patet terminis, quod enim passio est corporis significat organum ab objecto immutari, quòd vero animam non latet nihil significat aliud nisi quod percipit, & suo modo capit ipsa potentia, quod quodammodo pati est.

129 Prob. 6. Hoc precisé intellecto quod sensus immutatus à sensibili applicatur per intentionẽ animæ ut capiat & percipiat id, quod in illa impressione repræsentatur, intelligitur sensatio; sed in hoc nullum est activum exercitium ipsius potentiæ sentientis: ergo vel solo titulo superfluitatis activus concursus sufficienter excluditur, & dici debet potentia passiva. Patet maj. quia in eo est movere & moveri animę, in quo consistit vita, & percipere, quod est sentire. Patet item min. quia illud percipere est manifeste se habere passivé.

§. II.

Solvuntur argumenta.

130 ARg. 1. ex Phil. lib. 2. de An. tex. 36. quo ait, quòd anima est effectiva causa vitalis motũs. Rursus de sens. & sensib. cap. 2. ait, quòd sensibile facit agere sensum. Præterea: lib. 9. Met. Text. 16. ait, visionem esse actionem immanentem. Ex his arguitur: Si sensus se habet passivè ad actum sentiendi, neque ille actus est effectivè ab ipso, neque est vitalis aut immanens; sed hæc omnia debet habere juxta Phil. ergo. Prob. maj. Si enim sensus se habet passivè, ille actus causa-

satur effectivè ab objecto in ipso sensu ; sed actus immanens debet manere in eodem à quo causatur : ergo. Rursus : actus vitalis procedit activé elicitivé à principio vivente, est enim se movere ; sed si sensus se habet passivé non procedit actus sentiendi activè elicitivé ab ipso: ergo.

131 Resp. quòd loca Phil. nihil convincunt ad propositum, cùm clara adeò sint, quæ pro nostra conclusione adduximus. Ad 1. verum id est, quòd Phil. asserit, cùm enim vivere sit se movere, non viveret anima si non causaret motum, quo vivit, effectivè sive ut principium unde est motus; hinc tamen non sequitur, quòd ita causat per ipsam potentiam, qua sentit : causat ergo activé per intentionem, qua applicat, & passivé per potentiam, qua percipit, quod est sentire. Ad 2. liber ille non habet capitum divisionem, quare non facile est locum invenire, sensus tamen patet, nempe quod sensibile facit sensum exerceri ; agere enim & operari latius patent, quàm activam influentiam habere : significat ergo ly *agere* exercitium, sive operationem sensus, quæcumque illa sit.

Ad 3. locus ille magis pro nobis, quàm contra nos est : asserit utique Phil. quòd visio est actus immanens, non autem quòd talis actus sit actio, aut influentiam activam importet illius, cujus est actus : intendit itaque, quòd actus operantis opus est, quo exerceatur ; aliquando verò tale opus terminum habet, quem ponit, ut edificatio domuum ; aliquando vero non ponit terminum, ut visio : ait deinde, quòd quando operatio ponit terminum, non in operante est, sed in operato, ut edificatio non est in edificante, sed in domo edificata ; quãdo verò terminum non ponit, in ipso manet operante, ut visio in vidente est, non in re visa, verba hæc sunt: *Quorumcumque itaque aliud quiddam præter usum est id, quòd fit horum actus in eo, quod fit, est; ut ædificatio in eo, quòd ædificatur, & contexio in eo, quod contexitur, similiter de alijs, & omninò motus in moto : quorum verò non est aliud quoddam opus præter actionem, in ipsismet actio est, ut visio in vidente.* In his autem nihil est, quòd contra nos esse possit, imò indicat apertè, quòd actus immanens non vera actio est, & influentia, quæ terminum ponat, sed exercitium tantúm, quo attingitur, hoc est, percipitur pro modo potentiæ attingentis.

Ad formam itaque neg. maj. Ad prob. ejus neg. maj. nam ille actus, ut est vitalis

motus causatur activè ap ipsa anima per intentionem, qua applicat potentiam sentientem ut percipiat, ut videmus ex P. Aug. ab objecto autem causatur ut est realitas quædam, nempè immutatio per speciem, quâ potentia vitaliter percipit: duplex ergo passio debet accipi in in ipso sensu; altera qua speciem recipit & ea immutatur eodem modo ac talis species in medio recipitur, hæc activè causatur ab objecto, sed hæc non est vitalis neque immanens; altera passio est, qua immutationem illam percipit, quod est sentire, hæc vitalis est & immanens, & causatur activè ab ipsa anima vivente per intentionem, qua potentiam applicat, quarè manet in ipso vivente, à quo est. Ad 1. dist. maj. Procedit activè elicitivè à principio *quo*, neg. maj. Procedit à principio *quod*, nempe toto, quod vivit, & cujus est se movere, conc. maj. solutio patet ex jam dictis.

132 Arg. 2. fundamento, quo Scotus arguit contra sent. B. D. in 1. dist. 3. q. 7. Si sensus se habet passivè in actu sentiendi, visio v. g. ipsa est species in oculo recepta; sed hoc implicat: ergo. Maj. habet expresè B. D. ex P. Aug. in verbis supra adductis. Prob. min. Si visio est species in oculo recepta, medium deberet dici videns; sed hoc apertè implicat: ergo & illud. Prob. maj. Species eadem in medio prius recipitur, quàm in oculo: si ergo ipsa in oculo recepta est visio, etiam esse debet recepta in medio, imò magis in medio, objectum enim magis agit in magis propinquum, patet autem quod magis propinquum est medium. Rursus: in medio causatur species ab objecto ipso; in potentia autem non ab objecto, sed à specie, quæ est in medio.

Nec refert dicere, subjungit Scotus, quòd in oculo est visio, non autem in medio, quia in oculo, non in medio est virtus videndi. Nihil hoc refert: quia si ipsa species est visio, ubicumque ea ponatur visio esse debet. Rursus: contingit aliquãdo, quòd species imprimitur in oculo dormientis, videmus enim, quòd excitatur à sensibili: excellente, ut à luce; non autem excitaretur, si nihil sibi imprimitur: tum est ibi species, & virtus sentiendi; & tamen non est ibi visio: ergo. Adde: subjectum, quod capax est & virtutẽ habet recipiendi aliquã formam, capax est & virtutem habet recipiendi effectum ejus & denominationem: si ergo ipsa species recepta est visio, implicat, quòd ea recipiatur in medio, & quòd ibi non sit virtus videndi; patet autem,

quòd

quòd ea in medio recipitur, item quòd ibi non est virtus videndi: relinquitur ergo, quòd ipsa recepta non est visio.

133 Resp. quòd illa propositio est P. Aug. ut in verbis ejus supra adductis patet, quare arg. directé est contra ipsum, quod in Scoto mirum est, vix enim art. habet, quem ex P. Aug. non conetur deducere: sensum ergo debuit querere illius propositionis. Itaque species in oculo recepta potest duobus modis accipi; aut purè phisicé & non vitaliter, & hoc modo etiam in medio recipitur, sed hoc modo non est visio aut recepta vitaliter & modo proprio ipsius potentiæ, hoc est percepta, hoc modo est visio, hoc sensu loquitur S. P. & ex eo B. D. patet enim, quòd requirit intentionem animæ, ut autem phisicè recipiatur nulla requiritur animæ intentio, sic enim recipitur in oculo dormientis; hoc 2. modo non recipitur in medio. Ad formam itaque dist. maj. Visio est species in oculo recepta, phisicè, neg. maj. Recepta vitaliter & modo proprio ipsius sensus, conc. maj. Hoc sensu neg. maj. prob. non enim sic recipitur in medio. Quo patet ad replicam: ubicumque ponatur species illo modo recepta nempè vitaliter; visio est; & quia in oculo dormientis hoc modo non ponitur, sed tantùm phisicè, nempè, deficit ibi intentio animæ, in eo non est visio, etiam si ibi sit virtus videndi: similiter quod est capax formæ isto modo habendę, est etiam capax effectus & denominationis ejus; medium autem non est capax hoc sensu.

134 Arg. 3. ratione, quæ item ex Scoto deducitur: Major conatus & attentio potentiæ reddit actum sentiendi perfectiorem: ergo potentia non se habet passivé in actu sentiendi. Ant. experientia notum est. Prob. conseq. Tum quia conatus & attentio concursum activum significat: tùm quia in hoc quod est pati & recipere impressionem causatam ab objecto non est magis & minus. Resp. neg. sup. ant. quòd illé conatus sit ipsius potentiæ sentientis; est enim animæ, quæ per intentionem, qua applicat, magis aut minus applicat ipsam potentiam sentientem. Præterea: licèt non sit magis & minus in eo quòd est ab objecto immutari, est tamen in eo quod est ipsam immutationem percipere.

135 Arg. 4. Actus sentiendi perfectior est & diversæ lineæ ac objectum & species ab objecto causata; sed hoc ipso neque potest causari ab objecto, neque esse ipsa species sen-

sui

sui impressa: ergo. Resp. dist. maj. Actus sentiendi sumptus formaliter pro motu vitali perceptionis perfectior est, conc. maj. Sumptus realiter pro eo quod percipitur, neg. maj. & eodem sensu min. cum conseq. Itaque sicut calefactio realiter significat ipsam realitatem caloris ut est ab agente, formaliter verò significat ipsam habitudinem, sivè exercitium, quo est ab agente; ita sensatio formaliter est motus ipse vitalis perceptionis, realiter autem est ipsa species quæ percipitur: priori modo perfectior est & altioris ordinis, nempe est vitale exercitium; sed hoc sensu neque est ipsa species, neque ab objecto causatur, sed est motus vitalis activè causatus ab anima per intentionem, qua applicat potentiam ut percipiat; posteriori modo ab objecto causatur, & est ipsa species, non autem alterius lineæ.

136 Arg. 5. Ab objecto & potentia paritur notitia; sed actus sentiendi notitia quædam est: ergo ab utroque producitur, & consequenter potentia non se habet passivè. Maj. est commune principium, quod ex P. Aug. desumitur lib. 9. de Trin. cap. 9. Resp. quod locum P. Aug. ex quo illud principium desumitur, ex instituto examinabimus inferius agentes de intellectu, de quo ibi loquitur S. P. interim tamen verba accipe, quæ S. P. illis subjungit: *Unde eleganter in latina lingua parta dicuntur, & reperta atque comperta, quæ verba quasi à partu ducta sonant.* En quo sensu parta dicitur notitia, quasi reperta atque comperta, non quasi producta, ut malè communiter accipitur. Ad formam itaq; dist. maj. Paritur, hoc est producitur, neg. maj. Paritur, hoc est reperitur, conc. maj. & neg. conseq. vide latius dicenda loc. cit.

137 Arg. 6. ratione, quam contra se objicit B. D. Sensatio causatur à specie impressa in potentia: ergo non est ipsa species à potentia percepta. Resp. B. D. cit. q. 1. de cog. Aug. §. *sciendum ergo*, quòd sicut actio & passio unum & idem dicunt, & tamen actio est causa passionis, quia enim agens agit, passum patitur, non è converso, ita fiat, quòd species causa sit sensationis, & tamen sensatio ipsa sit species percepta; nempe formaliter ut est ipsa vitalis perceptio sequitur ad impressionem à specie factam, & quodam modo ab ea causatur, cum quo fiat, quòd ipsa, sit species percepta loquendo realiter, quia non aliam realitatem significat. Cætera, si quæ sunt, ex his poterunt solvi, aut attingentur cùm ordine disp. seq. cum de intellectu hoc idem quæramus.

ARTICULUS III.

An detur sensus agens?

§. I.

Expenditur difficultas de sensibus externis.

138 IN cognitione intellectiva præter intellectum, cujus est percipere & cognoscere, qui dicitur passibilis, ponitur intellectus agens, cui competit speciem denudare à phantasmatibus, & reddere intelligibile in actu quod erat intelligibile in potétia: quæritur ergo an etiam in cognitione sensitiva sit dare sensum agentem; & quia diversa ratio est, & major difficultas de internis, ac de externis sensibus, quærimus seorsim & 1. de sensibus externis, acturi de internis §. seq. Prima sent. affirmat. Hanc tenet. Com. in 2. de An. tex. 60. ubi ait, tacuisse Phil. de sensu, quia clarius id patet quàm de intellectu; pro eadem sent. cit Jand. Javel Niph. & tenet atque ex instituto probat N. Tolet. in 2. de An. q. 6. art. 2. Communis cæterorum sent. negat. Hanc probat B. D. in Quodl. 3. q. 12. qua de hoc ipso quærit.

139 Dicendum, quòd non datur sensus agens. Hanc conclusionem probat B. D. duplici ratione: 1. sumitur ex differentia sensus ad intellectum, sic potest formari: Licet secundum Phil. ubi est aliquid fieri, sit de necessitate dare virtutē, quæ sit tale aliquid facere, quia cuilibet passivo correspondet virtus activa, quòd tamen talis virtus sit subjecto conjuncta ipsi passivo, quòd est tale fieri, contingit ex perfectione ipsius subjecti; sed in genere cognoscitivo intellectus tenet gradum perfecti, sensus verò imperfecti: ergo licet in intellectu illa virtus, quæ est intellectionem facere sit subjecto conjuncta ipsi intellectui possibili, qui est intellectionem fieri, & proinde dicatur intellectus agens, in sensu tamen non est ita conjuncta; & consequenter dici non potest sensus agens. Maj. explicat B. D. quia enim lignum est navem fieri, oportuit ponere navifactivam, quæ sit navem facere, & universaliter quia materia est quodlibet generabile fieri, ponimus virtuten activam, quæ est generationem facere; neque tamen navifactiva est in ipso ligno, sed est ars in mente artificis, neque virtus generativa in ipsa materia generabili, seu in eo quod est tale fieri.

140 Altera ratio sumitur ex comparatione actus sentiendi ad actum intelligendi, & talis est: Intellectio causatur im-

immediatè ab eo, quòd est intelligibile in potentia; at sensatio causatur immediatè ab eo, quod est sensibile in actu: ergo licet oporteat ponere intellectum agentem, virtute cujus intelligibile in potentia fiat intelligibile in actu, & causetur ipsa intellectio, non tamen oportet ponere sensum agentem. Maj. patet: causatur enim actus intelligendi immediatè à specie, quæ est in phantasmate, quæ proculdubio est in actu sensibilis, & intelligibilis tantum in potentia, cum phantasia sit virtus organica & sensitiva. Patet item min. quia actus sentiendi non ab objecto ipso, sed à specie, quæ est in medio causatur, & eo sensibile positum supra sensum non facit sensationem, ut est commune proloquium ex Phil. quia medium requirit, in quo causetur species sine materia, à qua debet sensus immutari; licet autem objectum ipsum sit sensibile tantum in potentia, quia sensus immutari debet intentionaliter, & per speciem sine materia, & species in medio causata in actu sensibilis est.

141 Posset 3. probari: quia sensus agens deberet esse virtus organica in ipso sentiente; sed in nullo sensitivo organum agnoscitur proprium illius virtutis: ergo. Conf. Sensus agens deberet agere in objectum sensibile, ad hoc enim ponitur intellectus agens; sed non sensus in objectum, sed è contra objectum agit in ipsum sensum: ergo. Prob. min. quia unumquodq́ agit ut est in actu, at verò sensus ad percipiendum objectum est omnino in potentia, objectum verò, saltem ut in specie sua repræsentatur, est in actu perceptibile, & potens immutare: non ergo sensus in objectum in ipsum sensum est agens. Amplius patebit conclusio solutione eorum, quæ objiciuntur in contrarium.

142 Arg. 1. N. Tolet. ex Phil. 3. de An. tex. 17. In omni natura, in qua est dare unum, quod est omnia fieri, est dare alterum, quod est omnia facere; sed in natura sensitiva est dare sensum, qui est omnem sensationem fieri: ergo est dare sensum, qui est omnem sensationem facere, & talis erit sensus agens. Tota hæc ratio est Phil. loc. cit. & ea probat, quod est dare intellectum agentem, ea autem æquè probat de sensu; eo namque intellectus est omnem intellectionem fieri, quia; est cujuslibet susceptivus; pariter autem sensus est susceptivus cujuslibet sensationis.

143 Resp. quòd sensus Phil. disparitas qua intellectus ad sensum, jam supra patuit in 1. ratione conclusionis, & quod ille sit sensus Phil. ex ipso patet

tet tex. exemplificat enim ibi de arte; patet autem, quòd ars, quæ est artificiatum facere, non est subjecto conjuncta cum ipso, quod est artificiatum fieri. Ad formam ergo dist. maj. Est dare alterum quod est omnia facere, idem subjecto & denominatione cum eo, quod est omnia fieri, neg maj. patet enim, quòd in ipso ligno, quod est navem fieri, non ponimus virtutem, quæ sit navem facere: Est dare alterum quod est omnia facere, quod tamen potest esse separatum & aliam habere denominationem, conc. maj. ex quo sequitur quod est dare virtutem, quæ sit sensationem facere, non autem hæc erit in ipso sentiente, neque proinde sensus agens.

144 Arg. 2. idem. Operatio vitalis debet esse à principio vitali non solùm receptivè, sed etiam, imò magis elicitivè; sed sensatio est operatio vitalis: ergo præter sensum à quo sit receptivè debet poni sensus à quo sit elicitivè, & talis erit sensus agens. Ostenditur maj. Si enim non est elicitivè ab ipso principi vitali, tunc erit elicitivè ab objecto, quo dato patiens erit nobilius & præstantius agẽte, quod implicat, nempè patiens erit vitale, agens verò non vitale. Ostenditur item conseq. quia præter sensibile & sensum nihil ad sensationem concurrit: si ergo agens non est ipsum sensibile, erit sensus.

145 Resp. dist. maj. Debet esse à principio vitali *quod* conc. maj. Debet esse à principio vitali *quo* eodem, cujus est receptivè, neg. maj. Itaque vitalis motus est activé ab ipso vivente per intentionem, qua applicat; ista autem intentio applicans non est sensus agens, sed appetitus, quare neg. prob. conseq. quia ut vidimus ex P. Aug. præter sensibile & sensum requiritur intentio animæ copulans utrumque. Ratio autem maj. à quolibet debet solvi, omnes enim supponunt, quòd objectum quodlibet immutat potentiam cujus est objectum, & in illam agit; potentia autem licet sit vitalis, in eo, quod ab objecto patitur, non se habet vitaliter, quare cum aliunde objectum sit in actu, ipsa autem in potentia, relinquitur, quòd agens, quatenus tale, præstantius est patiente.

146 Arg. 3. idem: In omni actione æquivoca requiritur agens commune, virtute cujus particulare agit; sed actio sensibilis in sensum est æquivoca: ergo præter particulare agẽs, quod est ipsum sensibile, oportet ponere agens virtute cujus tale sensibile agit, & hoc erit sensus agens. Ratio, qua utra-

que

què patet præmissa, est quia actio æquivoca illa est, qua non inducitur ipsa forma agentis in passum, aut non secundum modum, quo est in agente, quare oportet ponere aliquid superius, virtute cujus ipsum agens agat; tunc autem patet, quòd sensibile immutat sensum intentionaliter, & per formam sine materia: oportet ergo aliquid ponere, virtute cujus sic immutet, & hoc erit sensus agens, sicut patet idem consideranti de intellectu.

147 Resp. 1. quòd ratio instatur de facili: agens enim commune & æquivocum non est ejusdem ordinis & speciei in qua est operatio, ad quam cõparatur æquivoce; at sensus agens in eodem esset ordine cum actu sentiendi: illud ergo agens, virtute cujus sensibile immutat sensum, non potest esse sensus agens. Resp. 2. directè concesso toto syllogismo neg. sub illatũ, quod tale sit sensus agens: quia ergo objectum debet causare speciem sine materia, quod quodammodo supra se est, debet poni aliquod superius agẽs, virtute cujus sic immutet; quia tamen tale separatum est & extra ipsum sentiens, & quo objectum non in sensum agit, sed in medium, in quo causat speciem, tale non est virtus ipsius sentientis, & proinde neque sensus agens. N.B. D. ait, quod sicut motus & transmutatio in istis inferioribus à motu & influentia dependet supercælestiũ, cessante enim motu cœli cessabit transmutatio; ita virtute alicujus influentiæ nobis occultæ objectum, quod materiale est habet causare in medio intentionalem speciem sine materia; quæcumq; autem sit illa influentia, propter datam rationem non potest esse aliqua virtus ipsius sentientis, quarè neque sensus agens.

148 Arg. 4. idem, quod est fundamentum Com. Ideò ponitur intellectus agens, quia phantasma, à quo debet immutari intellectus, habet esse sensibile in actu, quare oportet ponere aliquid, quo elevetur, & virtute cujus causet intelligibilem speciem, & hoc est intellectus agens; sed magis patet quòd sensibile objectum habet esse materiale: ergo pariter debet poni sensus agens, virtute cujus causet speciem sine materia. Resp. neg. conseq. tantùm enim sequitur, quòd debet poni aliqua virtus superior, & hoc concedimus, non autem quòd ea sit sensus agens. Ratio disparitatis est: quia phantasma est in ipso intelligente, & immutat immediatè ipsum intellectum, quarè id virtute cujus sic immutat, est virtus ipsius intelligentis, & potest dici intellectus agens; at objectum est in

in re extra, & non immediatè sensum, sed medium immutat, quare id, virtute cujus immutat, non est virtus ipsius sentientis, & sic neque sensus agens.

149 Arg. 5. idem: Sensibile in potentia non potest causare actum sentiendi nisi virtute alicujus, à quo fiat in actu sensibile, & hoc erit sensus agens; sed objectum in re est sensibile in potentia: ergo. Patet maj. quia eadem ratione ponitur intellectus agens, quia unumquodque agit ut est in actu, quarè sensibile debet in actu fieri ut causet sensationem. Patet item min. quia sensus immutatur intentionaliter; objectum autem in re extra habet esse materiale. Hoc eandem habet difficultatem ac præcedens, quarè eodem modo dicitur, quòd id quod est sensibile in potentia non in sensum agit, sed in medium, id autem, quod agit in sensum species est in medio causata, quæ est in actu sensibilis, quarè non requiritur virtus activa ipsius sentientis, quæ sit sensus agens.

150 Arg. 6. idem contra doctrinam superius datam ex B. D. Illa operatio cujus agens est subjecto separatum ab eo quod patitur, & in quo est operatio; sed si illud agens virtute cujus sensibile movet sensum non est virtus ipsius sentientis, & sensus agens, sed ignota aliqua influentia, tunc agens illius operationis est subjecto separatum: ergo operatio sentiendi non erit immanens, quod est inconveniens. Resp. neg. min. non enim objectum agit in sensum, sed in medium, & à specie, quæ causatur in medio immutatur sensus per se & propria virtute; ista autem immutatio non est operatio immanens, sed vitalis perceptio hujus immutationis, cujus agēs ipsa est anima per intentionem, qua applicat potentiam ad percipiendum, quare patet, quòd id, virtute cujus sensibile agit, non oportet, quòd sit virtus ipsius sentientis, & subjecto conjuncta cum eo, quod patitur.

151 Tandem posset argui ex P. Aug. 12. de Trin. dicente, quòd anima cuncta intuetur in quadam luce sui generis, cujus verba adducit B. D. & ex eis deducit, quòd in ipso sensu visus datur lux congenita interior, in cujus virtute percipit immutationem ab objecto causatam: illa ergo lux est sensus agens, idem enim habet munus ac intellectus agens. Resp. quòd illam lucem admittit in oculo B. D. de qua infra, nihil tamen ex ea habetur ad propositum; tùm quia in solo visu ea lux datur; at verò sensus agens pro omnibus deberet poni, si daretur, quia eadem est

de

de omnibus ratio: tum deinde, quia in oculo illa lux non ut aliquid agat ponitur, sed ut disponat ad perceptionem objecti: intellectus agens duplex habet munus: alterum irradiare super phantasmata, ut virtute hujus irradiationis possint causare speciem in actu intelligibilem, & ex hoc dicitur agens; alterum munus est irradiare super intellectum passibilem & ipsum disponere ut percipiat, & hoc tantum habet illa lux in oculo.

§. II.

De sensibus internis.

152 P. Suar. lib. 3. de An. cap. 9. ut refert N. Mans. docet, probabilius sibi apparere dari sensum agentem pro sensibus internis: quam sent. ut explicet, & probet, supponit quòd species sensibilis triplex est 1. quã dicit sensatam; 2. quam dicit compositam; & 3. quam dicit insensatam: sensata est, qua sensus immutatur in actu sentiendi; composita, qua sensus ex duplici sensata tertium quid percipit, ut cum imaginativa percipit montem aureum, cujus nulla datur simplex species, sed illam ex duplici specie montis & auri imaginativa confingit; insensata species illa est, qua sensus percipit affectiones, quas eo dicimus insensatas, ut amicabile, & inimicabile, v. g. ovis non solùm exteriori sensu percipit lupum, sed etiam interiori cognoscit sibi inimicum & fugit: hoc posito docet cum communi sententia, quòd pro sensibus externis non datur sensus agens; quia isti immutantur à specie sensata, quæ cùm proportionata sit objecto, ab ipso causatur; pro sensibus tamen internis ponendum censet sensum agentem; quia isti immutantur à specie sive composita sive insensata, quæ objecto proportionatæ non sunt, quare debet poni sensus agens, in cujus virtute causentur.

153 Dicendum tamen, quòd neque pro sensibus internis datur sensus agens. Prob. 1. ex ipsa, quam supponit doctrina: Non minus, imò magis proportionatur species, à qua immutantur sensus interni, cum eo à quo causatur, quàm species, qua immutantur sensus externi; sed hac ratione pro sensibus externis non datur sensus agens: ergo neque poni debet pro internis. Prob. maj. Species sensûs exterri causatur ab objecto, species autem sensus interni ab ipsa specie, quam percipit sensus externus; sed magis proportionatur hęc species cum illa, quàm cum objecto: ergo. Patet maj. quia non præsente, imò neque existente ob-

objecto exercetur circa illud sensus internus ex eo solùm quòd aliquando illud perceperit sensus externus, quòd signum est non ab objecto ipso, sed à specie, quæ est in memoria sensitiva causari immutationem in sensu interno. Patet item min. species enim hæc ad speciem illam comparatur tanquam intentionale ad intentionale; ad objectum verò comparatur tanquã intentionale ad materiale. Cõf. Nulla virtus animæ agit in objectum exterius; at sensus agens esset virtus animæ: ergo dato quod ab objecto exteriori deberet causari species sensus interni, non posset causari in virtute sensus agentis.

154 Prob. 2. etiam ad hominem: Si quis datur sensus agens pro sensibus internis, is debet pariter esse sensus internus; sed nullum ipse talem ponit: ergo. Prob. maj. Sensus agens debet esse in eodem gradu ac est sensus patiens; sed sensus exterior inferioris est gradus ac interior: sensus ergo agens pro internis non poterit esse exterior. Patet hæc maj. tùm quia ita est intellectus agens; tùm quia ad hoc ponitur ut virtute ejus elevetur species inferior & improportionata & possit immutare sensum patientem: ergo debet esse in eodem gradu, ut possit elevare. Min. ipse supponit, quia sensus exterior immutatur ab objecto per speciem sensatam ipsi objecto proportionatam, sensus autem internus à specie immutatur altiori: ergo altioris est gradus. Min principalis, quòd nullum ipse ponat sensum internum, qui sit agens, eo patet, quia docet ab ipsis sensibus externis causari immutationem in sensu interno. Præterea: quælibet virtus sensitiva organica est, & proprium habet organũ; sed nullum ipse assignat internum organum pro sensu agente: ergo nullus talis datur sensus agens.

155 Prob. 3. Nulla requiritur species pro sensu interno distincta ab illa, qua immutatur sensus exterus: ergo nullus datur sensus agens. Patet conseq. tùm quia hac ratione illum ipse ponit; tùm quia non aliud esset munus ejus, quã speciem causare in sensu patiente, sicut patet de intellectu agente. Prob. ant. 1. quia species requiritur, aut qua fiat in actu sensibile, quod est sensibile in potentia, aut qua uniatur potentiæ, quod non posterat uniri; sed neutra ratione requiritur species diversa pro sensu interno: ergo. Patet maj. non enim aliud munus habet species. Ostenditur min. Quantum ad 1. quia sensibile in potentia est objectum eo quod habet esse materiale; species autem habet esse

le intentionale, & est sensibile in actu. Quantum ad 2. item; quia illa eadem species, quam percipit sensus externus, reservatur in memoria, quæ proculdubiò est sensus internus: per illam ergo unitur objectum sensibus internis.

Conf. Illam eandem imaginem, quam percipit sensus externus, percipit internus: ergo non requiritur nova species. Patet ant. cùm enim sive dormientes, sive vigilantes formamus nobis imaginem alicujus absentis, illa eadem est, quam in præsentia conspeximus: non ergo alia est species imaginativæ ac visus. Rursus: in eodem gradu immaterialitatis in repræsentando est cognitio sensus interni, ac externi; sed sensus agens ad hoc solùm requireretur, ut species causaretur altioris gradus, & magis immaterialis in repræsentando: ergo nullus requiritur. Patet maj. quia utraque cognitio attingit quantum & coloratum. Min. item patet, ad hoc enim intellectus agens ponitur, ut species, quæ in phantasmate repræsentat cum conditionibus materiæ, virtute ejus causet in intellectu altiorem repræsentationem, nempe sine conditionibus materiæ. Quod autem sensus internus percipit amicabile & inimicabile, nihil hoc est aliud, quàm conveniens aut disconveniens, quod quilibet sensus percipit.

156 Arg. 1. Species, qua immutatur imaginativa perfectior est ac species, qua immutatur sensus exterior: ergo ea non causatur ab objecto, sed à sensu ipso externo, & consequenter iste est sensus agens respectu sensus interni. Prob. ant. 1. quia imaginativa perfectior est, quàm sensus exterior: ergo perfectiorem requirit speciem. 2. quia actus imaginativæ perfectior est actu sensus externi; ergo & species à qua causatur.

157 Resp. 1. instando: species imaginativæ perfectior est: ergo ea non potest causari ab exteriori sensu; non enim potest quod inferius est causare immutationem in superiori nisi in virtute alicujus altioris agentis: non ergo ipse sensus exterior erit sensus agens, sed alius quærendus est. Resp. 2. directe neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd imaginativa perfectior est & ejus cognitio accidentaliter & in eodem gradu, sicut in ipsis externis sensibus visus cæteris præstat; ex hoc autem non oportet speciem habere perfectiorem; patet enim, quòd ab ipsa specie, quæ reservatur in memoria sensitiva immutatur imaginativa, & quilibet sensus interior.

158 Arg. 2. Sensus interior residet in cerebro ubi habet organa sua: ergo species, à quibus immutatur, non potest causari

sari à specie sensus externi. Ant. notum supponitur, quia quælibet virtus sensitiva est affixa organo corporali. Conseq. prob. Illa species, ut causaretur immediatè à specie, quæ est in sensu externo, aut mediantibus partibus corporis interjacentibus; sed utrumque implicat: ergo. Prob. min. quantum ad 1. quidem quia in distans non potest causari immutatio, quin deferatur per medium. Quantum ad 2. quia medium, quod interjacet usque ad cerebrum non est capax deferendi speciem: v. g. si manus calorem sentit, deberet species illa caloris usque ad cerebrum deferri; & cùm organum tactûs sit per totum corpus diffusum, deberet in partibus alijs calor sentiri; nullus autem sentitur: ergo.

159 Resp. 1. instando: Cognitio enim exterioris sensus in ipso peragitur organo, ut non manu, sed oculo videmus: quomodo ergo ista cognitio ad interioris sensus organa defertur? Quod enim ipse de cognitione dixerit, nos de specie possumus usurpare. Resp. 2. quòd difficultatem hujus arg. late versat. S. P. lib. 7. de Gen. ad lit. cap. 13. 14. & 18. item lib. 12. quo à cap. 16. usque ad 21. multa ad propositum habet de modo quo anima de exteriori sensatione per internum sensum iudicat, quæ mitto videndà in ipso, longissimum enim esset omnia adducere: summa doctrinæ ejus est, quòd ex Medicorum sent. supponit providisse naturam quosdam tenuissimos meatus, quibus animales spiritus cum cerebro communicant, & horum ministerio per illos meatus defertur impressio facta in exteriori organo ad memoriam sensitivam, & ex ea cæteri interni sensus immutantur. Ad formam ergo neg. conseq. & ad prob. patet, quòd mediantibus illis spiritibus, seu tenuioribus partibus defertur impressio; quoniam autem actus activorum sunt in patiente & disposito, illa impressio in organo sensus percipitur, & est sensatio, in illis partibus, quibus defertur, non percipitur, quia illæ non sunt organa ad perceptionem destinata.

160 Arg. 3. Si species sensus externi causaret speciem in sensu interno, sequeretur hunc immutari quoties externus immutatur; sed non ita est: ergo. Patet maj. quia species illa est naturalis causa, quæ semel applicata de necessitate causat, quare sicut præsenti corpore de necessitate causatur species in oculo v. g. ita posita specie in exteriori sensu de necessitate causaretur in interiori. Min. item patet, quia in oculo dormientis causatur species; non tamen in sensu interno: non ergo

go ab ista causatur species in sensu interno, sed ab aliquo alio, & hoc erit sensus agens.

161 Posset 1. neg. min. & ad prob. dici, quòd sicut in oculo dormientis causatur species, non tamen visio, quia deficit intentio animæ applicans potentiam ut percipiat, ita ex ista specie causatur impressio in sensu interno, ea tamen propter eandem rationem non percipitur. Posset 2. ad prob. dici, quòd requiritur aliquid aliud, negaretur tamen, quòd illud esset sensus agens, non enim esset virtute cujus altior quodammodo repræsentatio causaretur, quod esse debet munus sensus agentis. Posset 3. neg. maj. & ad prob. dici, quòd non species ut materialiter impressa sensui, sed ut percepta causat immutationem in sensu interno. Tandem dicitur, quòd non alia species est, à qua immutatur sensus internus, quæ debeat causari à specie, quæ est in sensu externo sed eadem percepta sensu exteriori reponitur in memoria, & hæc percipitur sensu interiori secundum quod per intentionem animæ applicatur.

Cætera poterunt ex dictis solvi, quare ea mitto.

***

ARTICULUS IV.

An potentiæ sensitivæ subjectentur in organo corporis?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

162 PRima sent. docet, potentias sensitivas subjectari in toto ex corpore & animæ. Hanc tenet D. Thom. 1. p. q. 77. art. 8. & sequuntur communiter Thomistæ, & alijs Tolet. apud Avers. Hæc ijs rationibus probatur, quibus tract. præc. probatum est, accidentia supponere substantialem formam in materia, & proinde in toto subjectari. Sed præter ea, quæ ibi diximus contra illam sent. hic specialis est difficultas: & quod ad S. Tho. attinet 1. p. q. 12. art. probaturus, quòd potentia sensitiva non potest elevari ad videndum Deum, hoc assumit, quòd ea est actus corporalis organi; patet autem, quòd quælibet potentia actus est subjecti sui. Deinde: quod alicui convenit non absolutè, sed in eo quod tale est, ratione illius convenit, à quo habet tale esse; sed potentiæ sensitivæ toti conveniunt in eo quod habet talem determinatam organizationem, qua una-

quæque indigèt: toti ergo conveniunt ratione illius à quo talem organizationem habet. Patet maj. id enim est ratio quare sibi conveniant. Patet item min. non enim toto corpore, aut quavis ejus parte exercentur operationes illarum potentiarum, sed ea tantùm determinata, in qua est organum quod ipsa potentia requirit, ut oculis videmus, auribus audimus, & ita de reliquis. Tunc autem: id ratione cujus hæc virtus toti convenit, est ut *quo* & formaliter subjectum ejus; sed, siquidem anima est ratione cujus toti convenit organizationem habere: licèt ergo realiter & quantum ad denominationem & subsistentationem totum dicatur subjectum, formaliter ut *quo* & quantum ad perfici subjectum erit ipsa anima.

163 Secunda sent. docet, tales potentias esse in organo corporis tanquàm in subjecto. Hanc tenent ij omnes, qui præc. tract. docent, accidentia materialia in sola materia subjectari, expresé autem in proposito Conimb. 2. de An. cap. 1. q. 9. art. 2. & cap. 3. q. 3. art. 2. Suar. 2. de An. cap. 2. Aversf. q. 47. sec. 3. Sed hæc difficilior est, præterquamquod enim contra hanc etiam tenet præc. ratio: item, quòd potentia sensitiva per se deficit deficiente anima; manet autem corporis organum, & ut forma deficiat manente subjecto ejus requiritur actio directè inductiva contrarij & destructiva ipsius formæ. Vlterius: ea tantùm accidentia corpori de se conveniunt ut subjecto, quæ sunt materiæ ipsius passiones; quæ enim sunt proprié passiones formę, ipsi formæ conveniunt ut *quo* & tanquam proprio subjecto, & ratione ejus toti; sed potentię sensitivæ sunt ipsius animæ passiones: ergo.

164 Dicendum, quòd potentiæ sensitivæ subjectantur in ipsa anima ut *quo* & formaliter, & ad organum comparantur tanquàm ad instrumentum, quo utuntur, & quod de necessitate requirunt pro operatione sua, qua ratione sunt ipsi organo affixę. Hæc est valdé consequens ad ea quæ tract. præc. diximus de subjecto accidentium, ibi enim probavimus, quòd accidentia, quæ sequuntur formā, & sunt passiones ejus, in ipsa forma subjectantur ut *quo* & formaliter, quare eisdem probatur, quæ ibi adduximus, specialiter autem.

165 Prob. 1. ex P. Aug. Epist. 3. ad Volus. ubi ita habet; *Sunt certè quinque partiti corporis sensus, qui nec sine corpore, nec sine anima esse possunt; quia neque sentire est nisi viventis, quod ab anima est corpori; neque sine corporis instrumentis, & quasi vasis, atque organis videmus,*

mus, audimus, cæteriſque tribus utimur ſenſibus. Quod item habet lib. 11. de Trin. cap. 2. & alibi frequentiſsimè habet, quòd anima corporis parte utitur, qua ſentit tanquam organo & inſtrumento. Locus ille contra nos adducitur, eo quod ait S. P. quòd ſenſus neque ſine anima eſt, neque ſine corpore, quarè videtur tenere, quòd totum reſpicit tanquàm ſubjectum. Sed ex his, quæ ſubjungit, patet apertè, quòd loquitur de operatione, nempè neque corpus ſine anima, neque anima ſine corpore poteſt ſentire, quia per corporis organum recipit immutationem, quam percipit, quarè illo utitur organo tanquam inſtrumento; ſi autem inſtrumentum eſt quo utitur in exercitio ſentiendi, non poteſt eſſe ſubjectum ipſius ſenſitivę virtutis.

166 Prob. 2. à ratione: Subjectum formę cujuslibet nequit ad illam comparari tanquã organum ejus & inſtrumentum; ſed corporale organum ad ſenſitivam virtutem comparatur ut inſtrumentum & organum: ergo. De min. nullus ambigit, eam habet expresè S. P. n. præc. adductus, & Phil. 1. de An. text. 6. Oſtenditur maj. 1. quia ſubjectum ut tale perfectibile eſt, & tantùm comparatur ad formam tanquàm ad actum, quo perficitur, & cum quo conſtituit unam eſſentiam; inſtrumentum verò comparatur ad operationem objectivè, ſubjectivè autem non ad formam, ſed ad agẽs: non ergo inſtrumẽtum eſſe poteſt quod ut ſubjectum comparatur. 2. quia quod ad alterum comparatur ut inſtrumentum, ab eo habet applicari ad opus; ſed forma non utitur ſubjecto ſuo, aut illud applicat, ſed cum eo unam eſſentiam conſtituit, cujus ſit inſtrumento uti & illud applicare: nõ ergo ſubjectum eſſe poteſt quod ut inſtrumentum comparatur.

Conf. & explicatur hęc ratio: Si potentia ſenſitiva eſt in organo tanquàm in ſubjecto, ex ipſa potentia & organo fit una eſſentia, ſicut univerſaliter ex ſubjecto & forma; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. min. Si una eſſet eſſentia ex organo & virtute ſenſitiva, impoſsibile eſſet fieri immutationem in organo, quin fieret in virtute ſenſitiva ut talis eſt, & conſequenter quin fieret ſenſatio; ſed hoc eſt falſum: ergo. Patet maj. immutari enim totius eſt eſſentiæ. Patet item min. quia in oculo dormiẽtis fit impreſsio, non autem in virtute ſenſitiva ut talis eſt, cùm viſio non fiat: relinquitur ergo, quòd virtus ſenſitiva alia eſt eſſentia, quæ per intentionem animę applicatur, aut non applicatur ad percipiendam illam impreſsionem.

167 Prob. 3. Quod ab aliquo fluit tanquam paſsio ejus, ad

ad illud comparatur tanquàm ad proprium & per se perfectibile, ita quòd si alicui alteri convenit, non per se & immediatè illud perficit, sed secundariò ratione illius, cujus est passio; sed potentiæ sensitivæ ab anima sensitiva fluunt tanquàm propriæ passiones ejus: ergo. Min. ipse docet D. Thom. in 1. p. q. 77. art. 7. & ea satis patet, ipsa enim anima est radicale principium sentiendi, & ratione cujus id convenit corpori: ergo ejus est passio ipsa virtus proxima sentiendi. Rursus: quod ex natura rei ita convenit alicui, quòd omni, soli, & semper cõvenit, propria ejus est passio; sed ita se habet virtus sensitiva ad animam sensitivam: ergo. Præterea: sicut potentię rationales comparantur ad rationalem animam, ita sensitivæ ad sensitivam; sed potentiæ rationales sunt passiones rationalis animæ, quæ per se illi conveniunt tanquàm proprię ejus virtutes, & ratione illius toti: ergo. Maj. patet; sicut enim illa est radicale principium exigens & fundans proximam virtutem ad operationes suas, ita hęc. Maj. principalis ex ipsis patet terminis, quælibet enim natura proprietates suas radicat, fundat, & in se recipit, ut proprium earum subjectum.

Conf. Quod ab aliquo in aliud à se distinctum inducitur, comparatur ad id, à quo inducitur, ut effectus in genere effectivo: si ergo potentiæ sensitivæ in organo corporis sunt tanquã in subjecto, ab anima communicantur in genere effectivo; quod apertè implicat, cùm anima sit corporis forma, & quidquid corpori communicat informando communicet. Conf. 2. Illi competit virtute sensitiva perfici per se & ut proprium ejus subjectum, quod per se & formaliter est radicale principium sentiendi; sed tale est anima: ergo. Patet maj. virtus enim proxima illi competit, cujus est radicaliter & 1. posse. Patet itẽ min. quia anima ex definitione sua est, qua 1. vivimus.

§. II.

Solvuntur argumenta.

168 ARg. 1. Conimb. ex B. D. in Quodl. 3. q 10. Sed ibi B. D. nihil habet, quòd contra nos esse possit, imò conclusionem nostram non leviter indicat; quęrit enim de distinctione potentiarum ab anima, & ut probet partem affirmativam hoc assumit, quòd accidens fluens, ut est operatio, non oritur ab anima nisi mediante accidente permanente, qualis est potentia: sup-

ſupponit ergo potentias ab anima fluere tanquàm paſsiones ejus, & conſequenter in ea ſubjectari. Poſſet item objici, quòd potentias ſenſitivas dicit in anima noſtra tantúm eminenter reperiri: ergo formaliter ſunt in ipſo organo corporis. Ad hoc autem neg. conſeq anima enim noſtra, eo quod ſpiritualis, non formaliter, ſed eminenter ſenſitiva eſt, quaré virtus, qua ſentit non eſt formaliter potentia ſenſitiva, ſed eminenter, hoc eſt, aliqua virtus ſuperior, quæ actionem habet ſenſitivæ virtutis, quo ſenſu Sol dicitur eminenter calidus: hoc ergo intendit B. D. non quòd potentiæ ſenſitivæ ſint in anima noſtra eminenter, quia in alio ſunt formaliter, hoc enim imperceptibile eſt, ſed quod id, quo ſentimus, virtus eſt animæ non formaliter, ſed eminenter ſenſitiva.

169 Arg. 2. ex nonnullis Phil. tex. quibus docet, actus vitales totius eſſe conjuncti, ex quo ſequitur etiam potentias debere eſſe totius; quia illius eſt actus, cujus eſt potentia. Ita docet 1. de An. tex. 66. de ſom. & vigil. cap. 1. & ſæpé alibi. Item lib. 2. de Gen. animal. cap. 3. ita habet: *Quorum enim principiorum actio eſt corporalis, hæc ſine corpore ineſſe non poſſe certum eſt, v. g. ambulare ſine pedibus.*

170 Reſp. nèg. conſeq. quia potentia utitur organo tanquàm inſtrumento ad actum ſuum, non autem ipſa eſt organum: quamvis ergo potentia ſit virtus animæ, quia tamen eſt organo affixa, actum non habet niſi medio organo. Ad loca Phil. non negamus quin potentiæ totius ſunt, ſicut totius eſt ſentire, quare ſubjectum ſubſtentationis & denominationis, quod dicitur ſubjectum *quod* & realiter, totum eſt, cum quo ſtat quòd formaliter & immediatè tanquã ſubjectum *quo* reſpiciãt ipſam animam. Ad aliud, in illo loco intendit Phil. quòd vegetativa & ſenſitiva anima ex materia educuntur, & quòd ſola rationalis eſt ab extra: probat ergo, tales animas ante corpus eſſe non poſſe, & 1. rationem ex hoc aſſumit, quòd earum actus non niſi medio corpore exercetur, verba hæc ſunt: *Cæterum omnes ante eſſe impoſsibile rationibus his eſſe oſtenditur: quorum enim principiorum*, & alia ut ſupra. Ex quo, ut vides nihil ad propoſitum, quòd enim actus non exerceatur ſine corpore non arguit potentiam in corpore eſſe ut in ſubjecto, quia ſufficit eo uti tanquàm organo.

171 Arg. 3. à ratione: Potentiæ ſenſitivæ ſunt eſſentialiter corporeæ: ergo recipi non poſſunt niſi in organo corporis.

Ant:

Ant. est communis omnium sensus, quo corporales sensus dicuntur. Prob. conseq. In homine corporales potentiæ nequeunt in anima subjectari; at eadem est ratio de reliquis, cùm homo dicatur sensitivus univocè cum alijs: ergo. Resp. dist. ant. Sunt corporeæ substantivè, neg. ant. Sunt corporeæ adjectivè, conc. ant. & neg. cons. Ad cujus prob. neg.min. quia in homine non est virtus sensitiva formaliter talis, sed eminenter, hoc est aliqua virtus superior entitativè, quæ actionem sentiendi habet eodem modo ac potentia sensitiva; quod autem univocè convenit, non ad entitatem phisicam pertinet, sed ad conceptum metaphisicum. Itaque sensus dicuntur corporales, non quod entitate sua quid corporale sint, sed adjectivè denominativè, quia medio corpore exercent operationes suas; ipsa autem anima sensitiva etiam hoc sensu est forma materialis & corporea, quaré in ea possunt esse.

172 Arg. 4. Si potentiæ sensitivæ essent in anima tanquã in proprio subjecto, eæ deberẽt manere in anima separata; sed non manent: ergo. Min. docet S. Th. cit. art. 8. & patet ratione: quia potentia visiva v. g. sine oculo manere non potest, cùm sine organo nullum possit habere actum sentiendi. Resp. quòd anima nostra, quæ separata à corpore manet, nullam habet potentiam formaliter sensitivam; quæ autem puré sensitiva est, non manet separata à corpore, quare neque de hac, neque de illa tenet argumentum. Resp. 2. quòd si de posse absoluto conservaretur anima sensitiva separata à corpore, in ea maneret potentia sensitiva, sicut de facto manere dici debet in anima nostra virtus, qua ipsa sentit, est enim incorruptibilis, & nihil ejus perit per separationem à corpore: an autem sic separata à corpore posset habere operationem sentiendi, ad propositum nihil refert, si enim essentialis est alligatio illi instrumento, quo utitur, absolutè non poterit; si autem tantùm connaturaliter & phisicè, tunc naturaliter non poterit, poterit autem de posse absoluto, & ita de facto animas damnatorum sensibilem dolorem pati latè explicat B. D. locis sup. cit.

173 Arg. 5. Actus vitalis corporeus, v. g. actus visionis, non exercetur à sola anima quasi per se operante, sed per organum corporis, videmus enim per oculos, audimus per aures: ergo potentia talis actus elicitiva non in sola anima est. Conf. Phil. hic tex. 33. asserit, quasdam potentias esse organicas, quasdam non organicas: ergo sentit, has esse solius animæ, illas verò solius corporis, cujus est organa habere. Ar-

174 Resp. neg. conſ. quòd enim anima non niſi medio corpore habeat operationes ſentiendi, eo eſt, quia organo corporis affixa eſt potentia tanquàm inſtrumento, quo utitur, & quo mediante recipit impreſsionem ab objecto, quarè ſine illo non exercetur. Ad Conf. pariter neg. conſ. eo enim aliquæ dicuntur organicæ, quia organis affixæ ſunt, & non niſi medijs illis exercentur, non verò oportet ut ſubjectis illis affigi, ſed ſufficit affixas eſſe tanquàm inſtrumentis, quibus utuntur.

175 Arg. 6. Anima eſt in toto corpore, ſive diviſibiliter, & toti coextenſa, ut anima bruti, ſive indiviſibiliter & tota in qualibet parte, ut anima noſtra; ſed potentia non eſt in toto corpore, ſed in determinata ejus parte, ut viſus in oculo, auditus in aure: ergo non in anima, ſed in organo ſubjectatur. Resp. neg. min. ibi enim eſſe dicitur determinatè, quia ibi eſt organum, quo ipſa utitur. Resp. 2. quòd licèt anima de ſe partes non habeat, quia tamen corpori coextenditur, & eſt pars in parte, formaliter immediatè eſt potentia in ipſa anima, in illa tamen parte ejus, quæ parti corporis reſpondet, in qua eſt organum illi potentiæ deſerviens.

QUÆSTIO IV.
DE
SPECIE
SENSIBILI, ET ACTU SENTIENDI.

ARTICVLVS I.

An detur sensibiles species?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

176 PRima sent. docet, nullas omninò requiri sensibiles species. Pro hac cit. Porphir. Plotin. Galen. Gab. Ocham. Durandus; hic tamen in 2. dist. 3 q. 6. magis videtur stare pro 2. sent. mox referenda; eandem sent. tenent Provenzal. Giannin. Dandin. apud Aversq. 53. sec. 1. eam autem latè propugnat Lalem. disp. 14. partit. 3. qui alios pro ea adducit. Secũda sent. docet, pro sensibus externis nullas requiri species, sed ab objecto immutari, reqniri tamen pro internis. Pro hac cit. Nomin. Tertia aliquibus externis cõcedit species, negat verò reliquis. Hurtad. disp. 12. de An. sec. 1. concedit visui & auditui, negat verò reliquis tribus; Tolet. 3. de An. q. 2. concedit etiã olfactui. Quarta demum, eaque communis sent. asserit pro omnibus tam internis quàm externis sensibus necessarias esse species. Hanc tenent Peripatetici omnes cum Phil. imò & moderni, quamvis disidium sit in quonam illa species consistat, de quo art. seq.

177 Dicendum: objectum sensibile non nisi per speciẽ à se causatam immutat sensum sivé internum, sivé externum. Hanc P. Aug. supponit multis in locis, ut de Quant. an. cap. 24. lib. quæst. 83. q. 74. de Gen. ad lit. imp. cap. 16. & passim in lib. de Trin. præsertim autem lib. 11. cap. 2. & cap. 5. ubi ita habet: *Visionis, quæ fit in sentiente cernentis quasi parens est species corporis, ex qua fit.* Supponit item Phil. frequentissimé,

expresè autem in hoc 2. de An. tex. 121. ita habet: *Hoc autē universaliter accipere de omni sensu oportet, sensum inquā, id esse, quod sensibiles sine materia formas suscipere potest* : Quandoquidem ergo universaliter ait, hoc omni sensui convenire, qui velit alicui negare, oportet quòd omnium deserat authoritatem.

178 Probatur itaque 2. à ratione, & quidem illis eisdem, quas cit. rejicit Lalem. ut ejus examinentur solutiones, 1. sic formatur: Potentia quælibet debet uniri objecto suo ut exerceatur; sed non potest objecto uniri immediatè per se ipsum: ergo uniri debet per speciem, quæ illud repræsentet, & illius gerat vires. Maj. patet, non dari enim operationem in distans, & supponimus probatum in Phis. & ipsi admittunt D. D. cum quibus agimus. Min. in visu quidem manifestè patet, percipimus enim objectum, quod à nobis distat; in alijs autem sensibus ostenditur: Si alicui sensui per se ipsum unitur sensibile, maximè tactui; sed huic non: ergo nulli. Patet conseq. si enim iste, qui minus videtur indigere specie, illa indiget, potius reliqui. Prob. itaque min. tùm quia Phil. ait, sensationem quamlibet fieri per speciem sine materia; tùm ratione B. D. Si manus v.g. debet tactu percipere calorem, non sufficit quod calefiat, & immediatè sibi uniatur calor ipse: ergo sensatio peragitur per aliquod aliud, quod est ipsius objecti species. Prob. ant. Si enim manus sit nimis frigida, calefiet quidem, & recipiet in se ipsum calorem; non autem sentit calorem illum sibi impressum: non ergo ab ipso calore & immutatione reali causatur actus sentiendi, sed ab immutatione intētionali per speciem, quam, quia non potest manus recipere, eo quod læsa est à nimia frigiditate, non habet actum sentiendi.

179 Ad hanc rationem resp. Lalem. dist. maj. Debet uniri sympatialiter, sicut magnes unitur ferro, conc. maj. Debet uniri formaliter, neg. maj. & hoc sensu min. quia species solùm requiritur ut uniatur formaliter objectum, quod per se ipsum non potest uniri. Sensus ejus est, quòd ex sympatia, quā sensibile habet ad potentiam, ex præsentia ipsius sensibilis exercetur potentia, quin opus sit ponere speciem, in qua objectum repręsentetur, sicut ex eadem sympatia ad præsentiam magnetis movetur ferrum.

Sed contra: falsum enim est, quòd ex sola sympatia moveatur ferrum; oportet namque in se ipso immutari & aliter se habere, quod prius erat in potentia, ut ad actum transeat. Præterea: sympatia vox græca

est, quæ congeneitatem significat, & conformitatem quandam naturarum; hanc autem in quacumque distantia habent sensus & sensibile, cùm ex distantia non immutetur utriusque natura: deberet ergo ad quamcumque distantiam sequi operatio, si ea esset ex sympatia. Rursus: ex interjecto corpore non impeditur sympatia, relinquitur enim eadem naturarú congeneitas, in qua sym atia consistit; at ex interjecto corpore impeditur actus sentiendi: non ergo ex sympatia causatur, sed per immutationem potentię ab objecto media specie, quæ cum debeat per medium multiplicari, ab interjecto corpore impeditur ejus multiplicatio. Adde, quòd illa sympatia contra ejus sent. est de eo quod non datur operatio in distans nisi per medium.

180 Prob. 3. alia ratione: Potentia indifferens, aut libera est, & dominium habet se determinandi, aut non potest in actum exire nisi ab objecto determinetur; sed potentia quælibet sensitiva indifferens est, nec tamen libertatem habet & dominium se determinandi: debet ergo ab objecto determinari, quod cum per se ipsum non uniatur, unitur & determinat per speciem. Min. ex terminis nota est, indifferentiam enim habet quælibet potentia, dominiú autem se determinandi sola voluntas. Maj. item de facili patet, ununquodque enim agit prout est in actu, quarè quod de se & in entitate sua indifferens est & in potentia, debet in entitate sua immutari & fieri in actu, quo possit exerceri.

181 Ad hanc resp. neg. sub min. nempè ab objecto debet determinari potentia, & ab eo determinatur, non autem per speciē, sed per se ipsum, ad quod sufficit ejus prę̀sentia, sicut magnes ex sola præsentia sua determinat ferrum. Sed contra: quod in ipsa sua entitate idem est & eodem omninò modo se habet ac prius, si prius non agebat, neque nunc agere potest, quia idem manens idem semper facit idem: aut ergo ex illa prę̀sentia objecti aliter se habet sensus in entitate sua, & sic immutatur ab objecto, & hæc immutatio, cùm non fit per ipsum objectum, est per aliquid vices ejus gerens, & est species, in quocumque consistat, de quo seq. art. aut si non aliter se habet, non poterit habere exercitium sentiendi. Idē dicitur de exemplo magnetis: illam congeneitatem, quæ est sympatia, habebat prius ferrum, neque illam accipit ex approximatione: oportet ergo, quòd ex illa congeneitate approximatum aliqūid accipiat, quo ad motum determinetur.

182 Prob. 4. aliquibus experientijs, quas ipse etiam re-

ficit: experimur in nobis post actum sentiendi nullo præsente objecto sensitivam cognitionem de illo habere, quam ante actum sentiendi omninò habere non poteramus, v. g. de Petro omninò nobis ignoto nullam possumus nobis ideam formare, postquam autem illum vidimus, imaginem ejus sensibilem apud nos illo, absente, formamus: ergo per actum sentiendi accepimus ab objecto illam similitudinem, quæ est species ejus. Patet conseq. si enim non acciperet sed vi sua illam formasset anima, æquè posset illam formare non viso Petro, non enim ex præsentia ejus vis sibi aliqua acquiritur.

183 Resp. ipse: quòd ex actu sentiendi aliquid relinquitur, quod est ipsius objecti vestigium, & ex hoc memoria postea objecti recordatur. Sed 1. quid mea refert si vestigium dixeris, vel potius imaginem, similitudinem, intentionem, aut speciem? Aliquid jam concedis, quod objecti gerit vicem, vi cujus anima in absentia objecti ipsum habet sibi præsens. Deinde: illo actu rememorandi apud nos clausis oculis videmus Petri imaginem illa eadem figura, qua in tabella depingeretur; hæc autem est species eadem, quæ in speculo repræsentaretur: saltim ergo pro sensibus internis negare non potest species, quod contra ipsum sufficit.

184 Alia experientia hæc est: videmus enim, quòd corpus in speculo quandam causat sui similitudinem: ergo eandem causat in potentia, & hæc est species ejus. Resp. ipse: objecta sensibilia talem habere sympatiam, quòd in quolibet diaphano similitudinem sui causant; & quia oculus diaphaneitatem habet, ideò ex imagine, quæ in speculo est, causatur imago in oculo; hoc autem fieri ait sine ulla specie sensibili. Ridenda potiús, quàm rejicienda solutio; est enim dicere, quòd objectum causat quidem speciem, sine omni tamen specie: illam ergo similitudinem speciem omnes dicunt, quarè id concedit solutio, quod intendimus.

§. II.

Solvuntur argumenta.

185 ARg. 1. ratione Durandi: Omne repræsentativum potentiæ cognoscitivæ debet ab ipsa cognosci; sed species à nullo sensu cognoscitur: ergo nulla datur sensui repræsentativa. Min. nota est, tùm quia non speciem sed objectum percipit sensus; tùm quia non est reflexivus supra actum suum, quo posset directè objectum, reflexè verò speciem, in qua repræsentatur cognoscere. Conf. Nihil

in-

incognitum ducit nos in cognitionem alterius; sed species sensibilis incognita est à sensu: ergo.

186 Resp. quòd arg. tangit & solvit P. Aug. cit. lib. 11. de Trin. cap. 2. per hæc verba: *Ideoque non possumus dicere, quòd sensum gignat res visibilis, gignit tamen formam velut similitudinem suam, quæ fit in sensu, cùm aliquid videndo sentimus; sed corporis formam, quam videmus, & formam, quæ ab illa in sensu videntis fit, per eundem sensum non discernimus, quoniã tanta conjunctio est ut non pateat discernendi locus; sed ratione colligimus nequaquam nos potuisse sentire, nisi fieret in sensu nostro aliqua similitudo conspecti corporis.* Sensus est, quòd videmus quidem speciem visibilis objecti, non autem seorsim & alio actu, quod est ill ã ab objecto discernere. Ratio autem est: quia species ab eo cujus est species non differt in repræsentando, sed tantúm in esse entis, quare ait S. P. quòd tanta conjunctio est inter ipsam & objectũm, quòd sensui non relinquitur discernendi locus, nempé in eo, quod ad sensum pertinet omninò non differunt, quarè solúm intellectus, cujus est attingere ipsum quid, potest speciem seorsim cognoscere, & illam ab objecto discernere. Ad formam ergo distinguitur min. A nullo sensu cognoscitur, per se & seorsim ab objecto, conc. min. quia sic deberet cognosci quatenus hoc tale quid est, quod soli competit intellectui: A nullo sensu cognoscitur simul & eodem actu quo cognoscitur objectum, neg. min. Quo patet ad Conf.

187 Arg. 2. Si darentur species, essent objectis suis nobiliores; sed hoc implicat: ergo. Min. patet: tùm quia effectus nequit esse nobilior causa sua; tùm quia pro objecto substituit species, quarè illo inferior est. Ostenditur maj. Quo magis aliquid ad naturam spiritualem accedit, eo nobilius est; sed species, si datur, magis accedit ad naturam spiritualem: ergo. Patet hæc min. quia objectum materiale est & corporeum, species autem immaterialis & inextensa.

188 Resp. 1. neg. maj. Ad probationem ejus dist. maj. Quo magis accedit, positivè, perfectius est conc. maj. Quo magis accedit, negativè, neg. maj. & sub eadem dist. min. Itaque species non habet esse reale, quarè nec substantia est, nec accidens realiter, sed est alterum genus entis; dicitur autem habere esse immateriale, non positivè & ex perfectione entitatis suæ, sed negativè & propter imperfectionem, quia minus habet de esse, quàm ea, quibus competit

sit esse materiale. Posset 2. resp. neg. min. Ad 1. ejus rationem diceretur, quòd effectus univocus, quem causa propria virtute causat, nequit excedere causam suam; bené autem effectus, quem causat in virtute alterius, & hoc modo causatur species ab objecto. Ad 2. quòd inferius esse debet quantum ad cognosci, non verò in esse entis, ut latè in Sum. dicitur de signo.

189 Arg. 3. Si darentur species, aut essent divisibiles, aut indivisibiles; sed neutrum dici potest: ergo non dantur. Divisibiles esse non possunt, quia objectum repræsentatur indivisibiliter, & visio fit pyramidaliter, ut loquuntur perspectivi: neque item possunt esse indivisibiles, quia causantur ab objecto materiali & divisibili. Si dicatur, divisibiles esse in essendo, indivisibiles in repræsentando, quæ est communis solutio. Contra est, ait Lalem. Cujus tota entitas est repræsentare, si entitate divisibile est, in repræsentando debet esse divisibile; sed tota entitas speciei est repræsentare, ad hoc enim ea ponitur, & nihil habet amplius: ergo. Resp. quòd species tam in essendo, quàm in repræsentàdo indivisibilis est subjectivé, in puncto enim est species & ejus repræsentatio, neque entitatem habet, cui competat extensum esse & divisibile, neque ex hoc materiale objectum excedit a quo causatur, imò esse habet multò inferius; cum hoc tamen divisibilis est objectivé, hoc est objectum repræsentat divisibile & extensum.

190 Arg. 4. Sicut se habet albedo ad nigredinem, ita species albedinis ad speciem nigredinis; sed albedo & nigredo nequeunt esse simul: ergo neque species. Tum autem: si eæ darentur deberent esse simul, quia eodem actu albedinem & nigredinem percipimus. Resp. neg. maj. Quia enim formę reales esse reale præstant, & realiter immutant, si ipsum esse oppositionem habet ad aliud, formæ nequeunt esse simul; at verò species non causant aliquod reale esse neque realiter immutant id, in quo sunt, quantum ad esse, sed tantum repræsentativè & quantum ad cognoscere, quare possunt esse simul, quamvis contrariæ sint formæ, quas repræsentant.

191 Arg. 5. Potentia posita intra sphæram objecti sui illud percipit; sed habens objectum præsens est intra sphæram illius: ergo secluso quolibet alio ab objecto immisso ipsum percipit. Et certè, ait cit. Lalem. experientia de magnete deberet adversarium confundere, nam magnes trahit ad se ferrum; hoc autem nihil immittit in magnetem: ergo pariter,

Conf.

Conf. Quod est magis natum ad aliquid, magis atrahit illud; sed potentia quælibet magis nata est ad objectum suum, quàm sit magnes ad ferrum: ergo sicut magnes ferrum attrahit absque ulla immissione per solam passivam sympatiam, idem potius de potentia cognoscitiva, & objecto suo dici debet.

192 Resp. quòd eodem argumento probatur, potentiam agere sine ulla actione, aut immutatione passi, quod manifesta est contradictio; per hoc nēpe, quòd passum sit intra spherā agentis, hoc agit, illud patitur: ergo secluſa qualibet immutatione. Resp. neg. maj. videmus enim, quòd visibile objectum in debita distātia est intra spheram potentię; si tamen sit in tenebris, aut opacum corpus interponatur illud non percipit: non ergo sufficit, quòd sit intra spheram, sed ultra requiritur, quòd potentia immutetur ab objecto, quod fit per speciem. Ad experientiam, & conf. de magnete satis dictum est, tum hic, tum in Phis. supponit ipse quod sibi probandum erat, solam ibi esse præsentiam unius ad alterum sine ulla immutatione. Præterea: motum ferri, qua trahitur à magnete sensu percipimus; at verò quid sit illa tractio objecti ad potentiā, neque ipse explicat, neque omninò percipitur.

193 Arg. 6. Potentia visiva non solùm percipit objectùm, sed etiam distantiam ejus; sed species non repræsentat distantiam objecti, sed objectum tantùm: ergo sicut species non requiritur pro percipienda distantia objecti, ita neque pro ipso objecto. Patet conſ. non enim ulla major est difficultas in percipiendo objectum sine specie, quàm in percipiendo distātiam. Resp. disting. maj. Non repræsentat distantiam directè & ut proprium sensibile, conc. maj. Non repræsentat distantiam indirectè & ut sensibile cōmune, neg. maj. Itaque species sensibilis repræsentat objectum cum conditionibus materiæ, inter quas computantur *hic* & *nunc*: quia ergo objectum repræsentat quomodo est & ubi est, potentia percipiens objectum, in specie ipsa percipit distantiam.

194 Arg. 7. Quomodo potest quis imaginari, quòd luminaria Cœli ad tantam distantiam emittant species suas? Imò adhuc multò magis est inimaginabile, quomodo causa etiam intentionalis posset aliquid sui emittere toties, & ad tantam distantiam, & tamen non aut exhauriretur, aut defatigaretur virtus ejus? Rursus: lux, ut multi ponunt, sine emissione specici videtur: quare ergo non item color? Neque enim minus est Deus potens dare luci, quàm eo-

colori. Prætérea: Deus nihil facit frustra, resque constituit in suo esse integro; at instituit potentias cognoscitivas, ut ad se attraherent objecta, eaque perciperent: congruentius ergo apparet, quod talem dederit potentijs virtutem, qua se ipsis & sine specie ab objecto immissa ipsum perciperent, siquidem in hoc nulla est repugnantia.

195 Resp. ad 1. interrogationem, quòd si species imaginetur realitas aliqua ab objecto immissa, egré quis poterit concipere talem speciem, malé tamen concipit, qui sic imaginatur; species enim non est realitas ab objecto egressa, sed intentionalis immutatio medij: immutatur ergo ab objecto medium in parte sibi proxima, & ab ista immutatione causatur immutatio in alia parte medij, & hoc modo per medium se multiplicat species. Ad aliam, extinguitur virtus ex hoc quod aliquid sui emittit, fatigatur agens ex conatu & applicatione, qua agit; neutrum habet objectum in causando speciem, quia sine ulla influencia & conatu in genere causæ *ad quam* ex præsentia objecti causatur illa immutatio in medio, quæ, nisi ab aliquo impediatur, se multiplicat usque ad potentiam.

Ad id quod ulterius additur, posset quis instare: ignis calefacit: quarè ergo non item nix? Neque enim minus potens est Deus hoc dare nivi, quàm igni. Quamvis nempè Deus æquè possit utrique dare, noluit tamen. Directé autem neg. assumptum, species enim lucis est lumen, quod per medium diffundi-tur eodem modo ac similitudo coloris. Ad ultimum neg. minquam malè ipse supponit; instituit Deus potentias ut objecta sua perciperent; non autem aliter posse percipere, quàm recipiendo immutationem ab ipso objecto; habemus authoritate & rationibus præmissis, quare sic immutari congruentius est.

ARTICULUS II.

Quid sit species?

196 DE quidditate speciei pro materiali entitatis suę quæritur, posito nempè dari species sensibiles, quibus potentijs notificatur objectum, in quo talis species consistat? Prima sent. docet, speciem rei sensibilis nihil esse aliud, quàm effluvia quædam tenuium corpusculorum ab objecto causata, quibus alia corpuscula, quæ per totum fluitans medium, moventur usque ad potentiam, & quandam in ea causant vibrationem, qua illi notificatur objectum. Ita tenuisse fertur Democritus, quam sent. suscitavit Descartes, &

tenent frequenter Carteſiani. Hæc quidem, miſſo illo corpuſculorum efluvio, rejicitur de facili: eſt enim prorſus imperceptibile, quòd pro differentia ſenſuum & ſenſibilium in locali motu corpuſculorum differentiæ reperiri poſsint, quibus aliter hoc, aliter illud ſenſibile organum feriat, & aliter hunc aliter illum ſenſum, ut quilibet poſsit objectum ſuum percipere, & unum ab alio diſcernere, ſi quidem ex illo motu ſolùm concipitur impulſus in ſuperficiem organi; in impulſu autem impoſsibile eſt tot differentias cõcipere generícas, ſpecificas, & individuales, quibus unumquodque ſenſibile proprio ſenſui notificetur.

297 Parùm ab iſta ſent. differt 2. quæ ponit, ſpeciem conſiſtere in actione intentionali, qua objectum immutat potentiam, ſeu potiùs in paſsione, ſeu paſsiva immutatione ipſius potentiæ. Hanc tenet Maignan, & latè illuſtrant Saguens, & Naxera agentes de ſpeciebus Euchariſticis. Parúm, inquam, hæc à præcedente differt: præcedens enim, quamvis cauſaliter illum ponat corpuſculorum efluvium, & motum, qui eo inducitur, formaliter autem debet fateri, quòd ſpecies & notificatio objecti ipſa eſt paſsiva immutatio organi; tum autem illa prior ſent. cauſam aſsignat, á qua hæc paſsio inducitur, illum nempè corpuſculorum motum, hæc autem 2. nihil tale explicat. Actio itaque, aut ſumitur cauſaliter, & eſt conatus ille & influentia agentis, quo dat eſſe, & in re ponit effectum, aut ſumitur formaliter, & eſt ipſum fieri rei prout ab agente: ſivè ergo accipiatur ex parte objecti, ſive ex parte potentiæ non poteſt explicari, aut quid illa influentia objecti cauſat in potentia, aut quid potentia patitur, quo immutetur & aliter ſe habeat; pati enim eſt aliquid recipere, & quidquid hoc ſit quod patitur, hoc eſt ſpecies, de qua quæritur.

Præterea: nullo præſente ſenſibili exercet ſenſus internus actum ſuum, & conſequenter ſpeciem habet objecti, quod percipit; tunc autem ſicut nullum eſt præſens objectum, quod agat, ita nulla eſt actio ejus aut paſsio intentionalis. Dicere autem, quòd ex paſsione præterita relinquitur in memoria ſenſitiva notitia objecti, eſt ludere verbis: in primis enim ſæpe ludit imaginativa, & ſenſibilem ſpeciem confingit objecti, quod numquam ſenſus percepit, ut in ſomnis experimur. Deinde: paſsio non manet aut actio; eſt enim tranſiens exercitium: illud ergo quod paſsionem dicit hæc ſent. in memoria manet tm imago eſt intentionalis, quam po-

ponit sent. Phil. Rursus : sæpissimè DD. hujus & præc. sent. Peripateticos sugillant, quòd ad occultas qualitates confugiunt, quòd vocibus nihil determinatè significantibus quiescunt, & similia multa; in proposito autem qualis est aut quo differt motus, quem in organo causat Petrus, ab eo, quem causat Paulus, quo sensus possit utrumque discernere, idem de actione; item reflexæ lucis ad visum, aut percussi aeris ad auditum, & ita de reliquis sensibus, neque explicat, nec facilé percipitur, tantùm enim possumus accipere corpusculorum motum localem vertiginis, vibrationis, aut lationis, ex quo impulsus in organo causatur, in quo non est tot recipere differentias genericas, specificas, & individuales, quas habet sensatorum multitudo. Alia prætermitto, neque enim in re nullius ferè ponderis licet immorari amplius.

198 Tertia sent. docet, species sensibiles reales quasdam esse qualitates, aut ejusdem aut diversæ rationis cum his, quas repræsentant. Pro hac nonnullos citat Aversa, & non parùm ipse eam indicat, quamvis enim doceat alterius rationis esse à qualitatibus sensibilibus, docet autem veras esse qualitates primę, vel secundę speciei, & veré inhærere sivé in medio, sivé in organo. Hæc quidem omninò subsistineri non potest : formæ enim reales aut quæ veré inherent, neque possunt solo numero diversæ in eadem parte reperiri connaturaliter, neque citra subjecti mutationem recipi, verè enim aliter se habet subjectum ex quo aliquid habeat sibi inhærens; at cuique patet, túm quòd non mutatur medium in entitate sua ex speciei receptione, tùm quòd in eodem puncto medij concurrunt species aut solo numero differentes, aut etiam contrariæ, si nempé ex adverso ponatur duplex sensibile contrarium aut solo numero differens per totum medium multiplicat speciem suam : non ergo ea est realis qualitas, aut verè inhærens.

199 Dicendum itaque, quòd species non est realitas aliqua veré inhærens, est tamen intentionalis quædam similitudo objecti, formam ejus potentiæ pro modo suo repræsentàs. Hæc est omnium Peripateticorum, eam expresè habet S. P. lib. 11. de Trin. cap. 2. & sæpe alibi; illam etiam indicat B. D. multis in locis, satis autem aperte in Quodl. 5. q. 10. qua de modo agit, quo fiunt formæ intentionales, & ex toto processu satis aperté colligitur mens ejus, quòd tamen tales formę non sunt aliquid, quod re vera sit, sed repræsentatio & intentio. Deinde ex sensibili experientia satis

apertè colligitur, imaginativà enim, clausis oculis, Petri imaginem nobis formamus, quæ illa eadem est, quam in speculo videmus imprimi, præsente ipso Petro, & qua visus immutatur cum Petrus videtur præsens: patet autem, quòd in speculo non aliqua realitas imprimitur ipsi inhærens chrystallo, sed mera imago & repræsentatio: idem ergo est species sensibilis in visu, & idem suo modo, & servata sensuum diversitate, in quovis alio sensu.

200 Prob. deinde ratione, quæ ex verbis S. P. deducitur adductis supra num. 186. Si species esset aliquod accidens veré inhærens, ea deberet sentiri seorsim ab objecto suo, & sensus discerneret inter speciem & objectum; sed non ita sentitur: ergo. Min. supponit ibi S. P. ait enim, quòd speciem ab eo, quod repræsentat, solus discernit intellectus. Maj. ostenditur: si species esset realitas aliqua esset accidens realiter differens ab objecto, cujus est species; at aliunde quid sensibile est ipsa species: ergo aliud esset sensibile, & aliam terminaret sensationem ac objectum, quod repræsentat: si ergo talem non terminat, non realitas aliqua est, sed mera objecti repræsentatio, Conf. Quia eo necesse est ponere speciem objecti representativam, quia objectum per se ipsum non potest intimari potentiæ; sed qua ratione objectum non potest, eadem non posset species, si esset realitas aliqua: non ergo realis, sed intentionalis est entitas.

201 Arg. 1. in contrarium: In natura nihil datur frustra; sed superfluit omninò species ab objecto causata, & potentiæ impressa: ergo. Prob. min. Qualibet specie secluſa per hoc solùm quòd intelligatur actio objecti immutativa potentiæ, & hujus passiva immutatio, sufficienter intelligitur potentiæ notificari objectum, ipsam reduci de potētia ad actum, & alia, quæ ad actum sentiendi necessaria sunt: ergo. Hanc rationem, quæ potissimum est Maignani fundamētum, ita confirmat Naxera: Cōcursus Dei, quo præmovet & applicat creatas causas ad agendum, juxta Palanc. & frequentiorem Thomistarum sent. in ipsa consistit motione voluntatis, quę activè est ipsa actio Dei moventis: ergo similiter posita activa motione, quæ est actio objecti in sensum, & passiva motio ipsius sensus, intelligitur sensus ipse moveri. Eodem modo nos ponimus instrumentum applicari à principali agente ad opus suum.

202 Resp. neg. min. Ad prob. ejus dicitur, quòd impossibile est intelligere actionem objecti immutativā, quin intel-

lis

ligatur aliquid in potentia causari, quo ipsa immutetur, pati enim & immutari est aliquid recipere. Præterea: præcissa influentia objecti nullam imprimens formam, aut quasi formam non habet differentias, quibus possit aliud & aliud notificari, ut potentia discernat unum objectum ab alio: debet ergo ex illa actione objecti aliqua ejus similitudo imprimi potentiæ, quę sit species objecti: Rursus: illa actio objecti transiens est, nempè est actio in aliud; sed actio transiens quidditativè habet terminum ponere, hoc enim differt ab immanenti, & est de necessitate fieri rei: non ergo potest ex illa intelligi tantúm & præcisè passiva immutatio potentiæ.

Ad Conf. quæ videtur esse replica contra præcedentem solutionem, misso ant. neg. conseq. Deus intelligitur movere creaturam causando ipsam ejus actionem, & similiter agens principale instrumentum suum quatenus ipsi conjungitur & actionem seu influentiã ejus propria sua influentia assumit, quo facit ipsum agere & influere, quarè illa actio applicantis immanens est, sive Dei ad creaturas, sive agentis principalis ad instrumentum suum, & proinde nullam ponit formam aut terminũ alium in applicato, quàm motum & influentiam ejus; at vero actio objecti non-ità potest intelligi, sed est formaliter, & directè influentia in aliud, & consequenter transiens; dicitur pro nunc influentia, quia ad propositum nihil refert, an objectum vera influentia agat in potentiã, de quo seq. art.

303 Arg. 2. Species, qualem nos ponimus, repugnat ab objecto causari: ergo. Prob. ant. Si ab objecto talis species causatur, ea dici debet creata; sed apertè hoc implicat; ergo. Prob. maj. Productio rei ex nihilo sui creatio est; sed ita causatur species, si ab objecto causatur: ergo. Patet min. quia si species aliquid est actione objecti causatum in potentia, id verè producitur: aliunde autem de nihilo sui producitur, non enim aliquid ejus præcesit in potentia, in qua causatur, de quo illa species fieret.

204 Hoc arg. in Phis. solutum est disp. 1. n. 246. & sæpe alibi, objicitur enim contra eductionem formę realis, illud item solvit B. D. cit. Quodl. 5. q. 10. qua de modo agit, quo formę intentionales educuntur, præsertim §. *generatio ergo*. Resp. 1. neg. ant. ad prob. ejus neg. maj. ad cujus probationem neg. sup. min. non enim forma fit, ut in Phis. loc. cit. explicatum est, sed totum fit tale transmutatione ad formam, quæ non actu, sed potentia præ-

ces-

cesſit, quatenus ſubjectum poterat tale fieri actione naturalis agentis, hoc, quòd laté ibi de forma reali dictum eſt, poteſt in propoſito de ſpecie dici, quæ forma eſt intentionalis. Nihilominus reſp. 2. quòd ſpecies ſicut non eſt realitas aliqua, quæ reipſa ſit, ſed intentio & repræſentatio rei, ita non habet eſſe & fieri veré & re ipſa. Rurſus: non actione aliqua fieri, ſed quadã conſequutione in genere cauſæ *ad quam* dicemus art. ſeq. Præterea: ad præſentiam corporis opaci videmus in ſpeculo quandam ejus imaginem reſultare; eodem autem modo fit in potentia. Cętera argumenta mitto, quoniam procedunt ex ſuppoſitione, quòd ſpecies ſit realitas aliqua, quaré non ſunt cõtra nos.

ARTICVLVS III.

Expenduntur cætera, quæ de ſpecie dubitantur.

205 MInoris ſunt difficultatis alia, quæ de ſpecie dubitantur, quaré ea breviter expendemus. Dub. 1. de cauſa ſpeciei: cauſari quidem ab objecto ſupponunt omnes, an autem mediatè, vel immediaté nonnihil controvertitur. Averſa q. 53. ſec. 5. docet, immediatè ab objecto cauſari ſpeciem in ſenſu; eandẽ ſent. tenet Eliſ. q. 3. art. 4. pro ea que citat Scot. Conimb. & alios: quomodo autem hoc cohæreat cum eo quod iſti omnes DD. docent, quòd nempè agens non operatur in diſtans niſi quatenus operatur in medium, ego non capio; ſupponit Elis. pro intelligentia ſententiæ ſuæ, quòd agens poteſt agere in diſtans immediatè, dum tamen per medium agat; apertè autem implicat per medium agere, & tamen agere immediatè.

206 Dicendum, quòd objectum cauſat intentionalem ſui ſimilitudinem in medio in parte ſibi proxima, & ab iſta cauſatur in alia, & ab iſta in alia, & ſic uſque ad potentiam, quaré non immediaté ab ipſo objecto cauſatur ſpecies in potentia, ſed mediante ſpecie, quæ cauſatur in medio. Hujus ſufficiens probatio eſt, quòd nullum agens operatur in diſtans niſi quatenus operatur in medio: nõ ergo aliter poteſt intentio objecti in potentia cauſari niſi quatenus cauſatur in medio, & per ipſum multiplicatur uſque ad potentiam. Motiva autem in contrarium nullius ſunt ponderis, tantúm enim nititur Averſa in eo quòd ſępe ait Phil. potentias ab objectis immutari, quod quamvis verum ſit, non tollit, quin per medium immutentur.

Dub.

207 Dub. 2 Quomodo ab objecto causetur species? Quo circa duplex est dubitatio: altera an objectum ut causa principalis & virtute propria speciem causet, an potius virtute alicujus superioris agentis. Aversa citata sec. 5 ait communem esse sent. quòd ab objecto ipso virtute propria causatur species, & pro ea citat D. Tho. in 1. p. q. 111. art. 4. Sed in primis ibi S. D. asserit quidem potentias ab objectis immutari, non autem quòd propria virtute causet objectum intencionalem formam in medio; cum tamen, ut ipse adducit, in q. 5. de Pot. art. 8. doceat S. D. duplicem esse actionem corporis; aliam secundum proprietatem corporis; aliã verò secundùm quod attingit ordinem substantiarum separatarum, quasi participans aliquid de modo ipsarum, & in hoc ordine ponit productionem specici: tenet ergo apertè, quòd virtute alicujus superioris influentię speciem causat.

208 Dicendum, quòd objectum speciem causat virtute alicujus superioris influentiæ nobis ignoræ. Ita B. D. in Quodl. 3. q. 12. eandem tenet Avicen. apud D. Th. q. 10. de ver. art. 6. Aver. 2. de An. tex. 60. Buccafer. Suesan. quos ipse citat Aversa. Ratio est, quam supra innuimus q. 2. art. 3. Quia illa causalitas objecti æquivoca est, cùm sit alterius rationis, ipso etiam fatente Aversa, species causata ab objecto causante: debet ergo esse virtute alicujus superioris agentis. Rursus: objectum est sensibile in potentia; species autem in actu sensibilis: non ergo virtute propria potest ab objecto causari, & quamvis nobis non pateat quęnam sit illa influentia, fateri tamen debemus, aliquam esse, à qua veluti elevatur objectum ut causet intentionem in actu sensibilẽ.

209 Altera dubitatio est an aliqua influentiâ & vera causalitate causetur species ab objecto? Affirmare videtur communis sent. Dicendum nihilominus, quòd species causatur resultantiâ quadam & in genere causæ *ad quam*. Ratio est: quia causa, quę vera influentiâ agit debet subjectum disponere, quarè non in instanti agit, sed successivè, & in tempore; at videmus, quòd species in instanti causatur, quo objectum est medio pręsens, & per medium se multiplicat usque ad potentiam: ergo. Quòd si species auditus nõ in instanti se multiplicat, sed aliqua duratione, eo hoc est, quia auditus minus à materiali immutatione deputatur quàm visus, quaré non nisi media reali immutatione aeris defertur sensibilis immutatio, & illa aéris undulatio, qua defertur species auditus tempus aliquod requi-

quirit. Conf. videmus enim, quòd ex sola præsentia corporis sine ulla ejus influentia causatur imago in speculo; sed eodem modo causatur in medio: ergo.

210 Dub. 3. A quo conservatur species? Conservari quidem, licèt non diù, à subjecto ipso, in quo recipiuntur, docent Leonic. Celsf. Vazq. apud Aversa sect. 6. nituntur potissimè tex. Phil. in 2. de An. tex. 138. quo ait: *Abeuntibus sensibilibus insunt sensus & imaginationes in ipsis sensoriis.* Quod etiam habet S. P. cit. lib. 11. de Trin. cap. 2. Deinde experientia, quam ibi adducit S. P. Postquam enim excellens aliquod objectum, aut vehementi conatu conspicimus, etiam clausis oculis ante eos versatur imago ejus: ergo illam tunc non objectum, à quo causatur, sed potentia ipsa conservat, in qua recipitur.

211 Dicendum nihilominus, quòd species, & quælibet intentionalis forma, ab agente conservatur, à quo causatur. Cujus sufficiens ratio est experientia ipsa, qua videmus, quòd species, absente objecto, evanescit statim. Deinde: si quod subjectum eo præcisè quod subjectum est, vim haberet conservãdi speciem, maximè conservaretur species visibilis in speculo, nullum enim aliud fortiter adeò impressionem recipit; at videmus, quòd adeò in speculo à præsentia objecti conservatur species, ut non solùm absentia ejus pereat, sed etiam quolibet ejus motu moveatur: ergo. Dicitur autem *eo præcisè quod subjectum est*, quia memoria specialiter ad hoc à natura instituitur, & specialem habet vim conservandi speciem, quarè de hac difficultas non procedit.

212 Ad motiva in contrarium dicitur, quòd tex. Phil. non de specie, sed de sensatio, ne ipsa loquitur, & tantùm intendit, quòd actu sentiendi reponitur species in memoria, quę abeuntibus sensibilibus manet, ex quo nihil ad propositum. Ad experientiã ex P. Aug. deductã dicitur, quòd sivè ex vehementiori impressione ab excellenti sensibili, sivè ex majori conatu animæ conservatur aliquandiu attentio, sivè intentio copulans potentiam ad percipiendum, quarè amplius durat actus sentiendi, & neque hæc duratio permanens est & veluti in facto esse, sed transiens & in quodam fieri.

213 Dub. 4. Quomodo species ad actum concurrit? Hæc dubitatio latiùs de specie intelligibili controvertitur disp. seq. quarè breviter, quæ necessaria videbuntur, attingemus. Not. autem, quòd non procedit difficultas de specie pro materiali entitatis suæ, seu quatenus ab ob-

objecto differt, sic enim non terminat actum sentiendi, ut jam in præcedentibus patuit, quia ut docet P. Aug. sola ratio discernit inter speciem & id quod repræsentat, quo sensibilis species ad intelligibili differt; intellectus enim quia est supra actum suum reflexivus, non solùm actum, sed speciem etiam proprio actu attingit: quæritur ergo de specie ut objectum repræsentat, quam habet in actum sentiendi causalitatem? Communis ferè omnium sent. docet, concurrere speciem non solùm objective terminando actum, sed effectivè etiam comproducendo ipsum. Ita tenent qui ponunt potentias esse in sentiendo activas, & actum sentiendi producere, nempé species est actus 1. & ratio formalis agendi. Qui autem ponunt sensus esse potentias passivas, ut Henrriq. Savel. Tolet. & alij docent, totam causam sensationis effectivam esse speciem.

114 Nobis dicendum, quòd species nullam habet causalitatem directè effectivam in actum sentiendi. Prob. Aut species accipitur prout habet esse in medio & est immutativa potentiæ, aut prout est in ipsa potentia & eam determinat ad actum sentiendi; sed priori modo tantúm habet causalitatem causæ *ad quam*, posteriori autem tantùm habet terminare actum: ergo nullomodo habet causalitatem veré effectivam. Prob. min. quantùm ad 1. quidem: Quia eodem modo se habet species in medio relatè ad potentiã, sicut objectum ipsum relaté ad medium; sed objectum non habet ullam influentiam aut causalitatem verè effectivam sed tantùm in genere causæ *ad quam*, & per resultantiam sequitur immutatio medij ad præsentiam objecti, ut jam supra patuit: ergo pariter in potentia causatur immutatio à specie, quæ est in medio. Quantùm ad 2. ostenditur eadem min. Quia postquam potentia determinatur per immutationem causatam à specie, quæ est in medio, exercitium ejus omninò passivum est, nempè percipere id, quod in specie repræsentatur, ut etiam in præcedentibus probatum est; sed in hoc tantúm habet species terminare illam perceptionem: ergo.

215 Arg. in contrarium 1. auth. P. Aug. lib. 11. de Trin. cap. 2. quo ait: *Gignitur ex re visibili visio, sed non ex sola, nisi adsit & videns*; clariús autem lib. 9. de Trin. cap. 12. ait: *Liquidò tenendum est, quod omnis res quamcumque cognoscimus congenerat in nobis notitiam sui: ab utroque enim notitia paritur, à cognoscente & cognito.* Qui locus adeò famosus est, ut jam veluti principium habeatur *ab objecto & potentia*

paritur notitia. Resp. ad 1. locum, quòd non de specie in ipsa potentia, sed de objecto seu re extra loquitur, & ait non quòd ab ipsa, sed quòd ex ipsa gignitur actus; 1. forte posset influentiam significare, quamquam etiam de causalitate *ad quam* posset exponi, verè enim à corpore causatur in speculo similitudo, non tamen proinde aliqua effectiva causalitate; secundò autem causalitatem quidem significat, quam non negamus, non autem verè effectivam, de quo est controversia. Ad alterum locum sensum S. P. ex ipsis ejus verbis dedimus supra n. 136. latiùs autem locum illum expendemus disp. seq. agentes de intellectu, de quo magis controvertitur.

216 Arg. 2. ex ipsa naturali institutione speciei: est enim cognitio naturalis similitudo rei cognitæ, quarè ab objecto ipso media specie habet potentia hanc similitudinem; sed hoc nullo meliori modo salvari & concipi potest, quàm ponendo, quòd species effectivè ad actum concurrat: ergo. Resp. quòd maj. disp. seq. examinanda est, interim non aliter cognitio est similitudo objecti, quàm quia ut ait Phil. visio est quædã coloratio nempè imprimitur potentiæ similitudo rei, quam ipsa percipit, quarè non ipsa perceptio seu cognitio formaliter ut est motus vitalis est expre[s]sa similitudo objecti, sed realiter u dicit ipsam formam perceptam Hoc misso neg. min. sufficit enim, quòd species in medio existens habeat causalitatem causæ *ad quam*, ut causetur in potentia similitudo rei cognitæ, sicut causatur in speculo ex sola præsentia corporis. Cętera solventur disp. seq.

ARTICVLVS IV.

De objecto sensibili in communi,

§. I.

Quid sit, & quotuplex sensibile?

217 QUantum ad 1. supponunt omnes, sensibile esse singulare materiale quantum & quale, tantúm enim ab hoc immutatur sensus. Dub. autē 1. an existentia ita sit de ratione sensibilis, quòd impossibile sit sensu aliquo percipi objectum non existens? De quo nonnulli asserunt absolutè impossibile esse sensu aliquo percipi objectum non existens. Ratio est: quia sensus omninò non abstrahit, quarè actus ejus est de necessitate intuitivus; actus autem intuitivus in hoc ab abstractivo differt, quòd intuitivus terminatur ad rem præsentem & existentem. Alij distinguunt,

&

& de sensu quidem interno asserunt terminari posse ad objectũ non existens, negant verò de externo.

218 Nobis dicendum absolutè, posse sensum tam internum, quàm externum terminari ad objectum non existens. Id aperté deducitur ex eo quod fide tenemus in Eucharistia, nempé sensus percipit panem, ubi tamen panis non existit, alioqui discerneret sensus hostiam consecratam à non consecrata. Neque refert dicere, quòd sensus in Eucharistia percipit accidentia, quæ verè ibi sunt. Non, inquam, id reffert: tùm quia non accidentia ibi esse, sed tantùm species accidentium tenet modernorum sent. neque ea rationi repugnat: tùm quia eodem prorsus modo quo substantiam panis existentem in hostia non consecrata percipit indirecté in hostia consecrata percipit non existentem, alioqui non falleretur, & posset discernere hostiam consecratam à non consecrata.

Ratio autem est: quia sensus non attingit objectum immediatè in se ipso, sed media specie ipsum repræsentante: si ergo non existente objecto conservet Deus ejus speciem, æquè ab ea immutabitur sensus ac existente objecto, & verè percipiet objectum non existens. Neque dicas, tantùm probare hanc rationem, quòd de posse absoluto & interveniente miraculo poterit sensus attingere objectum non existens. Non, inquam, id dicas: tùm quia conaturaliter conservatur in memoria species objecti non existentis, & ab ea immutatur sensus internus, quarè non est de ratione sensibilis existentia: tùm deinde, quia licèt miraculum interveniat in conservando speciem non existente objecto, ea tamen conservata connaturaliter immutaretur sensus: per se ergo non est de ratione sensibilis, adhuc connaturaliter existentia, & per se potest sensus cõnaturaliter percipere non existens, quamvis per accidens non percipiat, quia species pro sui conservatione dependet ab existentia objecti.

219 Ad motivum in contrarium dicitur, quòd non est de ratione intuitionis, quòd attingat rem præsentem & existentem, sed tantùm quòd à nullo abstrahat, quaré sufficit, quòd in specie repræsentetur cum conditionibus existendi: poterit autem à specie ita repręsentari quamvis objectum non existat, sicut de facto ita repræsentat species, quæ conservatur in memoria, etiam non existente objecto.

220 Dub. 2. An objectum sensibile sit quidditativé & metaphisicé materiale, ita quòd etiam de posse absoluto repugnet sensum à spirituali immuta-

ri? De hoc nullus quærit, supponunt enim omnes, sensibile & materiale dici ad cóvertentiam. Quandoquidem autem sent. est P. Aug. à nobis in Theologia propugnanda, quòd oculus corporis potest elevari ad videndum Deum, dicendum, quòd connaturaliter sensibile est de necessitate materiale, quid ditativè autem & metaphisicè abstrahit à materiali. Quantum ad 1. quidem de facili patet: est enim virtus sensitiva alligata organo corporis, quod connaturaliter nonnisi à materiali & corporeo potest immutari.

Quantum ad alterum pro nunc breviter ostenditur: Non latiùs patet sensitivum ut tale, quàm sensibile; sed sensitivum abstrahit ab eo quod sit in entitate sua materiale: ergo & sensibile. Patet maj. quia sunt in eodem gradu. Item min. quia sensitivum in nobis est virtus animę, quæ entitativé spiritualis est. Nec refert quòd anima nostra non formaliter, sed eminenter sensitiva est. Nihil, inquam, hoc refert: non enim hoc tollit quin veré immutetur à sensibili & illud percipiat: ergo pariter poterit sensibile esse entitativé spirituale, quod quamvis dicatur eminenter sensibile, veré tamen poterit sensum immutare, & eo percipi. Conf. 1. Quia immutatio sensus fit per speciem sine materia: quamvis ergo connaturaliter requirat objectum corporeum, eo quod immutatio intentionalis potentiæ non fit sine reali immutatione organi, metaphisicé autem de materiali se habet corporeitas objecti. Conf. 2. Non minùs, imò magis repugnat spiritualem potentiam à corporali objecto immutari, quàm corporalem potentiam ab objecto spirituali; sed de facto elevatur corporale objectum ut immutet spiritualem potentiam: ergo poterit è converso corporalis potétia elevari ut à spirituali objecto immutetur. Maj. patet, quia nobilior est conditio agentis: si ergo non repugnat metaphisicé spiritum à corpore pati, minus repugnabit in corpus agere. Min. item latè ostendit B. D. in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. in opusc. de Inferno cap. 12. & in Quodl. 2. q. 9. quod nempè anima damnatorum à corporali igne patiũtur sensibilem dolorem, eo quòd sensibilis immutatio fit per species sine materia.

Ratio autem est: quia quòd objectum sit spirituale vel materiale pertinet ad esse entitativũ; hoc autem de materiali se habet & alterius est ordinis ad virtutem operativam. Non proinde quilibet sensus poterit à spirituali objecto immutari; habet enim quilibet sensus determinatam sphæram, & à determinata ra-

tatione immutatur, aliquæ autem repugnant spiritualibus cõvenire: ad propositum ergo tantùm intendimus, quòd non est de quidditativa ratione sensibilis ut sic & in communi quòd sit entitativè materiale. Hoc latiùs prosequi præsens institutum non patitur, quarè ad propositum hæc sufficiant.

221 Quantum ad 2. sensibile triplex esse docet Phil. nempé proprium, commune, & per accidens. Dividitur sensibile in per se & per accidens: per accidens dicitur sensibile, quod non ratione sui attingitur, sed quia conjunctum est ei, quod per se attingitur, & hujusmodi est substantia; in qua substentantur & sunt accidentia, quæ per se sensu attinguntur, attingit enim visus v.g. album, quod autem sit lapis aut paries de materiali est & per accidens. Deinde per se sensibile dividitur in proprium & commune: propriũ dicitur quod ad unum sensum determinatur, & ab eo tantùm attingitur, ut color visu, sonus auditui: commune sensibile dicitur non positivè, quod omnibus attingatur sensibus, sed negativè, quòd non uni determinatur, ut magnitudo, distantia & alia hujusmodi; non solùm enim visu, sed auditu etiam percipitur distantia, & magnitudo tactu etiam attingitur. Quinque assignat Phil. communia sensibilia, nempè motus, quies, numerus, figura, magnitudo, de quibus nonnulla dubitantur.

In primis Phil. ipse asserit, quòd numerare soli competit homini; at sentire brutis commune est: non ergo numerus ad sensibilia pertinet. Resp. quòd numerus est multitudo mensurata per unum, quarè pro formali includit actum animæ, pro materiali autem dicit ipsa multitudinem, & hoc sensu est commune sensibile. 2. Quies non sentitur, quare non debuit in numero communium sensibilium computari. Resp. quòd quies non ponitur commune sensibile quasi positivo actu sentiatur, sed quia actus ipse videns colorem, v. g. videt ipsum non moveri. 3. Distantia sensu percipitur, quare debuit illis quinque addi. Resp. quòd distantia ad magnitudinem reducitur, quarè non debuit poni sensibile diversum. 4. Amicabile & inimicabile, & aliæ similes affectiones sensu saltim interno percipiuntur, quaré debent inter communia sensibilia poni. Resp. quòd amicabile & inimicabile ipsam dicunt convenientiam aut disconveniẽtiam, qua movetur appetitus sensitivus, quare non sunt speciale sensibile.

Tandem difficultatẽ facit quomodo commune sensibile per se sẽsibile dicitur? Hujus ratione assignat Com. quia cõmune sẽsibile sub-

subjectum est sensibilis proprij, quam rationem non ex toto rejicit B. D. ea tamen debet amplius explicari, alioqui ex ipsa sumitur motivum dubitandi; eo enim dicitur substantia per accidens sentiri, quia subjectum est accidentis, quod per se sentitur. Ad hoc resp. B. D. quòd aliter substantia, aliter verò commune sensibile subjectum, est, nempè substantia subjectum est accidentis, quod sentitur ut est forma quædam, commune verò sensibile est subjectum proprij per se in quantum est sensibile, quaré etiam per se est sensibile, licèt non 1.

§. II.

An commune sensibile propriam habeat speciem?

222 DE hoc nonnihil cõtrovertitur. Prima sent. affirmat, pro qua Aversa, & Conimb. citant B. D. in hoc 2. de An. cap. 6. & Scot. in 4. dist. 12. q. 3. & nonnullos alios. 2. eaque communis sent. docet, per eandem speciem proprij sensibilis percipi commune. Hanc proculdubiò tenet B. D. nam in hoc 2. lect. 13. dub. 1. quærit: an commune sensibile aliquid efficiat in sensu? Ad quod dicendum ait de necessitate quod aliquid efficit alioqui non per se sentiretur; in explicando autem quid efficit, ait, quosdam tenere, quòd propria sensibilia sensum immutant quamtùm ad causandam speciem, commune verò sensibile tantùm quãtum ad modum actionis. Hanc positionem rejicit, & quia intendit, quòd causare speciem etiam competit communi sensibili, hinc ortum duxit deceptio, qua putatur 1. tenuisse sent.

Sensus ergo & intentum ejus est, quòd proprium sensibile per se & seorsim à communi non habet causare speciem, quarè ad hoc etiam concurrit ipsum commune sensibile, & consequenter non tantùm quantum ad modum actionis; ex hoc autem non sequitur, quòd commune sensibile speciem habeat aliam à specie sensibilis proprij. Probationem desumit ex principijs Perspectivæ, quibus asseritur, quòd species in oculo v. g. causatur diametraliter à dextra parte objecti in dextram oculi, & à sinistra in sinistram; patet autem, quòd habere dextram & sinistram non intelligitur sine magnitudine, est enim positio: color ergo non sic per se causat speciem, quod seorsim à magnitudine, quæ est commune sensibile. Hoc ut aperte patet, non est asserere, quòd sensibile commune propriam habeat speciem aliam à specie proprij sensibilis, sed tantùm quòd immutat sensum non quantum ad modum actus

actus, ut illa positio intendebat, quam ibi rejicit, sed etiam quãtum ad causare speciem.

223 Dicendum itaque, quòd comune sensibile non habet speciem propriam aliam à specie proprij sensibilis, non tamen ita per speciem proprij sensibilis attingitur, quòd ea aut solúm repræsentet propriũ sensibile, aut ab eo solo causetur, sed ab utroque communi & proprio causatur, & utrumque repræsentat. Hoc & non aliud intendit ipse etiam Scot. nam n. 37. intendit, quantitatem sine qualitate non posse in sensum agere, & ejus ratio est: quia etsi sit per se sensibilis non tamen 1. quod autem est 2. sensibile non agit in sensum sine eo quod est 1. sensibile; deinde subjungit, quòd aut non habet propriam speciem, ut multi volunt, sed tantúm facit ad modum immutandi potentiam; vel si cum sensibili proprio propriam causat speciem, quod ipse videtur tenere, non tamen istam potest causare sine sensibili proprio concomitante. Hoc nonnihil relinquit dubiam mentem ejus, posset tamen de facili exponi pro communi sent. dicendo, quòd non aliud intendit, quàm id, quod ex B. D. explicuimus, quidquid de hoc sit.

224 Prob. prior pars: Quia commune sensibile non habet rationem alicujus sensus immutativam de se & seorsim à proprio, alioqui non commune esset & per se 2. sensibile, sed proprium & per se 1. sed si propriam haberet speciem aliam à proprio sensibili haberet rationem alicujus sensus immutativam, & ea aliquo sensu discerneretur à specie proprij sensibilis: ergo. Prob. min. quia illa species sensibilis esset: ergo esset actus alicujus sensus. Altera pars de facili item ostenditur: quia proprium sensibile non nisi medio organo immutat virtutem sensitivam; insuper immutare habet secundúm modum quem habet in re extra, sensus enim non abstrahit; sed ad hoc utrumque concurrit commune sensibile, puta magnitudo, distantia, motus, & similia, ut de se est manifestum: non ergo aliter quàm simul cum communi speciem causat.

225 Arg. 1. in contrariũ: In mente reperitur species commune sensibile repræsentans per se & seorsim à proprio; at intellectus noster à sensibus species accipit: ergo ea etiam reperitur in sensu. Patet maj. quia intellectus de sola quantitate v. g. cogitat. Conf. Si commune sensibile non habet propriam speciem, non est per se sensibile, sed per accidens; sed hoc est contra Phil. & omnes: ergo. Prob. maj. eo enim substantia per accidens sentiri dicitur, quia

quia non propria specie immutat sensum, quare per alterum sentitur; sed pariter commune sensibile per alterum sentiretur, si non haberet propriam speciē, nempé per speciem proprij sensibilis: ergo. 2. Si eàdem specie repræsentatur proprium & commune sensibile, non amplius decipitur sensus circa commune, quàm circa proprium; sed hoc est contra Phil. ergo.

226 Resp. dist. min. à sensibus accipit species, ita quòd species ipsa quę est in sensu, immutet intellectum, neg. min. Ita quòd ab illa in virtute luminis intellectus agentis causetur species in intellectu, conc. min. & neg. conseq. Itaque eodem argumento posset probari, quòd in sensu datur propria species substantiæ, hanc enim intellectus percipit: alia ergo species est quam habet intellectus, & alterius gradus, quamvis causetur à specie quæ est in sensu, quia causatur in virtute intellectus agentis, ut infrà dicetur, quaré ex quo sit species alicujus in intellectu non sequitur, quòd ea sit in sensu. Ad Conf. neg. maj. Ad prob. dicitur, quòd in specie accidentis non repræsentatur directe & per se substātia, at verò in specie proprij sensibilis repræsentatur communem, ipsa enim magnitudinem & figuram repræsentat visibilis species, quarè sensibile commune propriam speciem habet, licèt non aliam à specie sensibilis proprij. Ad 2. neg. maj. licèt enim in eadem specie repræsentetur utrumque, quia tamen non æquè 1. contingit deceptio circa alterum, de quo infra.

227 Arg. 2. Cœlum tangibile est; sed in cœlo non sunt qualitates elementares, quæ sunt proprium sensibile tactùs: ergo per se & seorsim à proprio sensibili potest percipi commune, & consequenter propriam habet speciem. Conf. Quia sensus discernit commune sensibile tùm à proprio, tùm ab alio communi: ergo ipsum commune sensibile percipit per se & seorsim à proprio. Resp. quòd licèt in cœlo non sint qualitates trāsmutationi per se deserviētes, quia ipsum est intransmutabile, sicut autem hoc non tollit, quin sit in cœlo vera quantitas ejusdem rationis cum quantitate sublunarium, ita non tollit, quin sit ibi rarum & densum, asperum & molle, quæ sunt propria tactus sensibilia. Ad Conf. neg. conseq. Ad hoc enim ut sensus inter utrumque discernat, sufficit, quòd utrumque per se attingat, non autem requiritur, quòd utrumque attingat seorsim & proprio actu.

§. III

De comparatione sensibilis ad sensum.

228 HOc circa dubitatur, an aliquod sensibile possit immediatè sensum afficere? Ratio dubitandi ex tactu desumitur: etsi enim in alijs apertè pateat, quòd sensibile non per se ipsum immediatè sensui unitur, in tactu verò experimur oppositum, videmus enim, quòd objectum in se ipso tactu palpamus, & dum tactu calorem percipimus, manus ipsa fit calida, quarè sibi immediatè unitur calor ipse, qui sentitur. In contrarium autem est Phil. ipse, quem omnes sequuntur Peripatetici: nam in 2. de An. tex. 75. ita habet: *Nam si qui super ipsum instrumentum sensus, vel id, quod sonat, vel id, quod olet, posuerit, nullus profectò sensus afficietur*; ex quibus principium habetur, quòd sensibile positum supra sensum impedit sensationem, subjungit autem: *Simili modo res sese habet in tactu, & etiam gustu, sed non apparet*; quod item latius prosequitur toto cap. 11. quod est de tactu.

Not. autem, quòd illius principij rationem quidam hanc assignant: quòd sensibile si per se ipsum sensui conjungitur lædit ipsum, & solvit temperamentum ejus, quarè non per se ipsum unitur ad faciendam sensationem. Hæc ratio & falsum assumit, & insufficiens est: falsum quidem assumit, non enim lædit sensibile eo quod immediatè conjungitur, sed eo quod excellens, siquidem sensibile ex terminis proprio sensui convenit. Deinde insufficiens est illa ratio, quia lædere non obstat quominus sentiatur; siquidem dolor est sensatio excellentis & læsivi sensibilis: percipitur ergo quamvis sit excellens & læsivum. Ratio ergo illius principij non alia est, nisi quia connaturaliter non nisi per medium immutatur sensus.

229 Dicendum itaque, quòd nullum sensibile immediatè conjungitur sensui, & per se ipsum immutat. Hanc intendit Phil. loc. cit. tex. enim 74. refert opinionem Democriti, quòd si medium esset vacuum, formica etiam in cœlo existens exactè perfectèque videretur; contra autem ipse ait, quòd omninò videri non posset si medium esset vacuum. Rationem verò hanc subjungit: quòd visio fit quatenus sensus patitur à sensibili; impossibile autem est, quòd ab ipso immediatè patiatur: restat ergo quòd à medio, quarè necesse est medium ponere, addit verò quòd idem est de alijs sensibus.

Ratio autem ex parte objecti est: Quia, ut ipse ait Phil. cap. 12. commune est omni sensui immutari per speciem sine materia; at objectum sensibile in se ipso habet esse materiale: non ergo ab ipso potest immutari. Ex parte verò potentiæ; quia virtus & potentia sensitiva non in ipso consistit organo corporali, sed illi affixa est, contactus autem ad ipsum fieret corporale organum. Præterea: si de quo minus apparet ita est, multo amplius de reliquis; at tactus, de quo minus apparet, non nisi per medium immutatur: ergo. Ostenditur min. non enim in ipsa carne est organum tactus, sed in nervo quodam per totum corpus diffusso, quare in toto viget tactus; nervus ille cute contegitur & parte carnis, quarè non immediatè ad ipsum sensum tactus conjungitur objectum tangibile.

230 Ad motivum dubitandi dicitur, quòd contactus tangibilis ad carnem fit, ut jam diximus, qua media immutatur organum, cujus signum est, quòd si aliqua de causa torpet sensus, fit contactus & immediatè conjungitur manui corpus tangibile, non autem fit sensatio. Ad aliud, calefit quidem manus cùm calorem sentit, non autem in hoc consistit sensatio, quòd fiat calida, siquidem læso organo calefiet, non autem calorem percipiet, ut sæpè experimur si manus sit nimis frigida: non ergo calor per se ipsum, sed per speciem sine materia sensui unitur.

ARTICVLVS V.

De actu sentiendi in communi.

§. I.

An actus sentiendi sit de necessitate intuitivus?

231 PRo expeditione oportet præmittere quo intuitiva notitia ab abstractiva differat, de quo multi latè controvertunt: quantùm ad propositum attinet, abstrahere duobus potest modis accipi, propriè enim abstrahere est ex duobus, quæ ad potentiam pertinent, seu ejus rationem objectivam continent unum sine altero percipere: quando ergò æque 1. utrumque continet rationem objecti, unum sine altero attingere propria abstractio est; quando verò alterum per se 1. alterum verò aut non per se, aut non 1. tunc quòd alterum sine altero attingatur minus propriè abstractio est, quia tamen utrumque ad potentiam pertinet, & ea potest attingi, quodammodo ea abstrahit ab eo quod non attingit: prio-

ri

ti modo abstrahere soli competit intellectui, cujus est solius aut genus sine specie, aut speciem sine individuo attingere; posteriori modo comparatur ad sensum proprium & commune sensibile, quare dubium esse potest, an actus ejus saltim minus propriè abstrahat.

Not. autem, quòd ut actus ipse dicatur abstrahere, non solùm requiritur, quòd utraque ratio, quarum altera attingitur altera non attacta, pertineat ad potentiam, sed etiam quòd utraque in specie repręsentetur qua potentia fit in actu; si enim altera tantùm repręsentatur, tunc non actus ipse abstrahit, aut potentia, quæ alteram tantùm attingit, sed species, quæ alteram tantùm repræsentat. Hinc nulla est abstractio in eo quod visus v. g. album sine dulci percipiat; quamvis enim utrumque sit in objecto, dulce autem non pertinet ad potentiam visivam: hinc item voluntas non abstrahit; quamvis enim objectum attingat sub determinata aliqua ratione boni, cum objectum alias habeat, quas ipsa posset voluntas attingere, tamen sub hac intellectus proponit, quare hanc tantùm sibi repræsentat species, & sic non ipsa abstrahit, sed intellectus sic proponens. Ratio autem est, quia abstractio quædã est separatio unius ab altero; tunc autem non ipsa voluntas aut actus ejus separationem facit, sed factam invenit ab intellectu.

232 Ad propositum itaque, notitia intuitiva illa est, quæ à nullo abstrahit, seu quæ omnia attingit, quæ ad actum suum pertinent; abstractiva autem, quæ aliquid non attingit, ab hoc nempè abstrahit. Quod si dicas: species impressa intellectus nostri non repræsentat conditiones individuantes, ad hoc enim in virtute intellectus agentis causatur species intelligibilis à specie quæ est in phantasmate, ut ea sit in actu intelligibilis, cùm species, quæ est in phantasmate, sit in actu sensibilis, eo quod repręsentat conditiones individuantes: sequitur ergo, quòd directa cognitio intellectus nostri erit intuitiva, nempè à nullo abstrahit ex his, quæ sibi repræsentantur in specie, & abstrahere à singularitate non ipsius est intellectus, sed speciei, quæ singularitatem non repræsentat. Ad hoc dicitur, quòd intellectus noster in illa eadem specie singularitatem attingit actu reflexo, & per conversionem ad phantasma, ut dicetur disp. seq. quarè illa species singularitatem suo modo repræsentat, licèt non directè & per se 1. sed indirectè & ex quadàm habitudine ad phantasma: abstrahit ergo intellectus noster cùm ipsum quid sine sin-

laritate attingit, licèt non æquè propriè ac cùm attingit gradum quidditatis sine altero, quia hic uterque gradus æque 1. & ad actum directum pertinet, & in specie repræsentatur.

Not. itaque est de ratione intuitionis, quòd objectum attingat immediatè in se ipso, ut multi volunt, qui in hoc notitiam intuitivam ab abstractiva distinguunt, quòd hęc mediatè & in specie, intuitiva verò immediatè in se ipso objectum attingit: cùm enim illapsus creaturæ repugnet, nullum objectum creatum potest per se ipsum immediatè uniri potentiæ, & quodlibet de necessitate unitur media specie, in qua repræsentatur, quarè nulla notitia objecti creati esse posset intuitio, quod nullus dicit; patet enim quòd visio sensitiva intuitio est, quę tamen objectum in specie attingit ipsum repræsentante. Neque item est de ratione intuitionis, quòd terminetur ad objectum præsens & existens, secundum quod prę̃sens & existẽs est, ut alij explicant: Si enim alicujus objecti visibilem speciem Deus conservet, ipso non existente, in illa videbitur objectum, & illa visio ocularis intuitio erit: solùm ergo est de ratione intuitionis, quòd attingat objectum secundum modum, quem in se ipso habet, seu quòd à nullo abstrahat, ex his quæ ad potentiam pertinẽt; quarẽ si omnia repræsentet species, notitia etiam si sit per speciem erit intuitiva.

233 Ex his ad propositam difficultatem dicitur, quòd sensus exterior omninò non abstrahit, actus autem sensus interni licèt non proprè, latè autem & minus propriè potest esse abstractivus. Quantum ad 1. prob. de facili: quia sensus exterior natus est immutari per speciem ab objecto causatam, neque aliud habet, quàm id percipere quod species repræsentat; at objectum speciem, causat ut in se ipso est: ergo. Quantum ad 2. item, quia interior sensus species non accipit ab objecto ipso, neque ab eo conservantur, sed à memoria, quarè minus alligatur ad modum & conditiones objecti in se ipso: unde experimur, quòd in somnis imaginativa aliquando objecta attingit omninò eodem modo ac exterior sensus; aliquando verò modum non attingit, quem res extra habet, quarè à distantia, motu & alijs communibus sensibilibus potest abstrahere.

***

***

§. II.

De veritate in actu sentiendi.

234 DUplex quantum ad hoc potest occurrere difficultas: altera, an actui sentiendi competat verum esse vel falsum? Altera, quo sensu verum sit, quod Phil. ait, sensum circa proprium sensibile non decipi, benè autem circa commune? Pro expeditione not. ex dicendis in Met. quòd veritas ut sic, & communiter in quadam adæquatione consistit; est autem duplex veritas, altera entis, quæ dicitur veritas objectiva; altera cognitionis, quæ dicitur veritas formalis; prior consistit in adæquatione rei ad sua prædicata, ut illud est verum aurum, quod habet prædicata auri, hæc ad propositum non refert: veritas cognitionis duplex item est, altera apprehensionis, quæ consistit in adæquatione cognitionis ad rem cognitam, ut illa cognitio est vera, quæ objectum percipit ut in se est, altera judicij, seu compositionis, quæ asserit esse quod non est, aut è converso, & de hac dicitur quòd abstrahentium non est error, aut falsitas.

De hac 3. veritate Conimb. in 2. de An. cap. 6. q. 6. art. 2. docent, quòd in actu sentiendi tantùm potest reperiri ocasionaliter, quatenus nempè actus sentiendi motivum præbet intellectui ut esse judicet, quod non est, aut é converso, non autem formaliter & in ipso actu. Ratio esse potest: quia illa veritas est judicij, quo aliquid affirmatur aut negatur de re cognita; at affirmare vel negare proprius actus est intellectus: ergo.

235 Dicendum nihilominus, quòd talis veritas reperiri potest in actu sensûs interni. Prob. quia judicium ferre de sensatione ipsi competit interno sensui; at judicium faciens de sensatione potest judicare ita esse quod non est, aut é contra: ergo. Min. experientia constat, qua dormientes imaginamur sæpe aliquid nos sensu percipere, audire, videre, loqui, vehementissimum item sentire dolorem, & ita sensum affici imaginativa tunc judicat; non autem ita est: ergo falsa est illa imaginatio. Ad motivum in contrarium dicitur, quòd affirmare vel negare soli competit intellectui, non autem solius est affirmationis aut negationis judicium ferre: sicut ergo bruta sine discursu illud agunt, quod homo cum discursu exequitur, quia minus propriè, ut supra diximus q. 2. art. 2. ita imaginativa sine affirmatione proprié tali illud fert judicium, quod intellectus per affirmationem, quia mi-

minus proprium hoc judicium est, suo autem modo judicium, quo ita esse veluti asserit, & in quo fallitur.

236 De altera veritate major est difficultas: Phil. enim hic tex. 63. distinguens propriũ à communi sensibili ait, propriũ id esse, quod uno tantùm sensu sentitur, *et circa quod error fieri nequit*, & quia exceptio firmat regulam in contrarium, relinquitur, quòd circa commune error contingit & deceptio: idem habet tex. 152. quo distinguens inter scire & sentire ait: *Etenim proprium sensus semper est verus, & universis animalibus inest; at fit ut falsò quis ratiocinetur.* Tunc autem difficultatem facit utrumque; falli enim contingit sensum circa proprium sensibile, ut cùm à longe videt objectum, alio sibi colore repræsentatur, cum perspicillo utitur aliquo colore colorato, omnia illius coloris percipit esse, cum palatum cholerà affectum est, quæ dulcia sunt, amara percipit, & ita in multis alijs; similiter, quo sensu & qua ratione circa commune sensibile contingit deceptio, non uno modo explicatur.

In primis itaque fuit sent. Carneadis & omnium Academicorum, quòd sensus semper fallitur, & ei numquam fides adhibenda est, ex quo deducebãt nihil posse à nobis, sciri quia omnis nostra cognitio ex sensibus ortum ducit, quo circa refertur sent. Anaxag. dicentis, nivem esse nigram, quæ à nobis deceptione sensus alba putatur. Hunc errorem multis in locis rejicit P. Aug. ex instituto autem duobus lib. quos contra Academicos inscripsit. Oppositum tenuit extremum Epicurus, quòd nempé sensus nunquam fallitur, quod item tenere videntur moderni, omnem enim philosophandi viam ex sensibus, & sensibili experientià desumunt. Mediam tenet viam sent. Phil. quòd nempè circa proprium sensibile non fallitur sensus, benè autem circa commune. Quod multis explicant modis Peripatetici, quos vide, si placet, apud Aversa, & Rub. neque enim in re parvi ponderis libet immorari; interim tamen apertè recedit à sent. Phil. Elis. hic q. 3. art. 3. §. 3. asserens, quòd sola imaginatio decipitur ocasione ex sensibus desumpta; ipsos enim falli sensus rarò quidem circa propria, sæpè autem circa communia sensibilia, expresé habet Phil. locis cit. & clariús item tex. 161.

237 Dicendum ergo, quòd sensus circa proprium sensibile non nisi per accidens decipitur, at verò circa commune aut per accidens sensibile decipitur etiam per se. Hęc proculdubiò est mens Phil. locis cit.

est. quia enim per se non contingit error circa proprium sensibile, bené autem circa alia; ait absolutè, quòd sensus in proprio sensibili non fallitur, quia verò per accidens potest falli, ait tex. 161. *Quod aut semper est verus, aut rarò admodùm suscipit falsitatem.* Ita exponit sensum Phil. N. B. D. in 2. de An. lec. 30. & 32. quibus textus illos exponit. Sensus est, quòd sensibile proprium per se habet repræsentari in specie sicut est, aliter autem repræsentari tantùm ex dispositione medij, quod est per accidens; commune verò sensibile per se & secluſa medij dispositione accidentali contingit aliter repræsentari.

238 Prob. ergo quantũ ad utramque partem: Sensus non percipit objectum nisi quatenus sibi in specie repræsentatur; sed proprium sensibile tantùm per accidens contingit aliter repræsentari, proprium verò etiam per se potest aliter repræsentari ac est: ergo per se & ex necessitate objecti contingit deceptio circa commune sensibile, circa proprium verò non nisi per accidens. Prob. min. quantum ad 1. quidem: quia quòd album v. g. non ut album repræsentetur, non est ex ipsa albedine, aut potentia percipiẽte, sed aut ex nimia distantia, aut quia medium, per quod multiplicatur species, aliquo alio colore affectum est; quia enim unumquodque recipitur secundum modum sui recipientis, si medium est viride v. g. hujus coloris recipit speciem, quarè in quacumque alia parte causabit speciem viridis, & eo ait Phil. quòd pupilla est omninò abscolor, ut possit omnium colorum species recipere, & de omnibus judicare: quia ergo hęc medij dispositio per accidẽs est túm ad potentiam, túm ad objectum, per accidens tantúm contingit, quòd potentia proprium sensibile aliter percipiat ac est.

Quantum ad 2. ostenditur eadem min. Si enim circa magnitudinem decipitur visus v. g. ex ipsa oritur magnitudine quòd aliter repræsentetur in specie ac in se est, puta quando in aliqua distantia turris, quæ in se est quadrata apparet rotunda, aut objectum multò minoris magnitudinis ac est, non ex dispositione medij, aut alio per accidens se habente, sed ex ipso communi sensibili hoc ortum, ducit. Primũ enim cõtingit, quia figura quadrata non ex æquo secundúm omnes partes respicit medium, & eo minus fortiter impressionem causat secundum aliquas, quarè in aliquali distantia non discernitur partium positio & apparet figura rotunda; alterum contingit, quia.

ut

ut ex principijs Perspectivæ supponitur, visibilis species ab objecto ad potentiam se multiplicat pyramidaliter, & quo magis à potétia distat objectum major est vasis pyramidis: quia ergo potentia determinatam habet sphæram activitatis suæ quo magis ab ea distat objectum, languescit & debilitatur virtus ejus, quarè aliquando non ad totam pervenit longitudinem pyramidis, & minorem percipit ejus vasim & objecti magnitudinem, ut Solem in palmari magnitudine videmus, cùm magnitudo ejus totam excedat terræ mollem: vides ergo, quòd ex ipsa est magnitudine ita repræsentari.

239 Dices autem: postquam species repræsentat objectum ut in se est, poterit potentia aliter percipere, est enim ipsa defectibilis in actu suo: per se ergo poterit errare etiam circa proprium sensibile. Resp. neg. ant. Ad rationem ejus dicitur, quòd ex potentialitate contingit error in intellectu nostro, & quia non uno actu apprehendit genus & differentiam, potest non debitè conjũgere differentiam generi, & sic errat in apprehensione, similiter quia non debitè applicat prædicatum subjecto, errat in formando judicium, & quia non debitè deducit conclusionem ex principijs, errat in formando discursum, in simplici autem perceptione illius quod in specie repræsentatur error non cadit; sensus autem erga proprium sensibile ullomodo non habet cõponere, aut unum alteri conjungere, sed tantúm simpliciter percipere quod sibi repræsentat species: solùm ergo potest sibi contingere deceptio ex eo capite, ex quo oritur, quòd species non benè repræsentet.

240 Not. autem, quòd non semper ac sensus aliter percipit ac objectum in se habet, ipsius sensus ita percipientis deceptio est, fallitur enim aliquãdo imaginatio in ferendo judicium de sensatione, quod pulcherrimè explicat S. P. lib. de ver. Relig. cap. 33. postquam enim ostendit, quòd species, quam objectum causat, non nos fallit, subjungit: *Sed ne ipsi quidem oculi fallunt, non enim renunciare possunt animo nisi affectionem suam; quodsi non solùm ipsi, sed omnes corporis sensus ita renunciant ut afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus, ignoro; si quis remum in aqua frangi opinatur, & cum inde aufertur, integrari, non malum habet internuncium, sed malus est judex: nam ille pro sua natura non potuit aliter in aqua sentire, nec aliter debuit; si enim aliud est aer, aliud aqua, justum est, ut aliter in aere, aliter in aqua sentiatur.*

In-

Intendit itaquè S. P. quòd cùm videmus in aqua remum, qui nobis videtur fractus, neque ſpecies aliter repræſentat, neque oculus aliter percipit, ſed imaginatio decipitur: quia enim medietas remi, quæ eſt in aqua, non immittit ſpeciem, tota illa ſpecies eſt ab altera medietate cauſata, quę eſt extra aquam, nempè hæc medietas ſimilitudinem ſuam in aqua cauſat, & ab iſta ſimilitudine continuè ſe habente ad ipſam partẽ remi, à qua cauſatur, ſimul cum ipſa parte remi cauſatur totalis ſpecies in aere; & quia obliquè ſe habet illa umbra ſivè imago in aqua cauſata ad medietatem remi, a qua cauſatur, obliquè repræſentatur in ſpecie & ad modum fracti, & ita percipit viſus: ſpecies ergo verè repræſentat ut in ſe eſt objectum, & viſus rectè percipit, decipitur autem imaginatio aut intellectus putans, illam repræſentationem totam eſſe remi, cùm debeat diſcernere medietatem, quę eſt repræſentatio remi extra aquam exiſtentis, & alteram medietatem, quæ non remi eſt, ſed umbræ ſeu imaginis in aqua.

Per hæc poterit ad alia patere, in quibus deceptio contingit.

QUÆSTIO V.
DE SENSIBUS
EXTERNIS IN PARTICULARI.

ARTICULUS I.

Quale sit visûs organum?

241 POstquàm de sensibus in communi actum est, sequitur de singulis in particulari agere, & 1. de externis, in quibus à visu incipimus; videbatur quidem rectus ordo doctrinæ exigere ut à tactu inciperet determinatio, & in visu terminaretur, siquidem tactus est cæteris inferior & magis materialis, est autem à facilioribus incipiendum; quia tamen Phil. à visu incipit, in re parvi ponderis ejus libuit sequi methodum. De organo itaque, cui virtus animę affixa est, quę dicitur visiva potentia, sicut de cæteris determinare ad Medicos potius & Anathomicos spectat, quàm Philosophos, quarè quæ nostro necessaria videbantur instituto, ex ipsis mutuabimus. Mira quidem oculi structura est, & varijs consistit partibus; quo enim perfectior est gradus vitæ, organa exigit perfectius elaborata; in parte autem corporali & sensitiva quãtùm ad exteriores operationes summum obtinet gradum potentia visiva.

242 Missis ergo musculis, qui pro sex motûs differentijs assignantur, quibus oculus addextram & sinistram, superiorem & inferiorem, anteriorem & interiorem partes movetur, trochlea item, qua naso veluti affigitur: ipsa oculi figura orbicularis est tribus constans humoribus, & totidem tunicis quibus humores continentur. 1. à parte exteriori tunica est dura admodùm & transparens, quæ adnata dicitur, sive cornea, hac oculus suæ alligatur orbitæ, & hac 1. humor continetur, qui aqueus dicitur: 2. tunica

sub

sub humore aqueo dicitur ubea, & istà alius humor continetur, qui dicitur vitreus: 3. tunica aranea dicitur seu retina, in cujus centro 3. humor continetur crystallinus, qui dicitur oculi pupilla; tam ubea tunica, quàm retina ponuntur ab anteriori parte perforata, quo speciei ad pupillam pateat aditus: deinde nervus ex utroque oculo ad interiorem cerebri partem angulari figura dirigitur, qui in interiori parte in unum coeunt, ubi visio perficitur, aut judiciū fit de visione; ille nervus dicitur opticus, sive visualis, quo tùm spiritus animales, sive ut loquitur S. P. intentio animæ ad pupillam defertur pro percipienda impressione ibi facta ab objecto, tùm percepta species in memoria sensitiva reponitur pro actibus internis.

Quinque à nonnullis assignantur oculi tunicæ, ut autem à peritioribus accipio, neque enim de his ferre judicium nostrum est, frustra id quidem; pro tribus enim continendis humoribus, triplex sufficit, & forte ex duplici nomine, quo una appellatur, duplex confingitur tunica: hac ergo varietate oculi structura disposita est, quo secundùm diversitatem diaphaneitatis in humoribus & densitatis ac opacitatis in tunicis congruè deferatur species ad pupillam; ut enim nos ipsi experimur, & explicat B. D. in Hexam. p. 2. cap. 9. diversa dispositio medij penès rarum & densum, diaphanum & opacum pro modo repræsentationis objecti multum confert.

243 Hinc nonnulla, quæ de actu videndi difficultatem ingerunt, communiter solvuntur. 1. Qua ratione objectum apparet unum, cùm tamen in duplici pupilla duplex recipiatur ejus impressio? 2. Cur non magis videatur utroque oculo, quam uno? 3. Quare objectum non inverso ordine percipitur? Videmus enim, quòd corpus in speculo imprimens speciem suam inverso ordine imprimit, ita nempè quòd dextra pars ad sinistram speculi respondet: quaré ergo non ità species in oculo imprimitur, & ita videtur? Hujus generis alia dubitantur, quæ passim apud AA. invenies soluta, quæ prætermitto, quoniam ex his, quæ ad ista dicemus, poterit ad alia patere.

Ad 1. difficultatem dicitur communiter, quòd species in utraque pupilla per eandem lineam repræsentatur, quarè objectum in utraque repræsentatur in eodem loco, & ut unum percipitur, cujus signū est, quòd divaricatis quodammodo oculis duplex apparet, quia nempè multiplicantur lineæ & anguli invidentiæ Sed hæc solutio præ-

terquamquod non explicat, quæ sit illa linea, id ipsum relinquit, de quo est difficultas, quomodo nempè linea est eadem, si ad pupillam terminatur, quæ duplex est. Clariùs ergo dicendum, quòd judicium de sensatione in interiori parte fit ubi duplex nervus opticus ab utraque pupilla procedens angulariter in punctum coit, quarè una fit ibi perceptionis repręsentatio, quãvis duplex fuerit impressio in duplici pupilla. Ad 2. eodem modo dicitur, quia enim in illo interiori puncto perficitur visio, eadem ibi repræsentatio fit sive ex una pupilla per unum nervum deferatur impressio, sive ex duplici per utrumque.

Ad 3. dicitur, quòd sicut ex Perspectiva supponitur, visio fit sub angulo, & pyramidaliter defertur species, cujus vasis est in objecto; & quia lineæ in angulo sic procedunt quod à dextra parte objecti ad sinistram oculi terminantur, & à sinistra ad destram, ideò objectum percipitur ut in se est. Huic tamen solutioni multa occurrunt difficilia. 1. sub eodem angulo causatur ab objecto species in speculo ac in medio & in pupilla; in speculo autem sic causari videmus, quod dextra objecti sinistræ speculi correspondet. 2. Falsum est, quòd lineæ illius anguli à dextra procedant objecti ad sinistram oculi; ut enim pyramidem formet, utraque ad centrum pupillæ terminatur. Mihi itaque dicendũ videtur, quòd sicut species, quę est in speculo, in alio speciem causet, ita causabit quod dextera causantis sinistrę respondeat alterius causatæ, quarè hæc 3. correspondebit objecto, ita in pupilla contingit, nempè duplex est tunica opaca seu terminans, quo ab una in aliam fiat reflexio, & sic in ipsa pupilla fiat impressio sicut in ipso est objecto: fateor autem hoc meram esse conjecturam, quarè plenius de hoc examen Perspectivis relinquo.

244 Dub. à nonnullis in qua oculi parte potentia visiva resideat? Aliqui volunt, quòd in illa parte optici nervi, in qua utriusque pupillæ ductus in unum coit: quia ibi residere dicenda est virtus visiva, ubi visio perficitur; perficitur autem in illa optici parte. Sed ibi non ipsa fit sensatio, sed judicium de visione. Alij ponunt, quòd in ipsa retina: hæc enim se habet veluti speculum, & terminus diaphani, quare in ea recipitur impressio. Sed non recipere impressionem, sed eam vitaliter capere est actus videndi.

Phil. lib. 1. de Hist. Anim. cap. 9. & pluries alibi docet, quòd in ipsa pupilla residet potentia videndi. Hanc sent. communiter tenent Peripatetici, ea col-

colligitur ex eo, quòd in sac. tex. sæpissimè usurpatur ipsa pupilla pro potentia visiva. Deinde: quia ea residet in centro & in interiori organi parte, quarè aliæ ipsius organi partes ad ipsam ordinantur, & ipsi ministerialiter deserviunt. Rursus ipsa oculi figura orbicularis indicat, quod in eo, quòd est orbiculi centrum, vis ejus residet; est enim veluti ultimum, ad quod aliæ partes ordinantur. Adde: quòd retina tunica est quędam, cujus officium est cõtinere; continens autem ei deservit quod continet: magis ergo in humore contento, qui ipsa est pupilla, vis residet, cui ministerialiter deservit ipsa retina veluti opacum terminans.

ARTICVLVS II.

Quid sit lux, & lumen?

§. I.

Expenduntur sententiæ de quidditate lucis.

245 UT possimus expendere quid est visûs objectum, oportet prius examinare quid lux est, & color de quibus potissimè dubitari potest; & quia quod in ipso luminoso lux est, in medio dicitur lumen, priùs quid est in sua quidditate lux, deinde quid est lumen, explicabimus. Manifestissima quidem rerum omnium lux est, in hoc enim ejus essentia consistit, ut habet B. D. in Hexam. p. 2. cap. 8. & omnes supponunt, atque ex tex. Ap. colligitur, quo ait, quòd omne quod manifestat lumen est, quid autē ea sit in re phisica valdè est difficile ostendere, ut expendendo sent. poterit patere.

246 Duplex ergò versatur sent. de entitate lucis. Prima quæ asserit substantiam esse, aut substantiæ efluxum quendam, & 2. quę asserit esse accidens. Pro 1. sent. cit. Phil. hic tex. 70. Empedoclem. B. D. S. Th. Alb. Mag. & alij Expositores illius tex. supponunt eandem tenere Democ. Lencip. & alios omnes, qui totam corporis substantiam materiam dicunt ad atomos seu particulas redactam; eandem suscitavit Descartes, & communiter tenent moderni philosophi: lucem ergo consistere dicunt in motu citissimo vibrationis materiæ subtilis, sive æthereæ, quæ dùm subtilitate sua aliud corpus pervadit, & per poros ejus insinuatur, illud illuminat; quia tamen motus ille rectus est, illud corpus diaphanum est, quod poros habet rectos, quos proinde possit motus ille penetrare; opacum autem, quòd aut poros habet obliquos, & quibus aditus non pa-

pateat illis corpusculis in quibus lux consistit, aut densum adeò est, quòd poros non habet, quales corpuscula illa requirunt.

Hinc vas testeum aquæ partibus per poros suos viam præbet, videmus enim, quòd aqua plenum sensim per poros illam deponit, luci autem viam non præbet, videmus enim, quod opacum est, cùm partes lucis subtiliores sint partibus aquæ; e contra autem vas vitreum luci præbet aditum, est enim diaphanum, non autem aquæ; quia nimirùm vasis testei pori non recta patent, bené autem vitrei: quia ergo motus lucis rectus est, per poros vitrei vasis non impeditur ejus motus, & sic illud est diaphanum, seu luci pervium; quia verò ejus pori nimis sunt subtiles, cùm corpus sit valdè densum, partibus aquæ, quæ grossiores sunt, aditus non patet: é contra verò in vase fictili pori sunt majores, quibus aquę partibus via patet, sunt tamen obliqui, quibus proinde rectus lucis motus impeditur: eodem modo lucis & lucidi phænomena hac via clarè explicantur: lux ergò in hac sent. pro materiali entitatis suæ ipsa est subtilis materia, pro formali verò, motus ejus.

247 Hæc explicatio é superficie apparet facilis si verò expendatur multa continet difficilia: In primis, quomodò duplex motus, nempè rectus & vibrationis, simul & æquè per se eidem materiæ conveniat, vix percipitur; una est enim natura ejus & unus sibi competit motus, alter autem non nisi ab extrinseco movente. Deinde: motus ille vibrationis, dum intenuissimos poros densi corporis, puta crystalli, insinuatur subtilis materia, sistatur necesse est; dum autem motus sistitur, cessat lucere: non ergo illuminatur diaphanum. 3. Non aliter corpus corrumpitur, nisi quatenus subtilis materia in poris ejus inducitur, quæ nexum dissolvit partium; sic enim metalla v. g. ab igne liquefieri ipsi explicant: si ergo ità diaphanum illuminatur, quia nempè corpuscula lucis per poros ejus transeunt, oporteret corrumpi quod illuminatur.

Neque dicas: corpus corrumpi quando particulæ in poris introductæ ipsis non configurantur, tunc enim partium texturam dissolvunt, quando autem cavitati, quam facit porus proportionatur corpusculum introductum, non est cur partium dissolvat nexum. Contra est 1. quamvis corpusculum introductum poris proportionetur, motus tamen vibrationis partes à se invicem divellit? 2. Si poris non proportionantur corpuscula, in ipsis non pos-

sunt

sunt introduci; hac enim ratione ipsi explicant, quòd aliqua corpora ab igne non liquefiunt, quia corpuscula ignis poris illius corporis non proportionãtur, quarè in illis non possunt introduci, qua texturam dissolvant; hac item, quod aliqua animalia aliquos cibos non possunt digerere, quia sales digestivi poris illius cibi non proportionantur: ex hoc ergo dissolvunt, quòd proportionantur, & in illis inducuntur; aut ergo corpuscula lucis poris diaphani proportionantur, & tunc deberent illud destruere; aut non proportionantur, & tunc non poterunt illud pervadere & illuminare. Mitta alia, ut quæ Phil. contrà illam sent. objicit, expendamus.

248 Arguit 1. Phil. quòd lux nequit esse corpus aut corporis efluxus. Quia duo corpora nequeunt simul naturaliter consistere; sunt autem simul lux & diaphanum, quando lux ipsum pertransit. Ad hoc ipsi respondent: quòd lux diaphanum pertransiens non est simul cum ipso, sed in poris ejus. Sed cõtra: 1. tunc non ipsa diaphani substantia, sed vacuum, quod est in poris ejus, illuminaretur, partes enim substantiæ relinquerentur ut priùs. Rursus: illam solutionem excludit ratio Phil. quæ hæc est: forma & privatio idem habent subjectum, ut carentia visus, quæ est negatio, etiam in lapide reperitur, carentia verò quæ est privatio, non nisi in oculo, quare cæcitas soli competit animali; at opacitas, quæ est lucis privatio, sive tenebrositas in absentia lucis toti convenit substantiæ diaphani: ergo non solùm vacuum disseminatum, quod est in poris, sed ipsa substantia diaphani est subjectum lucis.

249 Ad præmissam rationem resp. Tosca istando in aqua, cui vinum immixtum est: hujus enim nulla pars apparet, quæ vinum non continere videatur; & tamen non licet inferre, quòd partes aquæ partibus vini compenetratæ sint: quamvis ergo tota substantia diaphani appareat illuminata, non inde debet deduci, quòd partes lucis, cum partibus diaphani penetrentur. 2. Directè: quòd quamvis lux in poris tantùm recipiatur, tota tamen substantia illuminata videtur, quia diaphani partes tenuissimæ sunt, & insensibiles omninò, quaré nequeunt à poris, in quibus lumen est, oculis discerni, ad hoc enim oporteret sensibiles umbellas efficere, quod est impossibile, quia à lumine vehementer afficiente sensorium umbellæ adeò modicæ obliterãtur, & prorsus redduntur insensibiles.

Sed

Sed contra: aqua vino immixta 3. quid refert, quod neque aquam, neque vinum sapit, eo quod partibus aquę partes vini immiscentur: si ergo poris illuminatis partes immiscentur non illuminatæ, non poterit totum illuminatum apparere, sed medium quid inter illuminatum & obscurum. Deinde ratio directa de facili ruit: Corpus quo magis est densum minùs habet de poris, seu vacuolis dissem-inatis: in crystallo ergo v. g. major erit copia materiæ solidæ, quæ non illuminatur, quàm vacui disseminati, in quo lux recipitur: deberet ergo, magis apparere obscurum, quàm illuminatum, cujus tamen oppositum videmus. Præterea: non sunt subtiliores, & minus seorsim unaquæque sensibilis, partes solidæ, quam sint pori, nullo enim sensu poros percipimus neque singulos, neque omnes, partes verò simul omnes sensu percipimus: non ergo ampliùs possumus tenues illuminationes in poris factas percipere, quam umbellas, quas debent facere partes non illuminatæ, imò magis has deberemus percipere, quodsi non percipiuntur, nulla est pars non illuminata.

150 Aliud Phil. arg. est: Si lux corpus esset, aut corporis effluxus, non posset in instanti à Sole usque ad nos deferri, patet enim, quòd locali motu deberet deferri, qui de necessitate mensuratur tempore; sed videmus, quòd eodem instanti, quo Sol oritur, totum illuminatur emisphęriũ, & pariter sive nube sive quavis alia de causa occultetur, eodem instanti lux deficit, & tenebræ succedunt: ergo. Ad hoc item respondent: quòd non fit in instanti illa lucis multiplicatio, sed in tempore; apparet autem in instanti fieri, quia fit tempore imperceptibili & valde modico: hoc exemplo à nobis frequenter usurpato patere, ait Tosca: si quis enim baculo lapidem à se distantem movet, eodem instanti, quo manum admovet, movetur lapis, licèt valdè distans, quamvis medio baculo deferatur motus, quarè motus baculi deberet tempus insumere: similiter ergo in proposito.

Sed solutionem ipse rejicit Phil. ea enim utebatur Empedocles: Si in tempore quantumvis modico defferretur ad nos lux, illud tempus deberet esse in majori distantia major, & in minori minor, sicut in simili videmus de sono; quia enim soni multiplicatio per medium, realẽ medij motum comitatur, duratione aliqua ad organum defertur, & ideò videntes à longé malleatorem aliquem motum priùs visu percipimus, quàm sonum aure percipiamus, & quia talis intervenit duratio, videmus

mus, etiam quòd in majori distantia major duratio intervenit; at in hoc eodem exemplo patet, quòd non major duratio intervenit in multiplicatione lucis à majori distantia, si enim major est, distantia, magis tardat immutatio auditùs, quod signum est visus immutationem eodem modo fieri in majori, ac in minori distantia: ergo. Neque adductum exemplum quid urget; baculus enim sic manui conjungitur, quòd unum fit movens, quarè non alio motu movetur, & quia motio moventis tantùm præcedit motum mobilis ratione & causa, non autem duratione aliqua, in eodem instanti, quo manus admovetur, sequitur motus in lapide; at verò in proposito latio illa, qua corpuscula per medium deferuntur, aut quo unum movet aliud, non possunt non habere propriam successionem & durationē præcedentem immutationem in organo factam.

251 Hanc rationem Phil. aliter proponit D. Th. Si lux esset substantia, aut efluxus ejus deberet aliquanto lux durare postquam recedit luminosum; sed videmus, quòd eodem instanti, quo luminosum occultatur, deficit lux: ergo. Patet maj. quantumcumque enim dependeret à præsentia luminosi illa substantia ab eo fluens, non statim & in instanti ea deberet evanescere. Ad hoc resp. Tosca, quòd lux pro materiali est substantia & consistit in illo efluxu, pro formali verò est illius substantiæ motus; & quia iste ab ipso causatur luminoso, eo deficiente, deficit motus, & consequenter lux.

Hæc solutio de facili rejicitur; 1. motus ille, quem importat pro formali lucere, naturalis est illis partibus, eo enim in opaco dicuntur non lucere particulę lucis, quia alijs partibus implicatæ non permittuntur motum suum explicare: eatenus ergo à præsentia luminosi dependent ut in actu luceant, quatenus ab efluxu & influentia ejus à cæteris expediūtur, quo possint motum suum connaturalem exercere; sed tūc patet quòd non eo præcisè quòd luminosum recedat, illæ partes rursum cęteris implicantur, quo in ipso instanti cesset motus, & consequenter ipsum lucere; non ergo ex præcisa absentia luminosi deberet lux deficere, imò semel illuminato aere, quo particulæ illæ in actu ponuntur & motum explicant, etiam recedente luminoso, deberet manere earum motus & illuminatio aeris, quousque iterum alijs implicarentur, & moveri cessarent. Prætetea: hac via posset fortè explicari, quomodo aer est corpus diaphanū, eo nempé quod fluidum est,

particulæ lucis in eo fluitantes possunt expediri, quo motum explicent; atverò in corpore solido, puta in crystallo, qua ratione sine ejus dissolutione & corruptione poterunt particulæ à cæteris expediri, quo motum explicent, & crystallus illuminetur? Non enim dici potest, quòd tantùm luci præbet transitum, cùm videamus ipsum illuminari. Mitto alia, quia ad institutum nostrum hæc sufficiunt.

252 Potissimé contra nos illa sent. nititur authoritate P. Aug. qui multis in locis asserit, lucem esse corpus, & inter corpora tenere primatum, loca mitto, quia cuique sunt obvia. Ad hoc D. Th. 1. p. q. 67. art. 2. in sol. ad 1. D. Bonav. in 2. dist. 13. q. 1. Vives ad lib. 11. de Civ. Dei cap. 7. N. B. D. in Expos. cit. tex. Phil. respondét eodem modo, quòd nomine lucis accipit S. P. ipsum corpus luminosum, quæ solutio ex ipso potest confirmari P. Aug. qui serm. 84. de Divers. ita ait: *Ecce lux ista de Cœlo, quæ Solis nomine apellatur, cùm processerit illustrat terras.* En lucem dici ait Solem ipsum. Noster Mans. q. 3. §. 2. adducit S. P. se ipsum aliter explicantem lib. de Magis. cap. 3. quo ait: *Ego cum corpora dicerem* (nempe lucem & colorem) *omnia corporalia intelligi volebam, id est, omnia, quæ corporibus sentiuntur.* Quibus innuit, quòd lucem dicit corpus, hoc est corporale quid, seu corpore sensibile; verba tamen in loco S. P. non invenio, fortè error est in num. certè lucem esse luminosi corporis accidens aperté docet S. P. ut mox patebit.

253 Secunda itaque sent. docet, lucem esse affectionem quandam luminosi corporis, quę ad prædicamentum qualitatis pertinet. Hæc est sent. Phil. quam omnes tenent Peripatetici. Quantum ad 1. eam habet apertè P. Aug. lib. 2. Soliloq. cap. 12. quo ratio ita proponit: *Esse aliquid in aliquo non nos fugit duobus modis dici: uno, quo ita est ut etiam sejungi, atque alibi esse possit, ut hoc lignum in hoc loco, ut Sol in oriente: altero autem, quo ita est aliquid in subjecto, ut ab eo nequeat separari, ut in hoc ligno forma & species, quam videmus, ut in Sole lux, ut in igne calor, & in animo disciplina.* En lux in Sole esse dicitur sicut accidens in subjecto suo: sic autem proponenti rationi per hæc verba annuit S. P. *Ista quidem vetustissima sunt nobis, & ab incunte adolescentia percepta; quarè non possum de his interrogatus, quin ea sine ulla deliberatione concedam.* Quibus notissimum id supponit, & de quo nulla sit dubitandi ratio.

Ra-

Ratione autem de facili ostenditur: lux enim id significat, quo aliquid lucidum est, seu lucens, & natum illuminare; sed hoc, ut ex terminis patet, non quid de se subsistens, sed affectionem significat alterius, quod tale constituit: ergo. Quantum ad alterum verò etiã patet de levi: tùm quia lucidum esse ad tale esse pertinet; tùm quia inter novem prædicamenta accidentium ad nullum potest aliud revocari: siquidem est affectio absoluta, & in se tale esse significans; non autem ad quãtitatem seu magnitudinem pertinet: est ergo qualitas, quia nullum relinquitur aliud absolutum.

254 Posito quòd affectio est de prædicamento qualitatis, difficultas relinquitur quid in re phisica illi affectioni respondet? Communis sent. quæ omnes qualitates putat formas esse phisicas, talem consequenter ponit lucem; nobis autem non semper qualitas significat phisicam realitatem subjecto suo phisicè superadditam, sed sæpè modalem affectionem, seu modum essendi, ex quo sumitur prædicatio generalis & non reducta in aliam, ut durum & molle, asperum, & lene, & alia id generis, quæ dispositionem significant ex quantitate relictam, & sunt in re phisica ipsa quantitas aut effectus ejus, ex quo quia prædicatio sumitur, quæ non pertinet ad tantum esse, seu magnum & parvum, ad aliud prædicamentum pertinent metaphisicè, & quantum ad prædicari.

255 Nobis itaque dicendum, quòd lux non est aliqua realitas aut forma phisica realiter addita luminoso, sed modalis affectio ejus ex dispositione resultans in densitate. Ita apertè colligitur ex B.D. in Hexam. p. 2. cap. 5. quo explicat quomodo in prima rerum conditione facta est lux, nempè non per formæ alicujus substantialis, aut accidentalis additionem, sed per novam dispositionem in densitate. Colligitur item ex Phil. in 2. de Cœl. tex. 48. quem ibi adducit B.D. docet enim, quòd stella est densior pars sui orbis, ex hoc enim, quòd magis addensatur illa pars, habet lucere. Colligitur item ex eo, quòd ignis in sua sphæra non lucet, cùm enim aer sit diaphanus, deberet à nobis videri, si luceret; nempè in propria sphæra habet raritatem sibi connaturalem, eo non lucet, hic inferius ratione materiæ, in qua est, densitatem habet, eo lucet.

Prob. deinde ex communi principio: quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed sine substantiali aut accidentali realitate superadita luminoso, per solam ipsius dis-

positionem pēnēs densitatem & raritatem sufficienter explicatur natura lucis : ergo. Rursus: si lux formam significat luminoso superadditam, ea deberet eductione ex materia fieri, est enim materialis forma; sed nequit eductionem terminare: ergo. Patet min. est enim omninò extra transmutationem, cùm non habeat contrarium. Maj. ostenditur: quia non ut propria passio consequitur ad naturam luminosi corporis: ergo propria actione fit, quæ alia esse non potest, quàm eductio. Aut. patet: tum quia in supercælestibus facta dicitur postquā Deus creavit cœlum, & antequam luminaria fierent: non ergo passio est aut cœli, aut luminarium: tum deinde: quia si passio esset luminosi, eam maximè haberet ignis in propria sphæra, ibi enim est maximè connaturaliter. Argumenta, quæ contra sent. Phil. objiciunt moderni omnia procedunt ex suppositione, quòd lux sit realitas superaddita, quarè ea mitto.

§. II.

An lumen in medio sit realiter, aut tantùm intentionaliter?

256 D. Thom. in 1. p. q. 67. art. 3. docet, quòd lux in medio habet esse realiter, & duplici ratione probat: altera, quia denominat, veré enim aer illuminatur: altera, quia habet effectum hìc inferius, influentia enim supercæleſtium medio lumine defertur, quarè hanc sent. communiter tenent Tomistæ apud Complut. disp. 10. q. 1. §. 3. Hurtad. in Præcurs. Phil. Controv. 1. memb. 9. §. 8. N. B. D. tum in Hexam. p. 2. cap. 12. tum in hoc 2. de An. lect. 15. ad tex. Phil. 76. docet & latè probat, lumen non esse quid reale, seu quod idem est, lucem in medio non habere esse realiter, sed tantúm intentionaliter, est nempè lumen ipsa lux in medio, quod enim in luminoso lux, in medio lumen dicitur, in terso denso splendor, in mixto verò color, ut ibi habet B. D. pro eadem sent. citantur D. Bonav. Scot. Thienens. Burid. & alij.

257 Dicendum ergo, quòd lumen, seu quod idem est, lux in medio non habet esse realiter, sed intentionaliter tātúm. Hanc conclus. probat B. D. cit. loc. in Hexam. sex rationibus, quarum 1. sic formatur: Sensibile sensui non unitur per se ipsum, sed per speciē suam; sed si lux in medio haberet esse realiter, sensibile per se ipsū sensui uniretur: ergo. Maj. est expressa sent. Phil. ut supra patuit. Min. ostendit B. D. Quia aer illuminatus per se ipsum im-

me-

mediatè organo conjungitur: si ergo lux ibi esset secundum esse reale, ipsum sensibile nullo medio conjungeretur organo. Præterea: nullam hucusque aliquis assignavit lucis speciem præter lumen, quod in medio est: si ergo ipsum lumen est realitas lucis, lux per se ipsam haberet sensui uniri: si ergo non per se ipsam, sed per intentionem suam habet immutare sensum, ipsum lumen intentio lucis est.

258 Secunda ratio ex alio desumitur Phil. principio: Sensus est susceptivus specierũ sine materia, hoc enim, tex. 121. ait, commune esse omni sensui; at lucis species non alia est in sensu, quàm in medio: in medio ergo non ipsa lux, sed intentio est. Tertia item ex alio desumitur Phil. tex. Oculus non est supra se conversivus; sed si lux esset realiter in medio, esset supra se conversivus: ergo. Maj. docet Phil. 3. de An. tex. 16. nempé, quòd sola potentia spiritualis est supra se conversiva. Min. prob. Potentia, quæ e ipsam potest attingere, est upra se conversiva; sed oculus posset se ipsum attingere, si lux in medio est realiter: ergo. Prob. hæc min. Quod attingit aliquid sibi phisicé conjunctum potest se etiam attingere, saltim secundum illam partem, quæ est conjuncta ei, quod attingit; sed oculus lucem attingit: si ergo ea est in medio realiter, ipsi oculo phisicé cõjungitur, & consequenter ipse attingit aliquid sibi phisicè & realiter conjunctum.

259 Quarta ratio hæc est: Si lux in medio haberet esse realiter, cœlum esset corpus alterabile; sed hoc est falsum: ergo. Prob. maj. Cœlum nunc est illuminatum, nunc verò lucem non habet: ergo si illa lux esset in eo realiter, reciperet & amitteret realem formam, quod est alterari. Hæc ratio ad hominem procedit, supponunt nempe alterius sent. DD. quòd lux est forma realis. Conf. Si lux in aere esset realiter, non reciperetur, aut amitteretur sine transmutatione, & aer realiter se haberet aliter in se ipso illuminatus & non illuminatus; sed sine reali transmutatione illuminatur: ergo. Patet min. non enim potest in instanti transmutatio fieri; illuminatur verò aer in instanti.

260 Quinta ratio ex alio desumitur Phil. tex. Lumen susc[illegible] aeri competit secundũ quod habet aliquid commune cum corpore cæsti; sed aer cum corpore cæsti omninò non potest cõvenire in eo quod est susc[illegible] realem formam, bene verò intentionalem: ergo. Maj. docet Phil. hic tex. 68. Min. ex terminis nota est, aeri enim convenit formas reales

sus-

ſuſcipere cum tranſmutatione & motu, cœlum verò eſt intrãſmutabile; eo autem uterque cõvenit in ſuſcipiendo intentiones, quia tales ſine motu fiunt & tranſmutatione. Ultima ratio hæc eſt: Ab eodem luminoſo cauſantur in aere lumen & calor; ſed videmus, quòd lumen in inſtanti cauſatur, & in inſtanti amittitur recedente luminoſo, calor verò neque in inſtanti inducitur, neque amittitur: calor ergo habet ibi eſſe reale, & ideo ſucceſivè inducitur, lumen autem intentionale, & ideo in inſtanti: Conf. Quia forma realis non ab agente, ſed à ſubjecto conſervatur, é contra autem intentionalis; ſed videmus, lucem in aere ab ipſo conſervari luminoſo: ergo.

261 Argumenta in contrarium ad illa duo reducuntur D.Th.fundamenta, ſi quid enim alij addunt, nullius ferè difficultatis eſt, quarè ea oportet latiùs expẽdere. 1. itaque ſic formatur: forma intẽtionalis non denominat; ſed lumen conſtituit medium actu illuminatum: ergo. Prob. maj. 1. quia intentio coloris per medium tranſiens uſq; ad potentiam non denominat aut conſtituit aerem coloratum. 2. ratione directa: quia forma intentionalis non eſt realitas aliqua, aut reale eſſe habet, ſed eſt mera repræſentatio; repræſentatio autem non facit ad eſſe ſed tantùm ad cognoſci: ergo.

262 Hoc arg. contra ſe objicit & ſolvit B. D. tum loc. cit. in Hexam tum in 2. de An. lect. 15. dub. 1. in ſol. ad 1. Reſp. 1. neg. maj. Ad prob. dicit, quòd juxta Phil. his tex. 138. viſus viſione coloris quodammodo coloratur; eſt autem in oculo non realis color, ſed intentio ejus. Reſp. 2. diſt. maj. Intentio non denominat medium, ſi ſit debilis, conc. maj. Si ſit fortis & valdè intenſa, neg. maj. Quia enim eſſe habet valdè debile & alterius generis à forma reali, non quælibet, ſed fortis & vehemens intentio denominat; videmus enim, quòd lux per vitrum trãſiens aliquo colore affectum, ita illius coloris intẽtionem in medio cauſat, ut ipſum videatur coloratum. Ad 1. prob. dicitur uno modo, quòd aer non eſt capax illius denominationis, oportet enim diaphanum terminari, ut coloretur, ut dicemus ſeq. art. Alio modo dicitur, quòd, quia parum habet de opaco, oportet fortem eſſe intentionẽ, ut ipſum denominet, ex quo non ſequitur, quòd intentio non denominet, ſed tantùm quòd minus denominet. Ad 2. quòd intentio non facit quidem ad eſſe, hoc eſt tranſmutationem non cauſat, & ſubjectum aliter ſe habere; hoc autem non tollit, quin ſubjectum denominet

net & constituat ita se habens quantùm ad cognosci, & ita constituitur medium illuminatum.

263 Arg. 2. Forma intentionalis non causat naturalem transmutationem; sed lumen naturales effectus habet, & transmutationem in rebus causat: ergo. Prob. min. Influentia astrorum per medium defertur ad hæc inferiora, & in illis transmutationem causat; sed non alia cognoscitur in eis virtus activa præter lucem: ergo lux in medio recepta est virtus, qua media, fiunt tales transmutationes.

264 Ad hoc etiam resp. B. D. neg. min. Ad prob. ejus neg. conseq. cujus ratio est quia ut latè explicat B. D. cit. lect. 15. quæ in inferioribus dispensa sunt, in superioribus colliguntur, quarè si ignis v. g. per duas virtutes habet calefacere, & lucere, hoc utrumque habet Sol per unam virtutem: luce ergo sua non solùm illuminat, sed etiam calefacit medium, & quia calor in aere habet esse realiter, transmutatur quatenus calefit, & medio hoc calore ab ipsa Solis influentia applicato inferiora transmutat, quarè licet non alia sit virtus in Sole, nisi lux ejus, non tamen medio lumine seu illuminatione medij, sed medio calore, defertur illa influentia; & consequenter ex ea non sequitur quod lux in medio habeat esse realiter.

265 Arg. 3. Aversa: Lux videtur non solùm in ipso luminoso, sed in medio etiam: ergo realiter habet esse in medio. Ratio conseq. esse videtur, quod nos ipsi diximus supra, nempè quòd intentio non terminat per se actum, & ideò non sensus, sed intellectus tantùm discernit inter speciem & id, cujus est species, ut ipse ait S. P. Conf. 1. quia lux recipitur in subjecto reali & corporeo: ergo est forma realis. 2. quia non idem est species Solis & lucis, quia ex omni loco participante lucē videmus ipsam, non autem Solem; sed species est intentio Solis: ergo qua lucem videmus non intentio est, sed realis forma.

266 Resp. neg. conseq. Ad prob. instatur aperte, non solum enim Petrum ipsum videmus, sed imaginē ejus in speculo causatā ibi enim non forma realis, sed intentio tantùm est. Directè dicitur, quòd species, quæ in ipso sensu, non terminat per se actum, seu alium ab eo, à quo talis species causatur, quæ autem est in medio potest sensum immutare, & actum per se terminare. Ad 1. Conf. Patet ex dictis, non enim sequitur, quòd imago in speculo sit forma realis, quamvis sit in subjecto reali, quia ibi non est realiter & in-

inhærens; eodem autem modo est lux in medio. Ad 2. sicut lux Solis non est ipsa ejus substantia, ita alia est species, qua Sol repræsentatur, alia verò est species & intentio lucis.

267 Arg. 4. Rub. Lux & lumen sic differunt secundum Perspectivos sicut calor in igne, & in medio causatus ab igne, nempe quod in ipso luminoso lux est, in medio est lumen; sed calor in medio causatus habet esse realiter: ergo & lumen. Resp. quòd Perspectivus de luce & lumine loquitur prout ad ipsum spectat, nempè præcisè & tantùm in ratione visibilis, sic autem in hoc tantúm differunt, quòd lux causat, lumen causatur, æquè autem habent rationem visibilis, non autem æqué habent esse reale, de quo non curat Perspectivus, quarè ad formam dicitur, quòd maj. vera est secũdum Perspectivos, non autem secundum Philosophos.

ARTICULUS III.

Quid sit color?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

268 ILlud idem quod de luce diximus, de colore constat, esse nempè metaphysicé & prædicamentaliter accidens de prædicamento qualitatis, quarè solúm quæritur, quid sit phisicé? Prima sent. docet, colorem à luce adequaté distingui, esseque qualitatem 2. quæ ex mixtione resultat, non quidem immediatè primarum qualitatum, sed quatenus ex mixtione elementorũ diversimodé contemperantur lucidum ignis, diaphanum aëris, & opacum terræ, nempè si ita contemperantur, quòd lucidum superat, color resultat albus, si verò superat opacum, resultat nigredo, & prout diversimodé fit contemperatio media magis aut minus accedés ad alterum extremum, fiunt colores medij magis aut minus accedentes ad album aut nigrũ, quarè color est forma realis & phisica. Hanc sent. tenent cõmuniter RR. Peripatetici. Cõplut. disp. 10. q. 3. Rub. q. 1. Averſ. q. 54. sec. 2. apud quos alij.

Secunda sent. docet, colorem esse modalem affectionẽ, quæ pro formali importat diversam reflexionem lucis, pro materiali verò ipsam corporis superficiem aliter & aliter dispositam penès rarum & densum, asperum & lene, & alias affectiones quantitatis, ex quibus diversificatur lucis reflexio. Hanc tenent communiter moderni Atomistæ; hæc procul-

subiò est sent. Phil. quam proinde tenent antiqui DD. Peripatetici, quos citat & sequitur Thomas Hurt. in Præcurs. Phil. Controv. 1. memb. 5. eam latè explicat D. Alb. Mag. tum in sum. de hom. q. de Subst. color. tum in Ilag. ad lib. de An. & sæpè alibi, eandem habet D. Th. multis in locis, quæ adducit cit. Hurt. tenet item N. B. D. in Hexam. p. 2. cap. 35. & sæpè alibi.

269 Dicendum ergo, quòd color non est forma phisica realiter distincta à superficie, & illi realiter inhærens, sed pro materiali importat ipsam superficiem, prout lucem aliter & aliter recipit, pro formali verò ipsam lucis reflexionem. Prob. 1. ex illo Eccles. in Hym. fer. 4. ad laud. *rebusque jam color redit, vultu nitentis sideris*, cujus sensus est, quòd lucis adventus, exoriente Sole, rebus colorem tribuit, quem, ut ait Poeta, non abstulit atra: ergo color non est forma phisica realiter inhærens, non enim posset cum luce recedere & advenire, sed est ipsa lux in superficie. Dicere autem, ut communiter respondetur, colores ibi mansisse, nec ortu Solis restitui, sed restitutos dici, quia prius non apparebant in absentia lucis, liberè omninò asseritur, neque congruè dicetur alicubi non esse quod quamvis sit, impeditum est sensum immutare; quare D. Thom. exponit, quòd color dicitur absentia lucis auferri, & ejus præsentia restitui, quia in absentia lucis tantùm manet id quod in colore est materiale, nempè superficies.

270 Prob. 2. ex P. Aug. qui Serm. 40. de temp. ita habet: *Lux ista visibilis si auferatur, unus est corporibus omnibus color, qui potiùs dicendus est nullus color; cùm autem illata illustraverit corpora, quamvis ipsa una sit, pro diversis tamen corporum qualitatibus aliud atque aliud nitore respergit.* Et color nihil est nisi nitor, seu reflexio lucis, quæ diversa est juxta diversam uniuscujusque dispositionem in superficie, & quia remota luce nullus relinquitur talis nitor seu reflexio, nullum ait debere dici colorem manere. Idem colligitur ex lib. de Gen. ad lit. imperf. cap. 5. & lib. 6. de Music. cap. 13. & alibi frequenter habet, quòd coloribus contrariæ sunt tenebræ, quarè tenet, colores luce constitui, & lucem ipsam importare.

271 Prob. 3. ex Phil. illo eodem loco, quem pro se adducunt alterius sent. DD. nempè de sensu & sens. ubi incipiès de visibili determinare, ita habet: *Enim verò color vel summo continetur corpore, vel summū est; ob eamq; rem Pithagorici summam partem colorem vocabant.*

bant. Continetur igitur summo corpore, non tamen summum corpus est. Sensus est, quòd quia corpora non videntur in profunditate, sed in exteriori tantùm superficie, color aut ipsa est superficies, aut in superficie continetur, superficiem enim dicit summum, sive extremum corporis; subjungit autem, quòd eo Pithagorici dicebant, quòd color ipsa est superficies, addit verò quòd non ipsa superficies est sed ea continetur. Hucusque nihil ad propositum, magis enim hæc indicant, quòd color est forma in superficie recepta: ut autem explicet quo sensu color est in superficie, subjungit coloris definitionem.

Ait itaque: *Ut color nihil aliud constituatur, quàm summum tralucidi circunscripto in corpore*; quod clarius habet alia translatio, estque coloris definitio communiter recepta: *Extremitas perspicui in corpore terminato.* Intendit itaque, quòd color non ipsa est superficies, nempè secundùm se & ut est superficies, sed quatenus est perspicua; jam autem juxta ipsum Phil. actus, quo perspicuum tale constituitur lux est, per hoc enim lucem ipse definit, quod est actus perspicui ut tale est: sic ergo ait, colorem superficie contineri, quatenus ipsa continet lucem, qua perspicua constituitur.

272 Prob. 4. ex N. B. D. qui passim habet, quòd lux est hypostasis colorum; rursus, quòd lux in ipso luminoso lux est, in diaphano lumen, in terso denso splendor, in mixto verò color; ex instituto autem in Hexam. p. 2. cap. 35. quo laté explicat unde sunt tot modi colorum, quos videmus in supercælestibus; id autem explicat ex eo quòd secundum aliam & aliam dispositionem in raritate & densitate, aliter & aliter habent lucem emittere, aut reflectere: tenet ergo, quòd alius & alius color tantúm est diversitas ipsius lucis in superficie. Possent item multa adduci ex D. Thom. sed ea vide apud cit. Hurtad.

273 Prob. 5. à ratione, pro quo sufficit illam qualitatẽ excludere: 1. itaque lux & opacitas quomodo possint mixtione attemperari, imperceptibile est; tum quia sunt forma & privatio; tum quia lux non subjicitur transmutationi; est autem mixtio miscibilium alteratorum unio: nulla ergo potest forma resultare ex mixtione lucidi & opaci. 2. lux tantúm habet esse realiter in ipso luminoso; non autem in eo, sed in mixto deberet contemperari, in quo ad summum intentio est: nullibi ergo potest contemperari, ut ex mixtione ejus resultet forma phisica. 3. juxta illam

explicationem, quo magis mixtum participat de lucido ignis, magis colorem reddit album; sed hoc est apertè falsum: ergo. Patet min. corpora enim magis activa, & quæ magis de natura ignis participant minus sunt alba, & albedo magis frigiditatem, quàm caliditatem indicat. Adde, quòd ignis de se non habet luciditatem, sed ratione materiæ, alioqui luceret in propria sphæra: non ergo color phisicam formam seu realitatem significat, quę ex mixtione resultet, & eàtenus tantùm qualitas secunda est, quatenus ex mixtione diversa resultat dispositio in ipsa superficie, ex qua diversa fiat reflexio lucis.

§. II.

Solvuntur argumenta.

274 ARg. 1. Complut. Quoties duæ qualitates ita se habēt, quòd una petit oriri ex intraneis subjecti, & permanenter afficere, alia verò & oritur ex extraneis, & afficit transeunter, illæ qualitates diversæ sunt essencialiter & entitativè; sed ita se habent color & lumen: ergo color non est lumen ipsum, aut ejus receptio, sed forma entitativé differens à lumine. Patet min. tantùm enim in ipso luminoso est lux ab intrinseco & ex proprijs principijs, in eo autem, quod coloratur, de necessitate est ab extrinseco illuminante, & consequenter transiens quid; color autem ad sensum patet, quòd permanenter afficit rem coloratam.

275 Resp. 1. quòd D. Th. quem adducit Hurt. loco cit. in 3. Met. lect. 6. quærit, an colores Iridis veri sint? Resp. autem affirmativè, & ejus probatio est; quia ibi sunt vera principia coloris, nempè perspicuum terminatum & lumen: sentit ergo, quòd lumen est de constitutione coloris. Rursus: subjungit differentiam, quę est inter colores Iridis & mixtorum corporum, in eo nempè, quòd principia colorum in Iride non sunt permanentia, ficut in mixtis, quia in mixtis perspicuitas illa & ejus terminatio sunt ex principijs intrinsecis ipsius colorati, & sic permanentia; in Iride autem transiens est illa terminatio, cùm sit ex opacitate nubis: non ergo entitativè differunt ex hoc pręcisè, quòd in alio transeunter, in alio verò permanenter sint.

Resp. 2. directè dato toto discursu neg. subillatum, solùm enim sequitur ex illo discursu, quòd color includit aliquid realiter differens à lumine, vi cujus habet esse permanenter, & hoc verum est, nempè addit extremitatem opaco termina-

tam, non autem infert ille discursus, quòd illa realitas sit forma phisica in sensu, quem intendit arguens. Posset 3. responderi, ut præcludatur instantia, dist. min. color enim petit ab intrinseco esse, & permanenter afficere quantúm ad materiale entitatis suæ nempè extremitatem terminatam; non verò quantùm ad formale, nempe perspicuitatem.

276 Arg. 2. Colores & species distinguuntur, & oppositionem inter se habent, & successivè fiunt, atque per motum; sed hæc omnia nequeunt lumini convenire: ergo non consistit color in ipso lumine, aut ejus receptione. Patet min. lumen enim unum est in omnibus illuminatis, non habet contrarium, & consequenter non per motũ, sed in instanti inducitur. Resp. eodem modo dist. conseq. Non consistit in ipso lumine adequatè & quantúm ad totum, quod importat color, conc. cons. Non consistit pro formali, neg. conseq. Itaquè illa omnia, quæ importat maj. colori conveniũt ratione illius, quod dicit pro materiali, nempè ratione superficiei, & terminationis ejus per opacum.

277 Arg. 3. Visus discernit lumen, quod est in pariete & ejus colorem album v. g. ergo ista duo inter se differunt. Patet conseq. non enim potest visus facere distinctionem inter ea, quæ distincta non sunt: si ergo distincta percipit, ea in se differunt. Prob. ant. Visus discernit inter album & nigrum, non autem inter æquale lumen utriusque parietis; at non potest percipere convenientiam in lumine, & disconvenientiam in colore, nisi discernat inter colorem & lumen: ergo.

278 Resp. neg. ant. Ad prob. 1. neg. suppositum maj. quòd æquale sit lumen in utroque pariete, si tamen alius niger, alius albus est, ex hoc enim ipso deducitur, quòd inæqualiter lumen recipiunt. 2. neg. suppositum min. non discernere enim non est percipere convenientiam, hoc enim soli competit intellectui. 3. posset dici, quòd differunt quidem lumen & color, quod tantum argumentum deducit, ex quo tamen nihil contra nos, nempè color addit materiale superficiei, ratione cujus diversificatur lumen receptum, quod sufficit ut visus inter lumen & colorem discernat, non autem tollit, quin color pro formali importet ipsum lumen.

279 Arg. 4. Visus eundem percipit colorem sive major sit sive minor lux ergo color qualitas est permanens à luce distincta. Patet conseq. deberet enim, variata luce, diversificari, si ipsam importaret lucis re-

receptionem, aut reflexionem pro formali. Resp. 1. neg. ant. licèt enim aliquando ita sit, non autem semper, in aliquibus enim videmus, quòd ex alio lucis aspectu variatur color. Resp. 2. neg. conseq. Si enim dispositio, secundùm quam corpus terminatù recipit & reflectit lucem, talis est, quòd eodem modo recipit & reflectit, sive major, sive minor sit lux, non ex variatione lucis diversificatur color, quia color non ipsam importat lucem, sed reflexionē ejus.

280 Arg. 5. ex Phil. qui colorem esse asserit motivum perspicui secundùm actum ejus, lumen verò esse ait actum perspicui: ergo distinguit colorem à lumine. Resp. conc. conseq. jam enim dictum est, quòd non ipsum lumen, sed reflexionem ejus importat color pro formali. Præterea: aliud est lucem in medio diaphano recipi, aliud verò in extremitate corporis opaci; illud 1. est lumen, & actus perspicui ut tale est: hoc 2. est color & extremitas perspicui in corpore terminato, in quo nulla est oppositio; dicere autem, quòd color est motivum perspicui secundum actum lucidi est dicere, quòd solùm videtur ratione lucis.

ARTICULUS IV.

Quodnam sit objectum formale visus?

281 RAtione hujus difficultatis duplex præcedens præmissa est, solúm enim potest controversia esse de luce & colore, quamquam re vera nulla est, supponitur enim communiter objectum visus colorem esse. N. Mans. sic proponit communem sent. quòd objectum materiale visús est corpus natum suscipere colorem; objectum formale *quod* est color; objectum autem formale *quo*, sive ratio *sub qua* est lux. Hæc explicatio multa continet in ipsis communibus principijs difficilia. In primis enim objectum formale *quod* concretum est ex materiali & formali, quarè objectum formale *quo* ipsa est forma illius concreti: si ergo objectum materiale est corpus natum suscipere colorem, objectum *quod* sive totale corpus est coloratū, relinqnitur, quòd objectum *quo* erit color: non ergo lux. Præterea: ratio *sub qua* alia ab ipso objecto in nulla alia potentia potest assignari: quarè ergo assignabitur in potentia visiva? Insuper: ratio *sub qua* non est determinativa & specialis, sed generica, sicut patet in scientijs, ab-

abstractio enim, quæ est ratio *sub qua* multis communis est, ut omnes Mathematicæ abstrahunt à sensibili; at lux ratio est specialis & determinativa: ergo.

282 Dicendum itaque, quòd ratio formalis, sive objectum *quo* visûs lux est, & objectum per se & totale lucidum. Hæc est proculdubiò sent. Phil. ut poterit constare legenti tex. ejus toto cap. 7. hujus lib. 2. quo agit de visu & visibili, quarè non alias adducemus probationes, quàm quæ inde colliguntur expendendo tex. interim tamen verba subjicio B.Alb. Mag. in Isag. ad lib. de An. cap. 7. n. 1. ubi ita habet: *Visûs itaque objectum non est color; color enim, ut dicit Phil. est immutativum visûs secundum actum lucidi, multa autem videntur, quę colorem non habent, sicut Cœlum, terra, aqua, & multa alia: unde putamus, quòd lucidum propriè sit objectum visus, nec color est objectum nisi ratione lucis, quæ est ibi; lux enim in proprio subjecto, quod dicitur corpus luminosum, lux est, in diaphano vel transparenti lumen, in terso denso splendor, in mixto verò color.*

Quibus verbis conclusionem habet, & rationem ejus, quæ sic formatur: Id est objectum alicujus potentiæ, quod ratione sui attingitur, & ratione cujus attinguntur cætera; sed ita se habet lux respectu potentiæ visivæ, non autem color: ergo. Prob. min. Quod lucidum est, quovis alio secluso, videtur; at coloratum non nisi ratione lucis attingitur: ergo lux ratione sui attingitur, & est ratio attingendi alia. Patet maj. quia quæ non sunt capacia coloris videntur, eo quod lucida sunt, ut supercælestia corpora. Min. item patet experientia, quia in tenebris non videtur coloratum; expressè illam habet Phil. ut mox patebit; & illam concedunt communis sent. DD. quod enim dicunt coloratum in tenebris non videri defectu conditionis, mera est tergiversatio: conditio requisita ad hoc ut objectum immutet, per se & seorsim ab ipso objecto non immutat, ut de se notum est; at lux per se & seorsim à colore immutat visum: non ergo conditio est requisita ut color immutet, sed ratio quarè immutat.

282 Prob. ergo 2. conclusio ex Phil. cit. cap. 7. ubi tex. 66. ita habet: *Cujus igitur visus est perceptivus, id est visibile; visibile verò color est, & id quod oratione quidem explicare ac dicere licet nomine autem caret: atque id ipsum maximè patebit cùm ulterius procedemus. Visibile igitur est color; hic autem id est, quod in eo quod per se visibile est, per se verò non ra-*

ratione, sed quia in se causam habet ut sit visibile. Ita incipit determinationem de visibili, sive objecto visus, poterit autem alicui videri favere communi sent. siquidem ait, quòd visibile est color, & ipsum 1. assignat visibile, sed si sensus expendatur, manifestissima est mens ejus: assignat ergo visibile duplex, colorem, & aliud quod in processu dicit visibile innominatum, eo quod non habet unum commune nomen, quo significetur; hoc visibile innominatum duplex esse ait: alterum quod videtur sive in tenebris, sive in lumine, ut ignis; alterum verò, quòd tantùm videtur in tenebris, ut quercus putida, vermiculi quidam, piscium squammæ, felium oculi, & alia.

Quia ergo multiplex assignat visibile, ait, quòd color non nisi in lumine videtur, aliud visibile non nisi in tenebris, aliud verò sive in lumine sive in tenebris, quarè ait, quòd color est quidem visibile per se, sed non propria ratione, qua est color, sed quia in se habet causam quare sit visibile, nempè lucem, & eo non nisi in lumine videtur. Ex quibus multiplex deducitur ratio. 1. sic formatur: quoties multa per se attinguntur à potentia, ratio formalis objectiva ejus debet esse illis omnibus communis eo modo, quo à potentia attinguntur; sed illis omnibus, quæ per se attinguntur à visu nequit esse communis color, benè autem lux: ergo lux, non verò color est ratio objectiva visûs. Maj. nota est, tum inductione, quia omnis alia potentia sub una ratione attingit quidquid attingit; tum ratione, quia saltim à posteriori specificatur potentia ab objecto suo: sicut ergo una est potentia, ita una esse debet ratio ejus objectiva. Min. item patet; tùm quia in colore reservatur ratio lucis, non verò in luce ratio coloris; tùm deinde, quia in tenebris aliqua videntur ex illis, quæ nempè dicuntur visibilia innominata; at color, & quæ ejus rationem participant, non nisi in lumine videntur: ergo color non est ratio quarè illa videantur.

284 Altera ratio sic potest formari: Quod in se habet rationem objectivam visûs, per se ubicumque ponatur est attingibile à visu, licèt per accidens defectu alicujus conditionis actu non attingatur; sed habens colorem quatenus tale est non est attingibile à visu, benè autem lucidum: ergo non color, sed lux est ratio objectiva visûs. Maj. ex terminis nota est, attingibile enim est natum attingi; nihil autem magis est natum attingi, quàm id, quòd

quòd habet rationem objectivã, vi cujus attingitur quidquid attingitur. Min. habet Phil. in tex. ait enim, quòd color non est visibile nisi quatenus habet causam quarè videatur nempè lucem. Rursus, experientia patet quòd in tenebris non est visibilis, & ipse ait Phil. quod non est immutativus visus nisi secũdum actum lucidi.

Conf. Si ratio formalis objectiva visus esset color, lux esset conditio requisita ut videatur in actu, non autem ratio quarè sit visibilis; sed è contra est, ait enim Phil. quod non est visibilis propria ratione, nempè, qua est color, sed quia causam habet ut sit visibilis: non ergo conditio est lux requisita ut actu videatur, sed ratio formalis & causa ut sit visibilis, quarè patet, quòd solutio supra adducta est contra Phil.

286 Tertia ratio sic potest formari: Id est ratio objectiva cujuslibet sive habitus, sive potentiæ, quòd per se 1. attingitur per omnem modum; sed a visu sic attingitur lucidum, non autem coloratum: ergo. Maj. latè explicuimus in Log. disp. 1. n. 8. ex B. D. Min. ostenditur: per se attingitur quod per rationem quam in se habet, & 1. quod in quantum tale est & per omnem modum, quod est ratio quare cætera attingantur; sed ita lucidum attingitur, non autem coloratum: ergo. Ostenditur min. quia coloratum licèt attingatur per rationem quam in se habet, quarè per se, non tamen quatenus color est, quare non 1. neque est ratio attingendi alia, ut jam supra patuit: ergo.

287 Deinde tex. 69. perspicuum esse ait idem quod visibile, lumen autem sic definit: *Lumen autem actus est hujusce perspicui ea nimirum ratione, qua perspicuum est*, & quia opaca corpora per colorem videmus, subjungit, quòd lumen quasi perspicui color est, ex quo sic: Id est formalis objectiva ratio cujuslibet potentiæ, qua constituitur attingibile ab ipsa formaliter in ratione attingibilis; sed color non est ratio formalis constitutiva visibilis in ratione talis, imò ipse in ratione visibilis constituitur luce; & quatenus ipsam participat visibilis est, hoc enim intendit Phil. cùm ait, quòd non per se est visibilis nisi quatenus in se causam habet ut sit visibilis; lumen verò ex definitione sua est actualitas constitutiva visibilis quatenus tale est: ergo.

288 Præterea: tex. 73. ita habet: *Id ita esse ex eo tamquam è manifesto signo patere potest: nam si quispiam id, quod habet colorem super ipsum visum posuerit, non sanè videbit*, ex quo posset item ratio deduci:

satio enim objectiva potentiæ non impedit actum ejus; sed color impedit, non autem lumen: ergo signum est, quòd color non ratione sui, sed ratione alterius immutat, lumen autem ratione sui. Mitto alia, quoniam ex his sufficienter potest constare de mente Phil.

389 Prob. deinde ex B. D. nostra conclusio in 2. de An. lec. 14. in exp. tex 66. ubi ait: *Ad evidentiam autem 1. partis not. quòd omnia visibilia participant quodammodo naturam lucis, non est enim intelligibile, quòd visus sit unus sensus particularis, & tamen objectum ejus proprium non sit unius alicujus naturæ, vel non reducatur ad aliquam unam naturam: diversificabitur itaque ipsum visibile prout diversimodè participat naturam lucis.* Quibus verbis conclusionem habet, & rationem intendit supra factam n. 283. prosequitur deinde explicans, quomodo omnia visibilia participant naturam lucis, & ait, quòd potest quinque modis concipi participatio lucis: 1. ita quòd aliquid sit natum recipere lucem, ut diaphanum, & hoc sicut non actu, sed potentia habet lucem, non actu sed potentia est perspicuum sive visibile. 2. quòd actu habeat lucem, sed non in propria forma, sed modificatam & opacatam, & ita habet color, quarè per se visibile est, quia in se participat naturam lucis, quia tamen illam non habet in propria forma, non nisi in lumine videri potest, vi cujus natum sit immutare medium & potentiam.

Tertio, ita quòd lucem habeat actu & in propria forma, quod in triplici gradu esse poterit, aut summè & in gradu perfecto, & ita habent Sol & astra, aut valdè remisse, & ita habent visibilia innominata, seu nocti lucentia; aut modo medio, & ita habet ignis, & alia siquæ sunt ita lucida, quòd æque in tenebris & in lumine videntur. Quia itaque ista tria lucem ita habent quòd actu & in propria forma, per se & ratione sui visibilia sunt in actu; quia verò noctè lucentia eam habent valdè remissam, non nisi in tenebris videntur, nempè lux illa tenuissima in conspectu alterius non immutat medium, quarè in tenebris quidem lucida apparent, in lumine autem non nisi sub proprio colore; lucem autem talia habent propriam ex eo quod talem habent dispositionem in densitate sua, ex qua possit lux sequi, quarè si felem in obscuro conspicimus, corpus ejus non videmus, & tantùm videmus oculos veluti duo parva lumina, in die autem lucem illam non videmus, quia tenuis est illa dispositio, & lucem facit valdè modicam: patet

tet ergò, quòd supponit B. D. rationem objectivam visus lucem esse.

Hoc autem poterit ampliùs patere legenti tex. ejus tota illa lec. 14. qua per multas dubitationes explicat qualiter color habet rationem visibilis, & semper ad hoc recurrit, quòd naturam lucis participat, præsertim verò dub. 4. quærit: an color sit ratio quarè alia omnia videantur? Resp. autem: *Videtur quòd sic: quia Phil. 1. Poster. difinit esse* 1. *dicens*: 1. *est, cui alteri per ipsum, non ipsi per alterum, quarè si esse visibile competit colori* 1. *omnia videbuntur per colorem, color verò non videbitur per aliquid aliud. In contrarium est Phil. & veritas: nam color videtur per lumen, non autem è converso*, & hanc resolutionem deinceps probat. Argumenta in contrarium nulla apud DD. invenio, supponitur enim magis quàm probatur communis sent. Siquid autem objiciatur, ex dictis poterit solvi; quia enim color lucem participat, & ea, aut reflexione ejus constituitur, absolutè visibilis dicitur, hujus autem sensus jam suprà patuit, non enim sic visibilis dici potest, quod sit ipsa ratio visibilitatis, sed per se, hoc est per rationem, quam in se habet.

ARTICULUS V.

De reliquis quatuor sensibus.

§. I.

De organo auditùs, & ejus objecto.

290 DE alijs sensibus nihil ferè controvertitur, quarè omnes hoc art. comprehendimus: est 2. in ordine auditus, quippè cæteris immaterialior, seu minus habens de reali immutatione. De eo agit Phil. toto cap. 8. & duo circa illum explicanda sunt, organum nempè, cui affixa est vis audiendi, & objectum, à quo movetur: de organo quidem nihil habet Phil. quia ut jam diximus magis hoc ad Medicos pertinet & Anathomicos, quàm ad Philosophos. Ex his ergo quæ illi docent: præter auriculam, quæ exterius conspicitur, & se habet veluti palpebra in oculis, instruitur auditús organum meatu quodam tortuoso & inflexo, qui quidem se habere videtur veluti ipsius organi janua, cujus structuram tali fabrica ingeniavit natura, ut aeris motus, quo sonus usque ad potentiam multiplicatur, illis tortuositatibus veluti refractus lenius ad organum perveniat, quo ipsum sine læsione immutet: tunc

tunc meatum tenuis excipit membrana, quæ myringes sive tympanum dicitur, eo quòd tympani habet figuram; est quippè pelliculla quædam super ipsum extensa foramen, quo auris ad interiorem cerebri partē communicat: huic ossicula tria affixa sunt, quæ ex figura nomina sortiuntur, alterum stapedis, malleoli 2. & 3. incudis, quorum motu, prout opus est, constringi aut dilatari, dicunt myringem: cavitatem, quæ sub tympano est, aer innatus occupat, tenuissima nempè substantia, quæ modum aeris habet: in fine hujus cavitatis duo sunt meatus, inferior alter ad palatum, quo innatus aer, si quando opus est, reficitur, superior ad interiorem cerebri partem, qui ex tortuosa admodùm figura labyrinthus dicitur, & iste per cochlæam nervo continuatur auditorio.

291 Dubitatur, in quanam præcipuè parte vis resideat auditiva? Nulla ferè pars est, quæ pro se patronos non habeat: in ipso residere nervo auditorio, volunt nonnulli. Sed, ut de visu dictum est, nervus ille à natura instituitur, tùm quo spiritus deferantur, seu intentio animæ ad percipiendam impressionem ab objecto factam, tùm quo sensus ipse communicet, & sensatio deferatur ad interiora cerebri organa pro internorum sensuum immutatione & exercitio, quarè non ibi potentia residet, sed potentiæ deservit nervus ille. In myringe, seu tympano, ponunt alij. Sed præterquamquod tunc superflueret innatus aer & alia organa, quę sunt post myringem, & ad audiendi exercitium videntur instructa, tympanum veluti 1. videtur instrui organum, quo soni species modificatur, & innato aeri communicatur. In isto ergo ponit communior sententia, & videtur innuere Phil. tex. 82. siquidem enim aeris percussione fit sonus, & aeris motu multiplicatur species ejus, videtur innatus aer ad hoc positus à natura, ut ibi percipiatur impressio ab ipso sono facta.

292 De sono itaque, quī nullo dubitante objectum est auditus, latiùs disserit Phil. & tria de eo explicanda sunt: quid sonus ipse est, quid Echo, quī est soni reflexio, & quid vox, quæ est soni species? De 1. ait, quòd duobus modis sonus accipitur, nempè in actu, & in potentia; quædam enim sonora dicimus etiam quando non sonant, quæ nempè nata sunt sonum causare, ut æs; quædam verò soni prorsùs expertia etiā quando percutiuntur, ut lana, & quodcumque molle. Ad sonum itaque in actu causandum tria oportet concurrere, percu-

tiens, percussum, & medium, in quo fit percusio: percutiens quidem & percussum corpora oportet esse solida, dura, & lenia, hoc est, superficiem habentia benè planam, & hæc dicuntur sonora; medium verò debet esse fluidum & benè divisibile, quale est aer. Ratio autem est: quia sonus causatur ex violenta resilientia medij, quæ fit corporum percusione; tunc autem, si corpora percussa sint mollia, non fit percusione violenta medij resilientia, molle enim facilè in superficiem cedit, quarè non violenter repercutit aerem: rursus, si superficiem non habent planam, cavitas relinquitur, in qua percussus aer maneat, quare non cogitur resilire: tandem, si medium non est benè fluidum & facile divisibile, non adeò violenter resilit.

Hinc mediũ aptum ad sonum aer est, & licèt aqua sit etiã fluida, non tamen sub aqua fit sonus, quia non est adeo benè divisibilis, quarè non ita violenter resilit; quamvis autem sub aqua sonus non fiat auditio tamen fit, videmus enim, pisces audire, & si quis sub aqua caput aliquanto detineat, sonum, qui exterius fit, audit, licèt tardius aliquanto, quia licèt fluiditas aquę minor sit, quàm quæ requiritur ad causandum sonum, sufficit tamen ut aliquomodo species ejus deferatur; quòd autem pisces sonum non edunt sicut alia animalia, non tam ex hoc oritur, quòd aqua minus aptum est medium, ut ex ejus percusione sonus fiat, quàm, quia cùm non respirent, non habent innatum aerem, cujus percusione ad vocalem arteriam animata vocem efformant.

293 Dubitant RR. an sonus permanens sit, vel successiva qualitas? Utrumque habere docet P. Rub. q. 1. aitque, esse communem sent. quam duplici probat experientia: 1. quia idem sonus successivè auditur à multis, prius nempè à proximioribus, deinde à reliquis: ergo toto illo tempore durat, & consequenter aliquam habet permanentiam. 2. experientia habetur ex echo, seu sono reflexo: prius enim auditur sonus directus, quàm echo seu reflexio ejus: ergo morula illa intercedente inter soni & echo perceptionem durat proculdubiò sonus. Contrarium docet P. Aug. lib. 6. Musi. cap. 8. quo ait: *In audienda vel brevissima syllaba, nisi memoria nos adjuvet & eo momento temporis, quo jam non initium, sed finis syllabæ sonat, maneat ille motus in animo, qui factus est, cum initium ipsum sonuit, nihil nos audivisse possumus dicere.* Quibus supponit influido transitu

&

& succesſione ſonum conſiſtere, & tantùm ope memoriæ ſimul à nobis accipi. Neque ulla opus eſt ratione in re notiſsima: ſi enim ſonus motus eſt percuſsi aeris, cuique patet, quòd motus nullam habet permanentiam.

Aliud ergo eſt ſonum aliquo tempore durare, aliud verò in illa duratione habere eſſe permanens: ad hoc 2. non ſufficit toto illo tempore durare, ſed requiritur partes habere ſimul, quod illi omninò non poteſt convenire. Quo patet ad utramque experientiam: videmus enim continuè moveri aliquem, & motus ille ſucceſsivè à multis poterit percipi, non autem proinde dicetur permanentiam habere, ſed duratio ejus ſucceſsivé tranſit. Ad aliud de echo aut eodem modo dicitur, quòd ſucceſsive tranſit in illa morula, qua durat, aut ſicut ait S. P. quod ope memoriæ ſimul utrumque accipimus, cùm non niſi ſucceſsive tranſeat.

294 N. B. D. in hoc 2. de An. lec. 16. 17. & 18. multa quærit de ſono & voce, ex quibus pro pleniori intelligentia aliqua attingemus. Quærit 1. In quo ſit ſonus tanquam in ſubjecto? Arguit autem, quòd in ipſis ſit corporibus ſe percutientibus, quia ea dicuntur ſonora. Rurſus: in eo aliquid recipitur, quod erat in potentia ad illud; ipſa autem corpora dicuntur in potentia eſſe ad ſonum; quia Phil. ait, quòd dura ſunt benè ſonora, hoc eſt apta ad ſonum, non autem mollia. Reſp. nihilominus, quòd ſonus tantùm eſt in medio, aut in organo. Ratio eſt: quia ſonus aut eſt ipſa fractio aeris ex percuſsione durorum corporum, aut non eſt ſine illa; at conſtat, quòd fractio non eſt in corpore frangente, ſed in fracto non ergo in corporibus ſe percutientibus, ſed in aere inde concuſſo & reſiliente eſt ipſe ſonus. Ad motiva in contrarium ait, quòd ſicut cibus dicitur benè ſanus, non quod ſanitatem habet, aut natum eſt habere, ſed quia illam cauſare poteſt, ita ſonora dicuntur corpora, & apta ad ſonum, non quidem recipiendum, ſed cauſandum.

295 Quærit 2. An. in corpore molli poſsit eſſe ſonus? Quod non eo patet 1. quia id aſſerit Phil. Secùdò ipſe. quia molle in ſuperficiem cedit, quarè nó poteſt aerem violenter repercutere, quo ſonum cauſet. Quod ſic autem patet experientia ipſa: videmus enim, ſonum fieri in ſciſſura panni. Reſp. quòd per ſe & regulariter tanquam percutiens aut percuſſum non poteſt molle ſonum cauſare, quaré abſolutè ait Phil. quòd dura ſunt benè ſonora, mollia autem ſunt ſoni expertia; cum hoc autem

tem stat, quòd indirecte & per accidens ex molli causetur sonus, ut in exemplo adducto: quia enim vacuum non potest in natura esse, ut in 4. Phis probatur, ex violenta scisione aer violenter concurrit ad occupandum spatium, quod sciſſura relinquit, quo motu ex utraque parte se concutit, & sonum efficit; cujus signum est, quòd si illa scisio non sit violenta, ut quando forcipe scinditur, non causatur ille sonus: patet ergo, quòd pannũ sciſſum non directè & per se sonum causat, sed indirecte. Quo patet ad motiva in contrarium.

296 Quærit 3. An. oporteat de necesitate tria concurrere ut sonus fiat? Quod sic videtur per Phil. qui requirit percutiens, percussum, & medium, in quo percusio fiat, & ideo ait, quòd in vacuo nullus fieret sonus; quia quamvis esset percutiens & percussum, non esset medium resiliens. Quod non autem patet experientia; aer enim baculo percussus sonũ edit, ubi duo tantúm reperiuntur, baculus & aer. Resp. quòd tria de necesitate requiruntur propter rationem Phil. & ulterius potest patere, quia si medium non sit facile resiliens, non fit sonus ex duorum percusione, ut si duo quantumvis nata sonare in aqua se percutiant: ergo quia præter percutiens & percussum concurrit etiam medium. Ad motivum in contrariũ ait, quòd ibi tria concurrunt; si enim non violenter fiat aeris percusio, non fit sonus, eo quod tunc aer facilè cedit: signum ergo est, quòd eo in violenta percusione fit sonus, quia non adeo violenter cedit & dividitur, sed aliqualiter resistit; quarè in ipso aere est duo accipere, & partem, quæ resistit, & partem quæ ex illa resistentia violenter resilit, quarè sunt tria quæ de necesitate requiruntur ad sonum.

297 De echo deinde determinat Phil. quamvis ad propositum parum refert, quarè breviter dicemus, quid est, & quomodo fit: Echo itaque est soni reflexio; fit autem quatenus illa undulatio, quæ in aere causatur ex percusione, per quam soni species per medium se multiplicat, in aliquod corpus impingens cogitur reflecti, ideo Echo fit in specubus, in vallibus, & in locis concavis, eo nempè quòd superficies concava non sinit aeris motum dispergi, quarè reflexionem causat: ideo etiam aliquibus in locis Echo multiplicatur, ut de aliquibus fertur usque ad septies sonum reflectere, nempè talis est loci dispositio, quòd sonus ab aliqua cavitate reflexus in aliam impingit, à qua item reflectitur, quod si alia sit & alia, Echo mul-

multiplicatur quousque in apertum via patet.

298 Tandem vox, quæ species quædam & determinatio est soni, definitur: sonus ab anima causatus per vocalem partem cum imaginatione, seu ex intentione aliquid significandi. Dicitur ab anima causari, quia vocem habere solis competit animatis, alia enim non voces, sed sonos edunt: dicitur deinde per vocalem partem causari, quia vox eo quod specialis & determinatus est sonus, determinata exigit principia, nempè vocalem arteriam, seu partem illam ad quam fit percussio respirati aeris, quarè non habentia pulmonem, non possunt vocem formare, quia cum non respirent, non possunt aerem percutere contra vocalem partem: tandem dicitur, quòd debet formari ille sonus cum imaginatione, sivè ad aliquid significandum, sonus enim illa etiam parte formatus, si non fiat ad aliquid significandum, non vox est, sed sonus, ut tussis, singultus, quarè bruta, quę humanas voces docentur imitari, non proinde voces edunt, sed sonos tantúm: additur ab aliquibus, quòd vox sit sonus articulatus, sed articulatio non est de quidditate vocis: túm quia in sonis ab irrationalibus formatis quandoque; reperitur tùm deinde, quia multæ interjectiones articulationem non habent; quæ tamen voces sunt proculdubiò, cúm sint sonus ab anima formatus ad aliquid significandum.

§. II.

De sensu olfactus.

299 TErtius in ordine sensus est olfactus, de quo agit Phil. cap. 9. præsupponitque non esse adeo facile de hoc ac reliquis determinare, quia præ cæteris animalibus homo in hoc sensu tardus est & hebes, quarè non benè percipit odorabilium differentias: hujus signum esse ait, quòd non nisi cum voluptate aut tristitia odoramus, nempè gratus odor voluptatem, ingratus autem tristitiam causat: quarè autem hinc deducatur, quòd non benè percipit homo differentias odorabilium, sic explicat B. D. Voluptas causatur ex conjunctione ad conveniens non quodlibet, sed excellens, similiter dolor sivè tristitia causatur ex eo quod excellens sensibile lædit aliquon odo sensum: si ergo olfactus non percipit nisi cum voluptate objectum conveniens, aut cum tristitia disconveniens, sequitur, quòd non nisi excellens sensibile percipit, & consequenter differentias sensibilium non percipit, seu inter multa non be-

benè discernit Causam verò, unde hæc tarditas in homine oritur, sic explicat idem B. D. Homo plus habet de cerebro quàm quòdvis aliud animal; cerebrum autem est frigidum & humidum, quarè ex vicinitate contrahunt humiditatem & frigiditatem carunculæ, in quibus vis residet olfaciendi: cùm ergo odorabile calido abundet & sicco, minus fit aptum illud organum in homine ad suscipiendam immutationem odorabilium.

300 Organum ergo olfactus in naribus residet, quarum fabrica in superiori parte ossea, in inferiori cartilaginea duplici meatu instruitur sub fronte inter utrumque oculum: in parte interiori in quatuor dividitur quasi canales; duæ inferius vergunt ad palatum, quibus respiratio accipitur ad actum odorandi necessaria, non enim sine respiratione alfacit homo, & in alijs habentibus pulmonem multùm ea juvat, ut dicetur inferius; duabus alijs, quæ ad interiorem cerebri partem diriguntur, sensus residet olfactus, duobus nempè tuberculis, quæ carunculæ, sive ex figura processus mamillares dicuntur, ex quibus nervus duplex interius ad cerebrum tendit sensorius, quo nempè & spiritus sive intentio animæ dirigitur, qua applicatur sensus ad perceptionem immutationis in organo factæ, & percepta species in memoria reponitur pro exercitio internorum sensuum.

301 Odorabile, seu olfactus objectum qualitas est ex fumali evaporatione causata, quæ, quia proprium nomen non habet, communi nomine dicitur odor. Dub. an ipsa sit fumalis evaporatio à corpore odorabili causata, quæ realitèr organum afficit & movet, an potius qualitas ex temperamento sicci & calidi causata? Illud 1. videtur innuere Phil. in lib. de Sens. & sensib. ait enim, quòd odor est fumalis evaporatio causata à quali; hanc sent. communiter tenent moderni. N. B. D. lec. 20. docet, illam Phil. propositionem non in sensu formali, sed causali debere accipi, nempè non formaliter ipsa evaporatio odor est, sed illa evaporatione causatur odoratio. Pro explicatione itaque hujus dub. quærit ipse, an odor habeat esse in medio realiter, aut intentionaliter? Refert opinionem Avicen. qui putabat odorem in medio esse realiter, ejus motivum erat: 1. à signo, videmus enim poma odorem emittendo desiccari, ex quo colligitur aliquid ab ipsis effluere: ergo in hoc effluxu consistit odor, qui proinde habet esse in medio realiter. 2. Phil. id docere loco supra adducto.

In

Incontrarium tenere ait Com. Aver. quòd nempè odor est in medio tantúm intentionaliter. 1. quia ad bellum Trojanum propter occisa corpora ex multa distantia, ut ex quingentis milliarijs venisse feruntur vultures & tigrides; at ad tantam distantiam non posset pervenire realis efluxus: ergo non realiter, sed intentionaliter tantúm est in medio odor. 2. Si enim in medio esset realiter, aut aerem afficit, aut aliud corpus debet poni, quod afficiat; sed neutrum dici potest: ergo. Prob. min. quantum ad 1. quia corpus simplex sive elementare, quale est aer, non potest suscipere qualitates secundas, qualis est odor: quantum ad 2. item, quia duo corpora nequeunt esse simul: cúm ergo per totum aerem diffundatur odor, per totum deberet extendi illud corpus, & sic esset simul cum aere. Has duas rationes solvit Avicen. Ad 1. dicit, quòd forte tempore illo venti flarunt, à quibus aer illo aflatu affectus deportabatur ad tantam distantiam. Dicit 2. quòd aves illæ sunt alti volatus, quarè esse potuit, quòd non odore, sed visibili specie moverentur. Ad 2. quod sicut vapores elevati à terra immiscentur aeri, quin duo corpora sint simul, ita tenuis illa substantia, in cujus efluxu consistit odor.

302 His præmissis conclusioni Com. ipse subscribit, quam ulterius probat ex Phil. cap. 12. dicente, quòd commune est omni sensui per speciem sine materia immutari; at eodem modo habet esse in medio, ac in organo sensus: est ergo in medio intentionaliter. Subjungit deinde rationes Com. non sufficienter solvi. Ad solutionem 1. reponit, quòd nullo flante vento ex magna distantia percipitur odor, præsertim à brutis, quæ multum hoc sensu pollent. Rursus: ex omni parte percipitur, non autem ex omni parte flat ventus. Ad 2. item, efluxus enim ille esset ad unam determinatè partem: si ergo ex omni parte odor percipitur, oportet, quòd non in illo efluxu consistit, & consequenter non habet esse in medio realiter, sed intentionaliter. Motiva autem Avicen. seq. dub. solvit.

303 Quærit ergo ulterius, An posito quòd odor habet esse in medio intentionaliter, sit etiam ibi aliquomodo realiter? Resp. autem, quòd odor non fit sine fumali evaporatione, & hoc ostendere exemplum Avicen. eo enim pomum desiccatur & rugas contrahit, quia evaporatione aliquid emittit. Rursus: à venatoribus observatum fertur, quòd feræ, dúm ad propria loca perveniunt, quosdam faciunt saltus, quibus

canibus via interrumpatur inveniendi eas, & tunc canes loco appropinquantes, si fera non se movet, eam olfactu non percipiunt, si autem se movet, quia tali motu fit aliqua evaporatio, percipiunt; quarè dicendum ait, quòd odor habet esse in odorabili realiter, in aliqua autem parte medij, illa nempè ad quam pervenit ille efluxus, realiter simul & intentionaliter, in alijs autem medij partibus, sicut in ipso organo, tantùm intentionaliter.

304 Imaginabimur itaque, efluxum quendam ab odorabili profluere, hunc tamen non possumus ad tantam distantiam admittere in quantã videmus odorem percipi, præsertim à brutis, quarè odor in ipso corpore odorabili est realiter; in ipso sensu, atque in parte medij, ad quam efluxus ille non pervenit, est intentionaliter; in parte verò medij, in qua se immiscent aeri vapores illi ab odorabili profluentes, est simul intentionaliter & realiter, nempè realiter in illo efluxu, & intentionaliter in parte aeris, cui efluxus ille immiscetur. Quo soluta sunt rationes dubitandi supra factæ: pro tanto enim dicitur, quòd odor est fumalis evaporatio, quia ab illa evaporatione causatur, tum immutatio intentionalis in medio, tum actus ipse odorandi, quem nomine odoris accipit Phil. quòd autẽ poma contrahuntur, & rugas habent, evaporationem illã arguit, non autem, quòd in ea consistit odor, sed ex ea causatur. Medium odoratús aer est & aqua, æquè enim videmus in aere animalia, & pisces in aqua odores percipere.

305 Subjungit autem Phil. quòd proprium est homini non nisi respiratione odorare, videmus enim, quòd spiritum aut detinentes aut emittentes non odoramus, quo circa dubitationem ipse movet: Si odoratio non sine respiratione perficitur, ea, quæ sanguinem non habent, quæ proinde non respirant, non habebunt olfactum; aliunde autem notum est, ea odores percipere, videmus enim, pisces odoribus moveri: alius ergo erit assignandus eis sensus præter quinque notos, quo odores percipiant. Ad hanc dub. ipse resp. quòd in talibus olfactus reperitur proculdubiò, nempè sensus odoris perceptivus. Motivum autem dubitandi ab exemplo explicat: quæ nempè oculos habent duros, eo quod palpebra non intèguntur, semper ac visibile est præsens coguntur videre, quæ autem palpebram movent, etiam si præsens sit visibile, possunt non videre; ita in proposito, quæ non habent pulmonem, organum, in quo residet olfactus aper-

apertum habent, quarè ad perceptionem odoris respiratione non indigent; quę autem habēt pulmonem, illud organum habent quodammodo occlusum, quarè respiratione indigent, qua aperitur, ut immutationem percipiat.

306 Ulterius autem pro hujus solutionis explicatione dubitationem movet B.D. Phil. enim ait, quòd tantùm in homine respiratio requiritur ad actum odorandi; videmus autem, quòd canis, dum feram insequitur, aut aliquid olfactu quærit, quadam vehementia respirat, quod signum est respiratione uti ad percipiendum odorabile. Resp. autem, quòd pori caruncularum, in quibus organum residet auditûs, ex vicinitate ad cerebrum humido ejus aliqualiter constipantur, qui motu respirationis veluti aperiuntur, ut immutationem percipiant ab odorabili. Tunc autem in non habentibus pulmonem nulla est talis constipatio, quarè in talibus respiratio non requiritur; in homine, quia nimis illo abundat humido, ita occluduntur, quòd omninò sine respiratione immutari non potest illud organum, eo dicitur homo respiratione indigere; in alijs minus illo humido occluditur organum, quarè sine respiratione percipiunt odores, & eo in his non dicitur necessaria, quia tamen magis aut minus de humido habet, juvatur respiratione, ut melius percipiat, quarè illam adhibent animalia, quãdo sibi opus est. Ex his alia possunt patere, quæ ad hunc sensum pertinent.

§. III.

De gustu, & tactu.

307 DE his duobus agit Phil. cap. 10. & 11. sunt autem valdè affines, quia, ut ipse ait Phil. gustus quidam tactus est; eo enim tactus tale sortitus est nomen, ut N. B. D. observat, quia non per medium exterius, sed quasi quodam contactu conjungitur objecto suo, quasi inquam, neque enim immediata est illa conjunctio, ut in prosequendo patebit; gustus autem eodem modo immediatè objecto suo unitur, quarè eo quidam tactus dicitur, & veluti quædam species ejus: hac ergo ratione de utroque simul determinabimus, vix enim gustus potest seorsim à tactu explicari, cùm eundem habeat modum immutationis, & in eodem gradu sit: tres enim possumus facere gradus in ipsis externis sensibus, ut in 1. sit visus, qui tantùm intentionaliter immutatur ab objecto suo, & nihil habet de reali immutatione, quarè ma-

gis accedit ad modum superiorum potentiarum: in 2. gradu sunt auditus & olfactus, qui intentionaliter quidem immutantur, aliquid autem participant de reali immutatione, & quamvis ea non requiratur, illa realis immutatio, quæ fit in aere à sono, & evaporatione odorabilis, potest ad ipsum organum pervenire, si nempè objectum non multum distet: in 3. gradu sunt gustus & tactus, tum quia non medio exteriori corpore immutantur, tum quia non suscipiunt immutationem intentionalem sine reali, calefit enim manus ut calorem sentiat, quaré magis isti duo sensus ad modum accedunt transmutabilium.

308 Gustùs ergo organum nervus est in lingua residens, medium autem caro, qua talis nervus operitur, quo cum tactu convenit, cujus organum nervus pariter est, medium autem caro; differt verò, quia organum gustús in determinata residet parte, nempè in lingua sive palato, tactus autem toto residet corpore, qualibet enim tangibilia percipimus: deinde objecto; siquidem objectum gustùs est qualitas 2. ex mixtione resultans præsertim humidi, quarè gustus, mediante humido, immutatur, & ideo, ut B. D. observat, providit natura linguam humore salivali perfussam semper esse, quo posset sicca madefacere, & saporem percipere, & sal eo quod siccitate pollet, non aliter gustu percipitur, nisi quatenus humido salivali liquescit; tactus autem objectum est tam 1. quàm 2. qualitas, æquè enim tactu percipimus calidum & frigidum, quæ sunt 1. qualitates, quàm asperum & lene, quæ sunt 2.

Saporum octo species assignat Phil. tex. 105. nempè dulce, & amarum, salsum & pingue, acre & austerum, acidum & acutum; eas ad septem reducit B. D. nam acre & austerum idem videntur significare, earũ sufficientiam sic expendit: in saporibus duo videntur esse extremi & summè distantes, nempè dulce & amarum; inter hos accipitur medium per æquidistantiam ab utroque extremo, & est acutus sapor: deinde duplex mediat inter utrumque extremum, & hoc medium, alterum quod magis accedit ad dulce, & est sapor pinguis; alterum quod magis accedit ad acutum, & est acre, sive austerus; pariter ad aliud extremum duplex accipitur medium, quod magis ad amarum accedit salsus est sapor, quod verò magis ad acutum, ponticus est sive acidus: hæc mera est conjectura, cui non multum insistendum.

309 Nonnullas de utroque sensu dubitationes movent

tam

tam Phil. quàm B. D. quas pro pleniori utriusque explicatione percurremus breviter. Quærit 1. B. D. Quomodo verum est quod Phil. ait, quòd nempè gustus quidam tactus est? Ratio dubitandi est: quia si est quidam tactus, erit species ejus; species autem non ponit in numerum cum genere suo, ut homo & animal non sunt duo: non ergo alius erit sensus à tactu. Resp. autem, quòd quamvis quidam sit tactus, alius nihilominus est sensus, quod quidam sit tactus probat 1. quia tactus eo talis dicitur, quia quodam contactu conjungitur objecto suo; at patet, quòd sapor palato conjungitur, & quodam contactu unitur, ut possit gustari: ergo gustus quidam est tactus. 2. ex objecto: quia humidum quoddam est tangibile; at sapor in humido fundatur: si ergo humidum est tangibile, & sapidum est aliquod humidum, sequitur, quòd gustabile est aliquod tangibile, & gustus quidam tactus. 3. ex organo: quia gustus in nervo residet, qui est in tali determinata parte, nempè in palato; at tactus in nervo pariter residet, qui per totum corpus dispersus est: quidam ergo tactus dici debet gustus.

Quod sit nihilominus sensus diversus, probat dub. 2. Quia potentiarum diversitas innotescit nobis ex objecto & actu suo; at gustus objectum habet & actum proprium alium ab actu & objecto tactus: alius ergo sensus est. Patet min. non enim tactu possumus sapores percipere. Quare non ita gustus dicitur quidam tactus, sicut Sortes dicitur quidam homo, aut homo quoddam animal, nempè, per contractionem, quæ fiat unū quid ex contrahibili & contrahente, sed per additionem novæ formæ, quæ simul cum altera maneat, alia tamen sit virtus, seu potentia: sivè ergo idem sit organum, sive aliud gustus, & tactus in illa parte, vis tamen perceptiva alia est, & aliud objectum habet atque actum, quarè alius est sensus.

310 Quærit 2. de eo, quod habet Phil. tex. 103. quòd potabile, quod est humidum; commune est gustui & tactui. In contrarium autem arguit: Si potentiæ sunt diversæ, actus & objecta diversa esse debent & inpermixta: si ergo humidum ad tactum pertinet, non potest id percipere gustus. Resp. autem, quòd agere, licet sit à forma, quoddam modo autem etiā subjecto tribuitur, agit enim totum: quia ergo sapor fundatur in humido, ipsum humidum habet immutare gustum, & hic dicitur humidum percipere, non autem formaliter qua humidum est, sed qua saporem fundat,

quarè alia ratione ad gustum & tactum pertinet, nempè ad tactum formaliter & per se, ad gustum verò quatenus est fundamentum saporis, & sic potentiæ relinquuntur diversæ, & inpermixtæ.

311 Querit 3. Posito quòd ab humido & sapore immutatur gustus, à quonam prius? Videtur quidem, quòd à sapore: nam sicut ad visum se habet color & magnitudo, ita ad gustum sapor & humiditas, nempè sicut sapor fundatur in humido, ita color in magnitudine; sed visus immediatè & prius à colore immutatur, à magnitudine verò mediante cole: ergo pariter. In contrarium est Phil qui vult, quòd principium immutationis in gustu est ab humido, & experientia patet, quòd sapida prius humore salivali oportet madefieri ut gustum immutent. Adhoc resp. quòd gustus fundatur in tactu, ita quòd in eodem nervo palati est uterque sensus, sed gustus est ibi mediante tactu, quia dispositio, secundùm quam nervus ille fundat virtutem tactivam prior est & universalior: quia ergo à communioribus incipit operatio, & natura vadit semper de imperfecto ad perfectum, & ab universali ad particulare, priùs immutatur nervus ille ut est tactus, & sic ab humido. Quo patet ad argumentum in contrarium: magnitudo enim ad visum comparatur secundum eandem virtutem sentiendi ac color, nempè ut commune sensibile, quod proinde ratione proprij sentitur; at verò humidum non comparatur ad organum gustús ut commune sensibile secundum eandem virtutem ac sapor, quarè non ratione hujus immutat, & eo mediante, sed per se & ut proprium sensibile.

312 Quærit 4. Phil. ipse, an tactus vnus sit sensus? Idem posset de gustu quæri, quia ratio dubitandi de utroque tenet. Arguit, quòd non: quia unus sensus uniùs est contrarietatis; sed tactus ad multas contrarietates se extendit: ergo. Ratio maj. est, quia contraria sunt in eodem genere, quarè, quæ non habent ad unam contrarietatem reduci, non sunt in eodem genere, & consequenter non possunt ad unam rationem reduci sensus immutativam; sensus autem unus unum objectum debet habere. Min. tam de tactu, quàm de gustu patet experientia. Hęc difficultas non parùm urget asserentes, potentias ab objectis specificari, nec enim potest facile assignari una communis ratio gustùs, & tactùs specificativa. Dicere, quòd ea est ratio tangibilis, aut sapidi, nihil est; de hoc enim arguitur, quòd ratio tangibilis non una est,

est, sed multa comprehendit. P. Rub. q. 6. resp. quòd uterque sensus est unus, quia illa omnia conveniunt in uno modo immutandi. Sed contra: 1. jam non ab objecto ipso specificatur potentia. 2. nequeunt multa unum habere modum immutandi nisi in una ratione cóveniant, sub qua habent immutare.

Nobis dicendum, quòd uterque sensus unus est, quia unum habet organum, & unum proprium modum percipiendi immutationem à sensibili causatam. Ad rationem in contrarium dicendum, quòd potentia est absoluta virtus animæ, quarè ejus quidditas & unitas immediatè debet accipi ex habitudine ad subjectum, cui tribuit tale perfectum esse, & ex actu, ad quem virtus est; nobis quidem ex objecto regulariter innotescit, quia nostra cognitio, eo quod imperfecta, à posteriori & ex effectibus ortum ducit, non autem proinde ex objecto tanquàm ex propria ratione habetur ejus unitas & quidditas, si enim objectum non sufficienter indicat, ex alijs principijs possumus deducere.

313 Quærit 5. idem Phil. Quodnam sit tactùs organum, an nempè pellis, vel caro, an sub carne existens nervus? Idem pariter de gustu posset dubitari. P. Rub. de gustu tenet cum Phil. organum ejus esse nervum sub carne existentem in lingua; de tactu autem asserit, organum ejus ipsam esse carnem, imò in pellicula magis residere, qua caro contegitur. Motivum unicum est: quia videmus, quòd statim ac appropinquat calidum, carne ipsa, & exteriori cute sentimus. Sed hoc ipsa rejicitur experientia: si enim cutis à carne separetur, contactu ejus in illa parte non fit sensatio. Deinde ratione Phil. quia sensibile immediatè sensui conjunctum non facit, imò impedit sensationem; sed videmus, quòd immediatè conjunctum carni percipitur objectum tactu & gustu: non ergo in ea residet sensus.

Resp. itaque Phil. quòd organum, in quo residet sensus tactus, idem de gustu, non caro est, sed nervus sub carne existens, caro autem medium est. Hujus rationem assignat B. D. quia tactus magis, quàm quivis alius sensus habet immutari realiter, calefit enim manus, ut calorem percipiat; quoniã autem talis passio corruptiva est, & quæ magis facta abjicit à substantia, oportuit carne tegi illud organum, quo magis à læsivo defenderetur; eadem ratione oportuit per totum corpus extendi, ut sensibile potens lædere à quacumque par-

parte percipéret : hac item ratione oportuit, quòd medium ad sensationem requisitum non aliquod corpus esset separatum, sicut in alijs sensibus, sed caro ipsa, quæ conjuncta est, ut promptius immutationē perciperet, quo magis posset à læsione cavere: hinc item ad experientiam patet, quæ in contrarium adducitur, quod enim statim percipit sensibile appropinquans, vis est, qua multum pollet homo in hoc sensu.

314 Tandem dubitationem movet B.D. quæ item gustui communis est, an nempe tactus immutetur à tangibili per speciem intentionalem? Ratio dubitandi est, quia videmus tangibile realiter & phisicè conjungi ipsi organo. Hanc dubitationem latè expendit D. lec. 24. Resp. autem, quòd non nisi secundùm immutationem intentionalem percipit tactus objectum suum. Hanc conclusionem multis ibi probat, ad præsens autem hæc sufficiunt: 1. quia Phil. cap. 12. ait, quòd commune est omni sensui immutari per speciem sine materia, hoc est non per formam realem, sed intentionalem: ergo id etiam tactui convenit. 2. experientia: videmus enim, quòd si manus sit nimis frigida, appropinquans calefacienti fit calida, & recipit realem immutationem, non autem statim calorem sentit: cujus ratio est, quia organum sensûs debet esse media proportio sensibilium, ut Phil. ait, & quia organum tactús tunc lædítur à nimis frigido, non potest intentionalem immutationem susscipere, & quamvis immutetur realiter ut est corpus alterabile, non potest immutari ut est vis sensitiva: ergo hujus immutatio fit per speciem intentionalem.

Tertiò ratione: quia conjunctio objecti ad potentiam debet esse intima, ita quòd fiat unum ex objecto & potentia; at per realem contactum & phisicam immutationem, quamvis in aliquibus fiat unum, ut quando percipit calidum, in alijs non potest, ut quando sentit asperum: oportet ergo, quòd immutatio quatenus sensus est non realis sit, sed intentionalis, qua possit objectum intimè uniri potentiæ. Conf. quia vis sensitiva ipsius est animæ: ergo immutatio ejus formaliter qua talis est debet esse non realis secundùm modum corporis, sed secundùm modum ipsius animæ, & sic intentionalis. Multa alia mitto videnda apud B.D. ad propositum enim hæc sufficiunt.

QUES-

QUÆSTIO VI.
DE SENSIBVS INTERNIS.

ARTICULUS I.

Quotuplex sit sensus internus?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

115 DE potentijs quæritur in parte cognoscitiva, de apetitiva enim & loco motiva postea agemus. Prima ergo sent. docet, in parte cognoscitiva unũ tantum esse internũ sensum, qui multos habet actus, & diversa officia. Hanc tenet Rub. qui pro ea citat Suar. lib. 3. de An. cap. 30. & nonnullos RR. fatetur autem illam nullum tenere de antiquis. Hæc sent. apertè est cõtra Phil. qui tex. 136. determinare incipit de sensu communi, & ejus necessitatem probat, deinde tex. 150. determinat de phantasia, quam probat ab intellectu differre, & à sensu, nempè communi, de quo in præcedentibus egerat, quarè saltim hos duos ipse ponit. Hinc 2. sent. docet, sensus internos in illa parte duos esse, nempe jam dictos. Hanc tenent Fonsec. Conimb. & alij. Sed hæc item ex Phil. rejicitur; de memoria enim specialem instituit tractatum, quarè saltim hanc oportet illis duobus addere.

Quarè 3. sent. ponit tres esse, quamvis non uno modo assignet. Galen. & DD. Græci ponunt sensum communem existimativam & memoriam, ita quòd sensus communis habeat officia, quæ alij imaginativæ tribuunt aut phantasiæ; Toletvero & alij eosdem tres ponunt, ita quòd illa officia sint existimativæ. Sed quidquid de hoc sit, præter illos tres phantasiam apertè ponit Phil. tex. 153. pro-

bat enim ab existimativa differre, ex eo quod phantasia, sivè imaginativa percipere terribilia, non terret; illa autem percipere existimativa terret. Unde 4. sent. hos quatuor assignat, sensum communem, phantasiam, memoriam, & existimativam. Hanc tenet D. Th. pro ea citans Commentat. eam sequuntur communiter RR. Thomistæ; Hanc item tenet N. B. D. in Quodl. 4. q. 20. & in 2. dist. 20. q. 2. art. 3. Quinta demum sent. quinque ponit, nempè illis quatuor addit imaginativam. Hanc tenet Avicen. B. Alb. M. & ex RR. multi; eandem sequitur N. Mans. & supponit sent. esse B. D.

Sed in primis ex actu, quem ista sent. assignat imaginativę, ea rejicitur: ponit enim imaginativam percipere objecta, & species retinere, quorum hoc 2. memorię èst; illud 1. phantasiæ: aut ergo impossibile est utrumqúe actum eidem potentiæ convenire in parte sensitiva, quia diversum requiritur organum ad utrumque, & sic non datur immaginativa, quę sit alia potentia à phantasia; aut si utrumque actum ipsa habet, superfluit tam memoria, quàm phantasia, utriusque enim actum ipsa habet imaginativa. Deinde: quod attinet ad mentem B. D. in cit. Quodl. 4. q. 20. tantúm intendit, quòd plures sunt sensus interni, quarè refert & explicat positionem Avicen. qui quinque ponit, deinde sent. Aver. qui pro eodem accipit imaginativam & phantasiam, & concludit, quòd sive sic teneatur, sive sic, relinquitur, plures esse virtutes sensitivas interiores, & non unam tantùm; non determinat quidē ipse ibi, an quatuor teneat cum Averr. an quinque cum Avicen. determinat verò in Expos. ad lib. de An. ubi passim pro eodem accipit imaginari & phantasiare, præsertim lib. 2. lec. 31. & cuique notum est, quòd ipse frequenter tenet opiniones Averrois, quarè à multis dicitur insignis Averroista.

316 Dicendum ergo, quòd quatuor sunt tantùm sensus interni in parte cognoscitiva, nempè sensus communis, imaginativa, seu cogitativa, aut phantasia, memoria, & existimativa; aliquibus placet, quòd imaginari idem est ac existimare, quaré imaginativam non distinguunt ab existimativa, res est parvi ponderis; certè, ut Phil. ait, aliud est percipere objectum terribile, aliud verò existimare ita esse; illud 1. non terret, hoc 2. terret; illud 1. phantasia habet, hoc 2. existimativa, vel si mavis imaginativa. Hos quatuor sensus in tribus cerebri ventriculis residere, & sua habere organa ait

B.

B. D. ex P. Aug. ita quòd in anteriori parte sit sensus communis, in medio memoria, & in posteriori alij duo: sensus communis ponitur in anteriori parte, in illa nempè ubi terminantur nervi visorij, auditorij, & aliorum sensuum, quia sensus communis non est in actu suo sine sensibus externis, nempè de eorum actibus judicat, & inter eorum objecta discernit: deinde memoria in medio, tum ut accipiat species à sensu communi, tum ut eas alijs ministret; & in posteriori alij duo, quibus intellectui ministrantur species.

317 Probat ergo Phil. concluſ. quantum ad 1. de sensu communi tex. 136. Quia sensu nos discernimus unum sensibile ab alio v. g. album à dulci; sed non possumus ipsis externis sensibus discernere: ergo aliquis est internus, quo discernamus. Prob. min. Illa tantùm potentia discernit inter utrumque, quæ utrumque percipit; sed nulla exterior percipit utrumque: ergo. Patet maj. si enim multiplex potentia utrumque percipit, idem est ac si ego album, tu verò dulce percipias, quia si ego dulce non percipio, non possum ab ipso album discernere. Hoc idem alia ratione ostendit: sensu enim non solùm sensibile percipimus, sed etiam cognoscimus nos sentire; sed sensus non est supra actum suum reflexivus: ergo aliquis est internus sensus alius ab externo, & hoc percipimus sensibile, illo autem cognoscimus nos sentire.

318 Hinc deducitur probatio alterius partis, nempè quantum ad phantasiam: Quia sensus communis non est in actu suo sine sensu externo, cujus objectum ab alio discernit, & de cujus actu fert judicium; at experimur in nobis, quòd sine exercitio externi sensus de ejus objecto cogitamus, v. g. clausis oculis formamus nobis imaginem visibilis objecti: ergo alius est sensu, quo ita percipimus, & hic dicitur phantasia, sive cogitativa. Memoriam deinde sensitivam potius supponit quã probat Phil. quod autem ea detur, & est sensus interior à reliquis diversus, facile est ostendere: 1. quidem: Quia speciẽ percepti objecti retinere & conservare, opus memorię est; sed experimur in nobis, quòd de objecto prius percepto sensibilem imaginationẽ habemus, quando ipsum non est præsens: ergo illius meminimus, & speciem ejus memoriâ retinemus. Alterum autem ratione supra facta: Quia potentiæ sensitivæ sunt organicæ, quarè diversi actus diversa requirunt organa, & consequenter nequeunt eidem potentiæ convenire; sed diversi sunt actus

tus percipere, & percepti speciem retinere : ergo.

319 Quantum ad 4. de existimativa, rationem item ex Phil. supra innuimus: Quia aliud est objectum percipere, aliud verò existimare ita esse vel ita; sed 1. phantasiæ est : ergo hoc 2. aliam requirit potentiam, quę est imaginativa, seu existimativa. Maj. eo probat Phil. quia cogitare, seu phantasia percipere terribilia non terret ; at verò existimare, seu existimativa percipere, terret: ergo. Quod tandem imaginativa non est potentia ab istis diversa, sufficienter ostendit ratio supra facta: nullus actus relinquitur, pro quo necesse sit ipsam ponere; aut enim ponitur imaginativa, ut percipiat, & simul retineat, & hoc implicare jam patuit; duplex enim organum hoc requirit, & superflue nova potentia poneretur pro eo, quod alijs potentijs anima habet, nempè phantasia & memoria; aut ponitur imaginativa, ut alij volunt, ad hoc ut percipiat complexa, phantasia nempè tantùm percipit in complexa, & neque ad hoc requiritur : videmus enim, quòd eadem potentia, quę per unam speciem unum percipit album, duplici specie percipit duplex : sive ergo cogitando, sive existimando possumus phantasiâ & existimativa percipere complexa. Relinquitur itaque, quòd quatuor tantùm sunt interni sensus in parte cognoscitiva. Not. autem, quòd reminiscentia non est actus memoriæ; hæc enim non habet percipere, quarè exercitium memoriæ tantùm est retinere & conservare speciem, reminiscentia autem, cùm sit objecti iterata perceptio, ipsius est phantasiæ, aut existimativæ.

§. II.

Solvuntur argumenta.

320 Arg. 1. N. Manſ. Major abstractio requiritur pro insensatis, quàm pro sensatis speciebus; sed duplex potentia requiritur pro insensatis, duplex itè pro sensatis : ergo non tantùm quatuor, sed quinque sunt. Patet conseq. quia ultra illas quatuor, quas deducit argumentũ, debet poni sensus communis. Ratio maj. est : quia insensata species altioris est ordinis, quarè aliam potentiam requirit. Ratio min. quia ad quamlibet speciem alia est potentia percipiens, alia verò retinens; videmus enim in materialibus, quòd alia est dispositio recipiẽtis & retinentis, ut dura sunt benè disposita ut retineant, non verò ut recipiant; è contra mollia sunt benè disposita ut recipiant, non verò ut retineant.

Con-

Conf. 1. Potentiæ, quæ respiciunt diversam abstractionem à materia, diversæ sunt formaliter; sed quæ respiciunt sensatas & insensatas species, respiciunt diversam abstractionem: ergo. Patet maj. quia illæ potentiæ non sunt in eodem gradu immaterialitatis. Patet item min. quia species insensata abstractior est. 2. objectum percipiendum á se ipso ut retinendo importat diversam rationem formalem; sed diversa ratio formalis ex parte objecti diversificat potentiam: ergo. 3. Aliquando ex læsione cerebri læditur potentia retentiva, non autem perceptiva, ut patet in his, qui ex infirmitate amittũt memoriam: ergo diversæ sunt potentiæ.

321 Resp. 1. quòd argumentum non quinque, sed sex deducit potentias; ponit enim ipse, ut sequenti argumento contendit, imaginativam à phantasia & existimativa differre, quarè si duplex additur memoria, sex fiunt, imò septem, oportebit enim ipsum duas ponere existimativas, alteram pro insensatis, alteram verò pro sensatis speciebus, cùm juxta Phil. alius sit actus, quo simpliciter percipimus, ac quo existimamus, imò oportebit ipsum imaginativam duplicare; quicumq; enim sit ejus actus, alia erit potentia pro insensatis, alia verò pro sensatis speciebus. Addè, quòd duas memorias sensitivas nullus hucusque agnoscit. Resp. 2. directè neg. sup. maj. quòd alia sit species insensata à sensata specie; eadem enim species, quæ objectum repræsentat, repræsentat etiã ejus cõvenientiam aut disconvenientiam, ut quòd est amicabile, aut inimicabile, quæ dicuntur intentiones insensatæ, & videmus in potentijs spiritualibus, quòd eadem species, quæ intellectui repræsentat quidditatem, repræsentat voluntati ejus convenientiam, aut disconvenientiam.

Ad 1. Conf. pariter instatur: tùm quia intellectus & voluntas diversę sunt potentiæ; & tamen eandem abstractionem respiciunt: tum quia diversa abstractio non specificam distinctionem arguit in eodem gradu, sed genericam, quarè plus deducit argumentum, si quid probat, quàm ipse intendit, aut potest substinere: Directè neg. suppositum min. quòd alia sit species sensata & insensata. Ad 2. Conf. instatur etiã: arguit enim contra ipsum, quòd memoria intellectiva ab ipso differat intellectu. Directè conc. conseq. quòd nempè memoria in parte sensitiva differat à potentia percipiente, propter diversitatem organi, neg. tamen suppositum, quòd duplex de-

beat

beat poni memoria. Quo patet ad 3. quia enim divetsum est organum memoriæ, potest hoc lædi alijs non læsis, non autem inde arguitur, quòd duplex sit memoria.

322 Arg. 2. idem: Phantasia est factiva sui objecti; sed id non convenit imaginativæ: ergo diversæ sunt potentiæ. Prob. maj. quia munus phantasiæ est fingere unum objectum ex duobus; at hoc est 3. speciem formare, patet enim, quòd species auri & montis simul, simultatem quidem utriusque repræsentat, non verò unum quid ex utroque: ergo. Patet item min. quia munus imaginativæ est simplex objectum percipere. En hoc argumento intendit, quòd imaginativa alia est potentia à phantasia, quarè si duplex concedatur memoria, amplius, quàm ipse intendit multiplicantur sensus interni. Deinde exercitia utriusque potentiæ videtur æquivocare; phantasiare enim simplex percipere est, nempè dicitur à phanos, quod est manifestum, imaginari autè videtur dicere existimare, quidquid de hoc sit

323 Resp. quòd argumentum eo dato quod assumit, deducit tantúm, quòd existimativa, cujus est unum facere ex duobus, seu existimare ita esse, alia est potentia à phantasia, & hoc concedimus; nihil autem inde contra nos, quia his duobus sensibus addimus tantúm sensum communem & memoriam. Nihilominus falsum est quod assumit: tum quod altera tantùm percipit simplex objectum, altera verò complexum; sive enim simplex sit, sive complexum, aliud est simpliciter percipere, quod apprehensioni æquivalet, & hoc est phantasiæ; aliud verò existimare ita esse, quod æquivalet judicio, & hoc est existimativæ: tum item falsum est, quòd hoc sit objectum suum fingere, aut 3. formare speciem; tantùm enim est non discernere, seu non plenè percipere distinctionem, quæ in specie repręsentatur.

324 Arg. 3. Suar. apud cit. Mans. Eadem potentia potest percipere objectum absens, ac præsens: ergo frustra pro his multiplicantur potentiæ. Ant. ostenditur: quia idem intellectus cognoscit absens & præsens. Rursus: eàdem specie utrumque repræsentatur. Præterea: sensus communis in absentia objecti percipit, ut quando in somnis imaginamur nos gustare. Conf. quia memoria non est perceptiva objecti, sed tantùm retentiva speciei: ergo non est potentia distincta. Alia mitto, quia ex horum solutione poterit ad reliqua patere.

325 Resp. quòd potentiæ non multiplicantur ex quo

alia

alia in absentia objecti percipiat, alia præsentiam ejus requirat, imò quia nulla objectum percipit in se ipso sed in specie sua, ad quamlibet est de materiali præsentia objecti in se ipso, & quælibet solùm requirit quod sibi præsentetur in specie, quia tamen species ipsa, in his, quæ non à memoria, sed ab objecto ipso speciem accipiunt, à præsentia objecti habet conservari, istæ non, nisi præsente objecto, immutantur, non per se ex necessitate potentiæ, sed per naturam ipsius speciei: posset ergo negari suppositum cõseq. quòd hac ratione multiplicentur potentiæ; quia tamen sensus communis non est in actu suo sine sensu externo, quarè licèt non per se, sicut ipse externus, dependet à præsentia objecti. Resp. aliter neg. ant. in sensu, quem intendit arguens. Ad 1. ejus prob. dicitur, quòd intellectus est potentia supra se reflexiva, quarè judicium fert de actu suo, & ipse cognoscit se cognoscere; at verò sensus non est supra se reflexivus, quarè sensibus externis oportuit conjungi internum sensum, qui de eorum actibus judicium format, & inter objecta discernit, & iste est sensus communis; quia tamen hic non nisi simul cum sensu externo est in actu suo, & consequenter non nisi in præsentia objecti, videmus autem, quòd in absentia objecti sensu interno illud percipimus, oportet alium ponere sensum, & hic est, phantasia.

Quod autem iste non idem sit, qui in præsentia objecti illud percipit & simul cum sensu communi, ex eo patet, quia potentiæ sensitivæ sunt organicæ, quarè organum illius sensus, qui simul cum externis est in actu suo, debet ipsis organis externorum sensuum communicare, quarè debet esse in parte anteriori ante organum in quo est memoria; deinde memoria, ut ab isto speciem accipiat, debet immediatè sequi, quarè organum illius sensus, qui à memoria speciem accipit, & qui proinde est in actu suo in absentia objecti, non potest ab ipsis externis immediatè speciè accipere, & sic neque in præsentia objecti, & ratione ejus percipere. Hinc ad 2. prob. dicitur, quòd eadem est species, non tamen eodem modo se habet, sed alter, nempè sensus communis, immediatè accipit ab ipso objecto, alter verò, nempè phantasia, non nisi à memoria eandem speciem accipit. Ad 3. neg. assumptum, non enim sensus communis, sed phantasia est, quæ in somnis sensibilium species percipit. Ad Conf. neg. conseq. In parte rationali retinere non requirit potentiam distinctam; in parte

verò sensitiva requirit, eo quod alia est utriusque dispositio, & aliud proinde organum.

326 Arg. 4. P. Rub. Phil. lib. de mem. & reminisc. cap. 1. ait, quòd phantasma communis sensûs passiò est: ergo sentit non esse potentiam diversam. Resp. neg. conseq. apertè enim Phil. ipse in hoc 2. de An. tex. 136. probat necessitatem communis sensus, & ejus distinctionem à reliquis; deinde tex. 153. probat ex alio cap. necessitatem ponendi phantasiam, & ejus distinctionem; tũ ab opinione & scientia, tum à sensu communi, de quo hactenus egerat: quod ergo ait passionem esse communis sensûs, intendit, quòd phantasia habet immutari à specie cujuslibet sensûs, quarè ejus actus passio est sivè immutatio communis, sivè à quolibet facta sensibili.

327 Arg. 5. idem: Phil. in 3. de An. tex. 56. asserit. appetitum moveri ab imaginatione, & inde probat, quòd in animalibus imperfectis concedenda est imaginatio, quia in eis reperitur appetitus, ex quo sic arguit: appetitus movetur à percipiente conveniens aut disconveniens; sed juxta Phil. movetur ab immaginativa: ergo hęc percipit conveniens aut disconveniens; at iste est actus, pro quo ponitur existimativa: ergo ea non est potentia distincta ab imaginativa.

328 Resp. quòd multi concedunt conseq. prout imaginari idem significat quod existimare, & quoddam facere judicium; tunc autem imaginativa alia potentia est à phantasia, cujus actûs est tantùm percipere per modum apprehensionis: quia autem aliqui pro eodem accipiunt imaginativam & phantasiam, & hoc sensu ipse arguit, dicendum, quòd appetitus movetur à percipiente cõveniens aut disconveniens, non autem perceptione, quæ præcisè sit existimatio, videmus enim, quòd voluntas non solùm à judicio intellectus, sed ab apprehensione item movetur; tunc autem ad subsumptum dicitur, quòd actus existimativæ non solùm est percipere conveniens, aut disconveniens, sed percipere existimando, & veluti affirmando, quòd etiam phantasia percipit tantùm per modum apprehensionis.

ARTICULUS II.

Quid sit & quotuplex appetitus sensitivus?

329 DE appetitu sensitivo agit Phil. in fine lib. 3. postquá agit de appetitu rationali; ibi nempè determinat, quòd etiam in

in parte sensitiva appetitus datur à tex. 27. & quia potentia loco motiva ab appetitu movetur, de ea etiam ibi determinat à tex. 40. quia tamen utraque ad partem sensitivam pertinet, de utraque hic agemus. Quantum ad 1. ergo; appetitus ut sic & communiter est quædam inclinatio ad bonum, sive conveniens, & quia multipliciter accipitur bonum, multipliciter etiam appetitus accipitur: 1. ergo appetitus dicitur innata uniuscujusque propensio ad id, quod est sibi conveniens, ut lapis appetit esse deorsum, ignis caliditatem, materia formam, & universaliter perfectibile perfectionem suam; hic appetitus est inclinatio sequens formam, hoc est, naturam uniuscujusque, & dicitur appetitus innatus: 2. dicitur appetitus inclinatio sequens cognitionem, seu formam apprehensam, quia prout unumquodque apprehendit sibi conveniens, ad illud inclinatur, & ista inclinatio dicitur appetitus elicitus, quia est actus elicitus à potentia appetente.

330 Prout itaque duplex est cognitio, qua apprehenditur conveniens, nempè sensitiva & rationalis dupplex est ille appetitus, seu potentia appetens; de rationali quidem agitur disp. seq. de sensitivo nunc quærimus: videtur autem non benè dici, quòd est inclinatio ad bonum sive conveniens: patet enim, quòd non solùm habet appetere, sive amare, sed etiam respuere, sive odio habere, & hic 2. actus non ad conveniens, sed ad disconveniens terminatur: non ergo ipsa potentia benè dicitur inclinatio ad conveniens. Aliunde autem: si ipsa potentia virtus dicitur ex æquo respiciens utrumque actum, & proinde ad conveniens & disconveniens se habere, ejus ratio objectiva debet poni aliquid utrique commune, & sub se comprehendens conveniens & disconveniens; nihil autem tale datur, cùm bonum, sive conveniens sit passio transcendens & convertibilis cum ente. Hæc difficultas æquè procedit de appetitu rationali.

331 Nobis dicendum ex doctrina Phil. lib. 3. tex. 29. & B. D. ibi, quòd sicut est in motu locali, ita possumus accipere in appetitu: videmus ergo in motu locali, quòd non duplex motus est accessus & recessus, sed unus & idem motus: prout à nobis accipitur comparativè ad terminum à *quo* est recessus, prout autem accipitur comparativè ad terminum ad *quem* est accessus, neque ullus potest accessus imaginari, qui non sit recessus, aut recessus, qui non sit accessus, ita est in appetitu, quòd actus ejus est de necessitate a-

mor & inclinatio ad conveniens, quia tamen impossibile est accipere tendentiam ad hoc conveniens, quæ non sit fuga & recessus ab ejus oppositio, aut è contra recedere ab hoc, & illud odio habere, quòd non sit velle & intendere ejus oppositum, prout intellectus accipit & proponit disconveniens, motus ille appetitus dicitur recessus & odium hujus, est autem re ipsa inclinatio appetitus ad oppositum: quamvis ergo utrumque habeat potentia, & recedere à disconvenienti, & accedere ad conveniens, benè ea dicitur inclinatio ad conveniens, quia semper & in omni actu suo hoc intendit, & ab isto movetur.

332 Quantum ad 2. an multiplex sit appetitus, duplici sensu controvertitur: alter, an sicut in parte cognoscitiva multiplex est potentia, ita etiam multiplex sit in parte appetitiva? Alter sensus est, an concupiscibilis & irascibilis, in quas dividitur appetitus sensitivus, sit duplex potentia, vel potius duplex munus ejusdem? In priori sensu N. Manf. q. 11: 9. 1. ferè supponit, quòd unica est potentia, hac ductus ratione: quia appetitus sequitur cognitionem, non utcumque, sed qua apprehenditur conveniens aut discōveniens; sed in parte sensitiva una est potentia qua accipitur conveniens, nempe ille actus est existimativæ: ergo unica est potentia appetitiva. Hæc tamen resolutio, ut jacet, omninò subsistineri non potest.

In primis: Phil. in principio lib. 2. ut refert B. D. lec. 31. ait, quòd quibus sensus ineſt, ineſt phantasia & appetitus; at existimativa non omnibus ineſt, quibus ineſt sensus: ergo. Rursus: idem Phil. lib. 3. tex. 29 ita habet: *Nec alia sunt ista à sensitivo, quamquam ipsorum ratio non est eadem sed diversa.* Loquitur de appetitu, quem in plurali accipit, & intendit, ut B. D. exponit, quòd vis appetitiva subjecto, & organo à sensitiva, hoc est, cognoscitiva, non differt, quamvis differat quidditate, & ratione sua. Præterea: ibidem tex. 57. ita habet: *Omninò igitur hoc sui ipsius motivū est animal, quo est appetitivum; at appetitivum sine imaginatione non est, omnis autem imaginatio, aut rationis est particeps, aut est sensitiva, atque hujus & belluæ participes sunt.* En ad imaginationem appetitus sequitur; accipit autem imaginationem pro eo quod est cognoscere ut sic, & prout etiam brutis convenit.

Deinde: N. B. D. lib. 3. lec. 8. de hoc expresè quærens, oppositum tenet & probat, hæc sunt verba ejus: *Nam in quacumque parte reservatur sensus, oportet, quòd ibi reservetur delec-*

tā-

tatio, vel tristitia; nam si sensus conjungitur convenienti, erit ibi delectatio, si disconvenienti, tristitia delectatio autem & tristitia non possunt esse sine appetitu & fuga. En ratione probat B. D. necessitatem multiplicis appetitus, quæ talis est: cuicumque cognitioni sensitivæ competit accipere sibi conveniens, aut disconveniens: ergo ad quamcumque sequitur delectari, nempè ex convenienti, aut tristari, nempè ex disconvenieuti; sed tristari & delectari actus sunt appetitus: ergo oportet appetitus multiplicari prout multiplicantur potentiæ cognoscentes. Præterea: existimativa non nisi in perfectis animalibus reperitur; at appetitus omnibus inest, quodlibet enim appetitu movetur ut quærat cibum sibi congruum: ergo non præcisè ad cognitionem existimativæ sequitur appetitus: oportet ergo aliquomodo multiplicitatem appetitus concedere.

333 Pro cujus intelligẽtia not. quòd phantasia duobus modis potest accipi; alicubi enim, ut in principio lib. 2. asserit Phil. quòd omnibus inest, quibus inest sensus; alibi autem, ut tex. 156. asserit, quòd non omnibus inest, non enim reperitur in ape, & vermiculo. Hoc ita exponit B. D. quòd phantasia aut accipitur imperfecta, & indeterminata, & hoc sensu ait, quòd omnibus inest, aut accipitur perfecta & determinata, & hæc non in omnibus reperitur: pariter dicendum de appetitu, quare appetitus ut est inclinatio sequês cognitionem imperfectã & indeterminatam, multiplex est; ad quamcumq̃ enim perceptionem sequitur delectatio aut tristitia, prout percipitur conveniens, aut disconveniens; appetitus verò ut est inclinatio sequens cognitionem perfectam potest dici unus, quatenus cognoscere, seu percipere per modum apprehensionis, quod est phantasiæ, aut per modum judicij, quod habet existimativa, non aliam requirit virtutem appetitivam, sicut videmus in intellectu, qui apprehensione & judicio eundem movet appetitum, quia ex hoc non diversificatur ipsum conveniens.

334 In altero sensu P. Suar. apud N. Mans. tenet, irascibilem & concupiscibilem unã esse potentiam, quæ ut comparatur ad bonum simpliciter, dicitur concupiscibilis, ut verò ad arduum & difficile, dicitur irascibilis. N. B. D. tum in 3. de An. lec. 10. tum in 2. dist. 24. p. 1. q. 2. art. 5. de hoc exprese quærens docet, duas esse potẽtias, & est communis sent. Probs: quia sufficienter colligitur diversitas potentię ex diversitate actus & objecti; sed diversum utraque habet actum & objec-

tum : ergo. Prob. min. actus concupiscibilis est bonum prosequi, quarè ejus objectum est ipsum bonum, sive conveniens; at actus irascibilis est repellere impedientia, quarè non ipsum bonum, sed impedientia consequutionē ejus habet pro objecto : ergo diversæ potentiæ sunt.

335 Arg. P. Suar. 1. Eàdem potentia cognoscitiva regulatur irascibilis & concupiscibilis : ergo una est potentia appetitiua. 2. Actus irascibilis ad idem objectum terminatur ac actus concupiscibilis, cum sola differentia accidentali; sed accidentalis differentia non sufficit diversificare potentias : ergo. Prob. maj. Irascibilis respicit pro objecto idē bonum concupitum ut defendendum à contrarijs impedientibus consequutionem; sed illud defendere est accidentalis circunstantia ipsius boni : ergo. 3. irascibilis intendit cōsequutionem rei concupitę: ergo non est potentia alia à concupiscibili. 4. Si dicantur potentię diversæ, non potest assignari utra sit perfectior; præstat enim irascibilis, ex quo respicit bonum arduum & difficile; præstat verò concupiscibilis, ex quo illi famulatur irascibilis, & ad ipsam ordinatur actus ejus.

336 Hæc levia sunt. Ad 1. neg. conseq. objectum enim quod respectu cognoscitivæ non differt, aliam & aliam rationem habet respectu appetitivæ. Ad 2. neg. maj. & ad ejus prob. dicitur, quòd non ipsum bonum, sed impediētia consequutionem habet pro objecto irascibilis, actus enim ejus, qui est reppellere, non potest ad ipsum bonum terminari. Ad 3. dist. ant. Intendit immediatè & tanquam proprium actum, neg. ant. Intendit mediatè & tanquam finē actus sui, mitto ant. & neg. conseq. licèt enim frænofactiva intendat equi gubernationē, actus tamen ejus, & ejus objectum non est equus aut ejus gubernatio, sed frænum & ejus formatio. Ad 4. potius illud est contra arguentem, si enim ipse ponit objectum irascibilis esse bonum arduum, ex hoc capite præstat munus irascibilis, quarè non poterit ipse determinare quodnam munus sit præstantius. Nobis dicendum, quòd objectum irascibilis non bonum est, sed impedientia consequutionem ejus, quaré ex nullo capite hæc præstat concupiscibili, sed inferior est, & ad illam ordinatur, & veluti famulatur actus ejus.

****
****
****
****
***

ARTICULUS III.

Quid sit potentia locomotiva?

337 DE principio motus processivi determinat Phil. lib. 3. à tex. 44. & quia de hoc nulla est inter DD. controversia, pro expeditione sufficiat tex. breviter expendere: 1. it que ostendit Phil. quòd tale principium non est potentia aliqua vegetativæ partis: quia motus progressionis nunquam fit sine appetitu; at potentia quælibet vegetativæ partis sine appetitu exercetur: ergo. Deinde non esse vim sentiendi, hac ratione probat: quia multa sunt animalia, quæ vim sentiendi habent, non autè progressione moventur, ut conchæ & similia; si autem principium illius motus vis esset sentiendi, in quocumque esset vis sentiendi, talis motus daretur. Quia tamen ad hanc rationem posset quis dicere, quòd principium illius motus talia habent, non autem moventur, quia organa non habent ad motum requisita, hanc cavilationem ipse rejicit: quia natura nihil facit frustra, quarè in quocumque ponit principium motus, debet per se & in statu connaturali ponere organa ad illum motum requisita: si ergo talia non habent organa ad motum progressionis necessaria; neque principium habent illius motus & consequenter tale non est vis sentiendi.

Deinde, quòd tale principium non sit intellectus, sive rationalis cognitio, sic ostendit; illa cognitio aut practica est, aut speculativa; speculativa quidem non est alicujus motus principium, quia tantùm habet contemplare objectum, non autem præscribere quid agendum; practica verò, licèt sit activa, & ea præcipiatur quid agendum est, sæpe tamen contingit, ipsam præcipere motum, qui tamen non sequitur ut in incontinente, ratione præcipiente fugiendam esse voluptatem, motus tamen sequitur ad voluptatem ex incontinentia: non ergo motus illius principium ipsa est ratio. Tandem, quòd non sit appetitus ex eodē medio probat: quia continens, appetitu inclinante ad voluptatem, ratione movetur ad oppositum: ergo principium illius motus non est appetitus.

338 Postquam Phil. arguit in contrarium in omnibus potentijs de quibus posset esse dubium, cap. 10. ostendit, quòd principium motus secus locum in animali ex utroque coalescit, ex cognitione & appetitu, subjungit autem, quòd talis cognitio practica esse debet, seu quæ apprehendit aliquid esse a-

ge-

gendum, vel fugiendū; non autem nomine cognitionis rationalem accipit; tum quia homines plerumquè magis imaginationem sequuntur, quàm scientiam; tum quia rationalis cognitio in solo reperitur homine, motus autem progressivus, & ejus principium brutis etiam convenit. Deinde, quia ut notat N. B. D. quoties effectus à pluribus causis procedit, non potest haberi unitas in effectu nisi, aut in una communi ratione conveniant, aut una reducatur ad aliam, ita quod unum sit principale movens, statuit, quòd ex illis duobus, principale movens est appetitus.

Pro cujus expeditione supponit probatum in Phis. quòd in quolibet genere est devenire ad motorem immotum: si enim quod movetur semper ab alio movetur, sequitur processus in infinitum, qui repugnat in per se ordinatis, quare standum est in aliquo, quòd moveat & non ab alio moveatur: ait ergo, quòd appetibile movet cognitionem; deinde cognitio movet appetitum, quatenus ipsi proponit appetibile; deinde appetitus movet organum, à quo motus exequitur, puta pedem vel manum, quatenus illi imperat. Movens itaque immotum, & subinde 1. appetibile est, cętera mota movent; & quia cognitio nonnisi quatenus appetitui proponit objectum, habet movere, nonnisi medio appetitu concurrit ad motum, quarè ad ipsum reducitur; quia deinde appetibile, licèt principalius sit & 1. movens, est tamen exterius, relinquitur, quòd movens ut principium & causa illius motus appetitus est; cùm enim progredi sit se movere, hujus principium in ipso est animali.

339 Deinde: rationes supra factas, quatenus contra hoc esse possunt, explicat: nempè in homine duplex est cognitio, sensûs & rationis, & duplex pariter appetitus: quandoque ergo magis movet appetitus sensitivus, & tunc ratione movente ad unum, sequitur motus in contrarium, & ita contingit in incontinente, hujus tamen motus appetitus est prævia cognitione, nempè sensitivus; quandoque verò magis movet appetitus rationalis, & tunc appetitu sensitivo inclinante ad voluptatem, sequitur motus in contrarium, cujus item principium appetitus est, nempè rationalis: non obstantibus ergo illis rationibus relinquitur, quòd semper motus progressivi principium appetitus est. Concludit itaque tex. 55. quòd tria ad motum progressionis concurrunt, quod movet, quo movet, & quod movetur: quod movet ipsum est animal, quo movet est ap-

apetitus, quod verò movetur est organum, quod ait corpori tribuendum esse, quare ita concludit: *Omninò igitur, ut dixi mus, hoc sui ipsius motivum est animal, quo est appetitivum.*

340 Ex præmissis duo possunt solvi de quibus posset esse dubitatio, alterum est, de organo virtutis locomotivæ. Non loquimur de organo quod movetur, seu quo motus exequitur, quamquam de hoc etiã posset quis dubitare, sed de organo, cui vis illa, quæ est motus principium & causa, affixa est. Hoc inquam ex præmissis potest patere: patuit enim ex Phil. n. 332. quòd vis appetitiva subjecto & organo non differt à sensitiva, quamvis differat ratione & quidditate, quarè erit in eodem organo: si ergo vis locomotiva ipse est appetitus, hic autem in ipso residet organo sentiendi, patet quod vis locomotiva in cerebro est tanquam in proprio organo; quod autem in corde dicitur residere vis appetitiva, eo est, quia cor est 1. organum corporale, seu in quo 1. recipitur imperium appetitus, nempe cor 1. movetur, à corde autem aliæ partes successivè: quia ergo ibi 1. sentitur motus ejus, ibi residere censetur appetitus.

Alterum de quo posset dubitari est, an potentia loco motiva sit purè passiva? Affirmare dicitur Cajet. & alij nonnulli, accipientes pro potentia loco motiva organum ipsum, quo motus exequitur; hoc enim tantum passivè ad motum concurrit, movetur nempè ab appetitu. Ad hoc item ex dictis patet: quantum ad 1. enim potentia locomotiva non ipsum est corporis organum, quo motus exequitur, hoc enim movetur ab aliqua virtute, quæ erit illius motus principium & causa, & proinde potentia locomotiva, hæc autem virtus jam patet quod est appetitus; patet item quod appetitus virtus activa est. Deinde: neque illud organum, quo motus exequitur, potest dici absolutè quod purè passivè se habeat, quamvis enim passivè se habeat ad appetitum, à quo movetur & applicatur, quia tamen partes corporis ita se habent, quòd una movet aliam, illa tantum se habet omninò passivè, quæ ultima est, aliæ autem sic moventur, quod etiã movent alias: dicta ergo sufficiant de potentia loco motiva & de toto 2. lib de Anima.

***
***

DU-

DISPUTATIO TERTIA.

DE ANIMA RATIONALI.

DE materia hujus disp. pauca admodùm habet Phil. quam nempè tribus absolvit cap. ea tamen potior est totius Phil. pars, & de qua latissimè à RR. controvertitur, & ad finem quidem, quem potissimè noster labor intendit, hæc maximè confert, quarè ea latius expendenda erit: ordine ergo in præcedentibus statuto, de substantia agemus rationalis animæ & potentijs ejus.

QUÆSTIO I.
DE SUBSTANTIA
ANIMÆ RATIONALIS.

ARTICULUS UNICUS.

Quid sit, & quomodo producatur rationalis anima?

DE substantia quidem rationalis animæ multa dubitantur, ea tamen dogmata sunt contra Ethnicos & heterodoxos definita; dogmata autem probare non Philosophi, sed Theologi munus, quarè omnia hoc art. cõprehendimus, quamvis à multis latè de singulis agatur. Dub. 1. an ea uniatur corpori ut vera forma, an potius ut motor assistens, sicut intelligentia motrix unitur Cœlo? Ratio dubitandi est: quia forma cum materia facit unam essentiam; at ex anima & corpore nequit una essentia fieri, quippè anima est spiritualis substantia: ergo. Animam esse corporis formam definitum est in Concil. Lateran. sub Leone X. & quidem valdè id est rationi consonum: sic enim unitur corpori, quòd ex tali unione corpus perficitur, & constituitur vivum; motor autem extrinsecè assistens non perficit, sed tantùm movet. Ratio autem dubitandi solvitur de facili: unum enim unitate simplicis essentiæ fieri nequit ex spirituali & materiali substantia; benè autem unitate compositionis, ad hoc enim sufficit, quòd altera perfici, altera perficere possit.

2 Dub. 2. an ea sit immortalis? Ratio dubitandi esse potest: quia si immortalis est, incongruum est corruptibili corpori uniri: ex quo & alijs levibus conjecturis mortalem esse, & cum corpore perire tenuit Epicurus à paucis sequutus etiam ex Gentilibus. Definitum pariter est in eodem Concil. animam nostram esse immortalem,

cujus hæc sunt verba : *Sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes asserentes, animam rationalē mortalem esse: cùm illa non solùm verè per se & essentialiter humani corporis forma existat, verum immortalis sit.* An hæc veritas possit naturali ratione demōstrari, negat Scot. in 4. dist. 43. q. 2. Affirmant cæteri. Ego quidem distinguendum puto : nempè demonstratione *propter quid* & potissima demonstrari non potest, & hoc fortè intendit Scotus : siquidem ejus quiddi tas, utpotè spiritualis non nisi à posteriori, & ex effectibus innotescit nobis, quarè nulla potest ratio desumi ex proprijs & immediatis, ut requiritur ad demonstrationem *propter quid* : demonstratione verò *quia* poterit demonstrari, & hoc intendit communis sent. quælibet enim demonstratio aut ex principijs sumitur fide certis, aut ex valdè communibus, aut ex effectibus, ut poterit patere expendendo singulas.

Valdè est efficax, quam habet D Chrisost. hom 4. de Prov. quæ talis est : Deum esse, atque summe esse justum, notum est naturali ratione ; alterum nempè in 8. Phis. demonstratur, alterum verò eo patet, quia 1. rerum omnium principio summa competit perfectio, cum qua non stat injustitia ; atverò si anima nostra mortalis est, & cum corpore perit, alterum horum deficiat necesse est : videmus enim in hac vita, iniquos exaltari, & bonis perfrui, è contra autem justos opprimi & mala pati : aut ergo Deus non est, aut justitiam non habet, qui innocentiam sine præmio, iniquitatem sine supplicio finit abire, aut tandem pereunte corpore anima non perit, sed alia sibi manet vita, in qua pro meritis aut præmia habeat aut supplicia. Hæc ut vides ex cōmunibus desumitur, nempè ex propria ratione 1. principij ; tales autem sunt omnes, quæ à priori formantur; quarè tantùm a posteriori, aut ex communibus principijs probari potest animæ immortalitas, & sic tantùm demonstratione *quia*.

Motiva autem in contrariū facilè solvuntur, ut cuique patet consideranti singula. Ad id, quod adducitur, resp. quòd congruentissimum fuit, animām immortalem corruptibili corpori conjungi ad finem, ad quem à Deo creata est, nempè vitam æternam proprijs meritis consequendam Dei adjutorio : scilicèt ex illa conjunctione habet utriusque appetitus pugnam, quo victoriæ meritum augescit; fragili inducta vasculo magis indiget conditoris auxilio ; magis in eius victoria eluceścit gratiæ Divinæ potentia, & alia multa, quæ habent SS. & DD.

Dubi-

3 Dub. 3. An sit spiritualis? Negasse fertur Tertul. & alij ex antiquis. Sed animæ spiritualitas ex ejus immortalitate sufficienter deducitur; si enim corporea esset, cum corpore periret. Definitum id etiã est in Concil. Lateran. sub Innocentio III. & ex multis Scrip. locis colligitur apertè, imò ex operationibus ejus id satis clarè deducit S. P. lib. 4. de An. & ejus orig. experimur enim, quòd ad spiritualia objecta, & ad Deum ipsum attingendum se extendit ejus capacitas, quòd nulli competit corporeæ potentiæ, quarè potentias habeat spirituales necesse est, & corpori quodammodo non communicantes in operatione sua, & consequenter, quòd ipsa sit spiritualis, corporea enim substantia spirituales passiones habere non potest

4 Dub. 4. Unde ea sit, aut quomodo fiat? Apud antiquos multum de origine animæ dubitatum fuit, ut apud P. Aug. habetur, an nempè esset ex traduce, & ab anima Patris derivaretur? Motivum dubitandi potissimè faciebat transfusio peccati originalis, cujus subjectum non caro, sed anima est. Definitum pariter est, animam a Deo creari & corpori infundi, atque in ipsa infusione peccatũ originale contrahere, quatenus nempè ex præcepto Dei Adæ nipe sito conservandi justitiam pro se & posteris suis illo instanti, quo incipit homo esse Adæ filius incipit in eo debitum habendi illam justitiam, quam quia non habet incipit reus esse illius culpæ, quæ amissa est, de quo Theologi. Quod autem anima nostra ex materia non educatur actione naturalis agentis sicut aliæ formæ, ex eo constat, quia cùm spiritualis sit, in potentia materiæ non continetur.

5 Dub. 5. Quando creetur, & corpori infundatur? Tenuisse fertur Origenes, quòd animę omnes à Deo simul creatæ sunt ante corpora, & propter peccata in statu illo commissa in corpora detruduntur veluti in carcerem. Non multum distat error Pithagoræ, qui posuit animas omnes à principio creatas pro numero viventium de uno in aliud corpus migrare sive hominis, sive belluæ prout operibus congruit, quæ in priori vita gessit. Deinde, posito, animas de novo creari dum corpori infunduntur in uniuscujusque generatione, Thomas Fienus Medicus Lovaniensis, Pemplius, N. Lupus, & alij apud N. Reylof. docent, animam creari & corpori infundi ante omnem ejus organizationem 3. die a congressu generantium. Motivum est: quia nulla appareat causa à qua illa fiat organizatio, quarè debet anima poni,

à qua illa operatio dirigatur: semen enim inanime quid est, atque iners omninò pro vitali functione peragenda, adeo elevata qualis est materiæ in tot instrumenta artificiosa delineatio; cùm autem semen à generante decidatur, non potest ipsius anima ad hoc dirigere.

6 Hæc positio à cæteris meritò rejicitur: verè enim homo hominem generat, quarè, influentiam habet & causalitatem in ipsum hominem genitum; non autem potest ejus causalitas ad partes terminari, quia utraque est per creationem: solùm ergo ad illud totum terminatur quatenus materiam disponit, & ad receptionem hujus talis formæ præparat atque determinat; hæc autem dispositio & determinatio est organizatio materiæ: ergo ea est ab actione Patris medio semine, sive per virtutem ejus in semine relictam, & consequenter non ab ipsa anima geniti- Præterea: anima est forma & actus hujus determinatè subjecti, nempè corporis organici, ut disp. 1. ostendimus: ergo organizationem præsupponit, qua materia determinatur ut sit subjectum ejus.

Deinde ex sac. tex. multis in locis colligitur, quòd anima organizato corpori infunditur: in primis enim Gen. cap. 2. in formatione 1. hominis anima dicitur à Deo infussa postquam corpus de limo terræ formavit. Deinde: Ezeq. cap. 30. non aliter dicitur fienda ossium vivificatio, nisi quatenus prius accedunt ossa ad ossa, unumquodque ad juncturam suam, & nervi & carnes ascenderunt, & extenta est cutis desuper, tunc adducitur spiritus ut reviviscât. Præterea: Job. cap. 10. eodem modo inducitur hominis formatio in utero per hæc verba: *Nonnè sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti, pelle & carnibus vestisti me, ossibus & nervis compegisti me.* Tunc sequitur animæ infusio: *Vitam & misericordiam tribuisti mihi.* Tandem: sacri Canones aliam statuunt pœnam intendentis abortum ante & post animationem fœtus, quarè supponunt non statim ab ipso cõgressu animam infundi. Motivum autem in contrarium de facili solvitur per ea, quæ dicta sunt disp. 1. Phis. de rationibus seminalibus, quibus virtutes activæ & passivæ ad finem ab authore intentum diriguntur.

7 Hinc communis sent. docet, nonnisi post materiæ organizationem animam infundi; quoto autem die varié à ferè singulis determinatur: libet verba subjicere P. Aug. in Enchir. cap. 86. Ubi ita habet: *Scrupulosissimè inter doctissimos quæri ac disputari solet, quod utrum ab homine inveniri possit*

ignoro; *quando incipiat homo in utero vivere*. En S. P. multum dubitat, quin hoc posit aliqua ratione stabiliri; nihilominus lib. 83. quæst. q. 56. conjecturam adducit Medicorum sui temporis per hæc verba: *Dicitur autem conceptio humana sic procedere & perfici, ut primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem; sequentibus novem diebus cõvertatur in sanguinem, deinde duodecim diebus solidetur: reliquis decem & octo diebus formetur usque ad perfecta lineamenta omnium membrorum, & binc jam reliquo tempore usque ad tempus partùs magnitudine augeatur.* Quibus perfectam organizationem diebus perfici 45. dicitur, qua perfecta animam infundi omnes supponunt.

Hanc tamen dierum summam spiritualiter ibi accipit, ut deducat numerum dierum, quibus corpus Christi D. formatum est, numero annorum respondere, quibus in sac. tex. Templi fabrica perfecta esse dicitur. Conjecturà itaque à Medicis assignantur dies, variè tamen, neque enim aliquis potest certus numerus definiri; siquidem magis vel minus duret necesse est illa dispositio prout major vel minor fuerit feminis activitas, & fortè etiam materiæ resistentia, & ideo fœminarum corpus tardius dicitur organizari, quod enim fœtus oriatur in sexu fœmineo ex minori dicitur contingere feminis activitate, quarè quia minus est activum, magis de tempore insumit. Sed hæc Medicis relinquamus.

8 Dub. 6. Quomodo infunditur anima? Aliqui apud cit. Reylof. inter quos refert N. Lupum, docent, quòd materia fœtus pro priori ad omnem dispositionem informatur animâ Matris; aliquibus autem dispositionibus inductis, quibus aliquomodo determinatur materia, ipsa infunditur anima rationalis, quæ. 1. tantúm perficit secundum gradum vegetãdi, prout verò successivè ad alios gradus illa materia disponitur, ipsa anima secundum alios gradus perficit. Motiva sunt: 1. quia Phil. ipse ait, quòd embryo priùs vivit vita plantæ, deinde vita animalis, & postea vita hominis: ergo sensim & per gradus ipsa anima perficit. 2. quia dispositiones ad opera vitæ requiruntur: prout ergo successivè disponitur, & organa habet ad vitam cujuslibet gradus requisita, ipso gradu perficitur. 3. Si non ipsa anima rationalis statim infunditur cum 1. animatur fœtus, sed triplex ponitur anima successivè, ut cõmunis ponit sent. multa inconvenientia sequuntur.

Nam 1. sequitur, quòd triplex anima simul maneat; nam forma substantialis non ex-

pel-

pellitur nisi quatenus dispositiones inducuntur, cum quibus ipsa non potest stare; tunc autem dispositiones ad formam sensitivam non habent incompatibilitatem cum vegetativa precedente, siquidem gradus vegetandi in ipsa continetur anima sensitiva; non ergo forma vegetativa expellitur, & eâdem ratione non expellitur sensitiva adveniente rationali. Sequitur 2. quòd homo non generat hominem: non enim actio ejus ad acquisitionem animæ rationalis immediatè terminatur, sed ad acquisitionem animę vegetativæ, quę 1. inducitur. Sequitur 3. quòd ens aliquod erit generis vegetativi, aut sensitivi, non autem alicujus speciei; illa enim forma vegetativa aut sensitiva, quæ rationalem animam præcedit nullius est speciei. 4. generatio hominis non una est generatio, sed triplex, tres enim substantiales formas inducit.

9 In contrarium autem Phil. & N. B. D. in Quodl. 1. q. 14. estque communis Peripateticorum sent. docent, quòd triplex successivè inducitur anima, nempè, quia ad animam vegetativam minor organizatio requiritur, quàm ad sensitivam, cum 1. talem habet materia fœtus, quæ vegetativæ animæ sufficiat, talis inducitur, procedit deinde successivè dispositio, & cùm talem habet illa materia, quæ sensitivæ formæ sufficiat, ea inducitur, & cedit vegetativa, atque tandem eodem modo inducitur rationalis anima, cùm plenè organizata est & dispositia illa materia. Prob. quia actus activorum sunt in patiente & disposito, nec potest forma cònaturaliter in subjecto recipi, quod non sit capax & aptum recipere perfectum esse, quod talis forma tribuit; sed anima connaturaliter infunditur: est ergo materia, cui infunditur, ad illam plenè dispositia.

10 Ad motiva in contrarium resp. Ad 1. neg. conseq. habet enim à 1. instanti, quo forma perficitur, perfectum esse, quod talis forma potest tribuere, siquid enim obstat quominus tale perfectum esse habeat, id obstat pariter ne talem formã recipiat; non autem habet operari secundùm talem formã in omni ejus gradu, quia amplius ad operari, quàm ad esse requiritur, & hęc est dispositio quam post animæ infusionem acquirit, quæ nempè requiritur ad operari. Ad 2. neg. ant. determininat enim sibi anima speciale subjectum, nempè corpus organicum, quarè per organizationem constituitur materia subjectum animæ, neque aliter potest animam recipere, quàm illam organizationem habens, quam

quam ea requirit. Ad 3. neg. assumptum. Ad 1. in conveniès neg. maj. cedit enim forma titulo superfluitatis, quin alia inducatur ipsam continens & aliquid amplius, & ita est in proposito. Ad 2. neg. maj. ipsa enim actio hominis dispositionem materiæ perficit usque ad animæ rationalis inductionem, quarè est hominis generatio. Quo patet ad 4. quia enim ministerialiter se habet forma illa duplex ad intentum generantis, sicut non tollit, quin continuetur sine interruptione influentia ejus, ita neque quòd sit una actio, quamvis formaliter ut est fieri rei posset quodammodo triplex dici. Ad 3. de eo quærit N. B. D. in Quodl. 1. cit. q. 14. an nempè corpus hominis perfectè organizatum ante infusionem animæ rationalis sit in aliqua specie animalis? Resp. autem, quòd non est in aliqua ex his, quæ existunt, est autem in aliqua, quia genus sine specie repugnat in re poni; quia tamen illa forma non permanenter & in facto esse perficit, sed veluti quædam via ad animam rationalem, alterius est quidditatis ab istis, & nobis omninò ignota.

QUÆSTIO II.
DE INTELLECTU AGENTE.

ARTICVLVS I.

An sit, & quid sit intellectus agens?

1 DE intellectu possibili prius determinat Phil. præmittitur tamen communiter determinatio de intellectu agente, quippè natura & officio prior est: de eo quidem multa fuit apud antiquos disceptatio, ad præsens autem licèt de ipsius munere nonnihil controvertatur, de his tamen duobus, quæ præsens quærit art. non multum dubitatur, quarè breviter utrumque expendemus. Quantum ad 1. intellectum agentem ut superfluum rejiciunt Durand. in 1. dist. 3. q. 5. & nonnulli alij. Phil. tamen in hoc 3. de An. à tex. 17. necesse esse ait ponere in nobis intellectum agentem, quem sequuntur communiter Peripatetici: potissimam rationem, qua id probat, communiter prætermittunt, ea nempe ad communia principia, quibus statuitur intellectum possibilem activè producere intellectionem, non benè cohæret.

Ait itaque Phil. tex. 16. *Atque quidam est intellectus talis, ut omnia fiat; quidam talis, ut omnia agat, atque efficiat, qui quidem ut habitus est quidam, & perinde at lumen; nam & lumen colores, qui sunt in potentia, actu colores quodammodo facit.* Quibus verbis rationem habet, qua deducitur, quòd necesse est ponere intellectum agentem, & munus ejus ostendit. Ratio talis est: Vbicumque est aliquid, quod sit omnia fieri, ibi necesse est ponere aliquid, quod sit omnia facere; sed intellectus passibilis est omnia fieri per intellectionem; ergo oportet ponere intel-

tellectum agentem, qui sit omnia facere. Maj. ipse supponit notam. eam autem N. B. D. lec. 5. ostendit, ex eo quod, ut in 5. Met. dicitur, potentia prius dicitur de activa, quam de passiva: si ergo est hoc tale fieri, quod significat potentiam passivam, de necessitate est hoc tale facere, quod significat activam. Min. autem ex dictis in Phis. notam etiam supponit, quod nempè idem respectu ejusdem actus formaliter & directè ne quit esse activum & passivum, quia quod movetur de necessitate ab alio movetur: si ergo intellectus patitur & recipit intellectionem, tantum est fieri & pati, & aliud ab ipso est facere.

13 Ad hanc rationem posset dici, quòd necesse est ponere aliquid quod sit intellectionem facere; hoc autem non est intellectus agens, sed ipsum intelligibile, quod movet intellectum, & causat in eo actum intelligendi. Hanc cavillationem rejicit ostendendo munus intellectus agentis, quòd nempe sicut lumen se habet ad colores, ita intellectus agens ad intelligibilia, nempè sicut colores in tenebris non actu, sed potentia colores sunt & visibiles, fiunt autem in actu per lumen, ita intelligibile pro priori ad irradiationem intellectus agentis non actu sed potentia est intelligibile, quare ipse intellectus agens, à quo fit in actu intelligibile, agens est virtute cujus movet & agit ipsum intelligibile.

Ex quo communis ratio, qua roboratur præcedens, sic formatur: Intellectus non percipit objectum, nisi ab eo moveatur; sed ab eo virtute propria moveri non potest: ergo necesse est ponere intellectum agentem, virtute cujus intelligibile moveat. Maj. nota supponitur, quia intellectus noster pura potentia est in suo genere. Min. ostenditur: quod est tale in potentia non agit nisi virtute alicujus à quo fiat in actu; sed objectum pro priori ad irradiationem intellectus agentis est intelligibile in potentia: ergo. Maj. patet, quia unumquodque agit ut est in actu. Min. item, quia pro priori ad irradiationē intellectus agentis objectum repræsentatur in specie, quæ est in phantasmate; talis autem habet esse in actu sensibile, intelligibile verò tantum in potentia, quatenus in virtute luminis intellectus agentis immutationem causat in intellectu possibili, quæ repræsentet ipsum quid sine conditionibus sensibilibus.

14 Arg. 1. Durand. Quod nullum potest habere exercitium, superfluè ponitur; sed ita est intellectus agens: ergo.

go. Prob. min. Exercitium ejus nequit esse intelligere; sed aliūde neque irradiare super phantasma ut fiat in actu intelligibilis: ergo. Patet maj. quia tunc superflueret intellectus posibilis. Prob. min. Aut illa irradiatio aliquid imprimit in phantasmate, quo fiat in actu; aut nihil omnino: si hoc 2. dicitur; apertè patet, quòd phantasma non fiat in actu, nullo enim addito manet ut prius: si autem dicatur 1. aut illud additum materiale est & de linea sensibili; aut spirituale: hoc 2. recipere non potest phātasma, quòd de se quid sensibile est & matetiale; illud autem 1. non poterit reddere in actu intelligibile: ergo.

15 Hoc argumentum variè solvitur, ægrè nempè influētia phantasmatis ut vera causa in actum intelligendi salvari potest, de quo infra, interim. Resp. neg. min. Ad prob. ejus dicitur, quòd intellectus agens nihil imprimit phantasmati, nec tamen proinde relinquitur ut prius, quia ex superveniente irradiatione intellectus agentis nulla forma sibi imprimitur, quia autem lumen illud sibi conjungitur, immutationem causat in intellectu posibili altiorem, & quæ alitet repræsentet ac ipsum, nempe quid sine conditionibus materiæ, quia virtute luminis irradiantis illa immutatio causatur; non autem ea vera influentia aut aliqua actione causatur, sed ex presentia & in genere causæ *ad quam*, de quo late inferius agemus.

16 Arg. 2. Si necesse est ponere in nobis intellectum agentem, eadem ratione debet poni sensus agens, & voluntas, deinde deberet poni tam in Angelo, quàm in anima separata; sed hæc omnia reputantur absurda: ergo. Prob. sequela maj. Quia in omnibus illis reperitur hoc tale fieri: ergo debet poni aliquid, quod sit hoc tale agere, & hoc erit sensus, aut voluntas agens.

17 Resp. neg. maj. Ad prob. ejus dicitur, quòd de sensu jam patuit supra, quod quāvis necesse sit ponere aliquid quod sit sensationem facere, tale non oportet esse sensum agēte, quia id, á quo immutatur sensus, habet esse in actu sensibile, quare non oportet ponere aliquid virtute cujus agat in sensum. Quo patet de appetitu, appetibile enim non requirit aliquid virtute cujus moveat. Quantum ad ultimum de anima separata, de eo quærit B. D. in Quodl. 2. q. 22. an nempè in anima separata maneat intellectus agens? Resp. affirmativè, quia intellectus agens duplex habet munus, ut art. 3. dicemus, nempè irradiare super phantasmata, & super ipsum

in

intellectum posſibilem. 1. quidem munus habere non poterit in anima ſeparata, quia ea non accipit ſpecies à ſenſibus, poterit tamen habere 2. quarè quantum ad hoc neg. min.

Quantum ad 3. de Angelo, poſſet utroque modo dici: patet quidem, quòd in eo non poteſt poni intellectus agens quantùm ad 1. munus irradiandi ſuper ſpecies intelligibiles, quia ipſe eſt intellectus in actu, & ſpecies habet congenitas à quibus ejus intellectus movetur, poſſet autem dici, quòd quantùm ad aliud munus æquiparatur Angelus animæ noſtræ in ſtatu ſeparationis, quarè eàdem via poſſet in eo ſalvari intellectus agens; poſſet item aliter dici, quòd intellectus noſter ex quidditate ſua eſt pura potentia, quarè ſicut ſpecies non habet congenitas, ita neque lumen, in quo ſibi manifeſtentur, quarè etiam in ſtatu ſeparationis animæ à corpore lumine indiget intellectus agentis; atverò Angelus eſt intellectus in actu, quarè ſicut ſpecies habet congenitas, ita lumine non indiget, in quo ſibi ſint manifeſtæ.

18 Arg. 3. Aut intellectus agens cognoſcit; aut non? Si 1. ſuperfluit intellectus poſſibilis: ſi autem 2. dicatur, non poteſt ſalvari quod ipſe ait Phil. nempè, quòd intellectus agens præſtantior eſt patiente, quatenus agens præſtantius eſt patiẽte; patet enim, quòd intellectus non cognoſcens non poteſt præſtare cognoſcenti. Reſp. quòd intellectus agens non cognoſcit. Ad rationem in contrarium dicitur, quòd Phil. tex. 19. aſſerit, quatuor convenire intellectui agenti, nempè, quòd eſt ſeparatus à materia, non immixtus, non paſsibilis paſsione alterativa, & actu ens; probat autem hæc illi convenire, quia conveniunt intellectui paſsibili; at potior eſt intellectus agens: ergo magis huic cõveniunt. Hinc B. D. dub. 1. ſuper illum tex. deducit, quòd non eſt intentio Phil. intellectum agentem paſsibili præſtare ſimpliciter, ſed tantùm quantùm ad habere illa quatuor; ſimpliciter autem inferior eſſe debet, tum quia miniſterialiter ſe habet ad intellectum paſsibilẽ, tum quia actus ejus non eſt vita, ſed vitali actui deſerviens, neque cum eo quod eſt agens cohæret percipere, quod pati eſt, quaré patet ad formam.

19 Quantum ad 2. quid ſit intellectus agens variè ab antiquis explicatum eſt: aliqui ponebant eſſe Deum ipſum, cujus eſt animam ad intellectionẽ movere. Ita poſuiſſe fertur Plat. lib. 6. de Repub. Alexand. in 2. de An. cap. 20. & hi unum tãtum ponebant intellectum agẽtem: alij ponebant intellectum

agentem esse ideas, à quibus derivarentur in animam nostrã species intelligibiles, & isti intellectum agentem multiplicabant secundùm numerum intelligibilium. Hæc etiam positio Platoni tribuitur, & Platonicis: alij intelligentiam dicebant, quæ præsidet sphæræ activorum & passivorum, à qua moveri dicebant intellectum passibilẽ, & isti etiam unum ponebant intellectum agentem. Pro hac sent. cit. Avicen. in 9. Met. Avemp. Simplic. Platin. & alij.

20 Phil. ut patuit in verbis adductis sup. ex tex. 19. docet, intellectum agentem virtutem esse animæ per modum habitus, sive permanenter illi cõmunicatã, esseque lumen quoddam, quo tum super intelligibile, tum super ipsum possibilem intellectum irradiatur ut fiat manifestum & in actu intelligibile. Hæc est communis inter Peripateticos, eam duplici via probat B. D. altera, quam dicit esse Themistij, lec. 5. dub. 2. Quia si intellectus agens esset virtus separata, etiam præsente intelligibili non esset in potestate nostra intelligere, cùm volumus; at experimur oppositum: ergo. Patet maj. tum quia, eo quod lux, in cujus virtute color videtur, est virtus separata, etiam præsente colore contingit non videre ipsum, ut in tenebris; tum deinde quia illa virtus separata non esset in potestate nostra. 2. via, quam habet B. D. lec. 9. dub. 2. Quia ex perfectione mobilis est, quòd virtus movens sit subjecto conjuncta ipsi mobili; tum quia motus gravium, eo quod imperfectus est, non in ipso gravi habet virtutem motivam, sed à generante movetur grave; tum quia motus vitalis, eo quod perfectus est, in ipso, quod movetur, supponit activam virtutem; at motus intelligendi perfectissimus est: ergo virtus activa, virtute cujus fit, quæ est intellectus agens, est virtus subjecto conjuncta ipsi intellectui possibili, & sic virtus ipsius animæ. Quæ in contrarium adducuntur nullius sunt ponderis, quarè non est cur in hoc immoremur amplius.

ARTICULUS II.

An intellectus agens sit potentia alia ab intellectu possibili?

21 NOn quæritur de distinctione reali, cùm enim eodem modo distinguantur potentiæ inter se & ab anima, qui tenent potentias ab anima distingui realiter, dicent consequenter, distingui realiter ab intellectu possibili intellectum agentem, si sit potentia alia; formaliter verò rã-

tum

tum qui ibi negant realem distinctionem : quæritur ergo an intellectus agens & possibilis sit duplex potentia, an tantum ejusdem potentiæ duplex munus ? Hoc 2. docet N. Jacob. de Viterb. Quodl. 1. q. 12. pro eadem sent. cit. Suar. & communiter RR. Societ. ex antiquis Maj. in 2. dist. 16. Abul. ad cap. 23. Exod. q. 70. & multi alij. 2. sent. docet esse duas potentias. Hanc tenent communiter Peripatetici, eandem tenet N. B. D. in 2. dist. 24. p. 1. q. 2. art. 4. quo de hoc ipso quærit, N. Arg. in eadem dist. q. 1. art. 1.

22 Dicendum ergo, quòd intellectus agens est potentia realiter distincta à possibili. Hęc quantũ ad distinctionem realem probata est supra, eodem enim modo distinguuntur potentię inter se ac ab anima ; quod autem sit potentia alia, sufficienter probatur ratione Phil. qua probat necesse esse ponere intellectum agentem ; agere enim & pati respectu ejusdem actus nequeunt esse munera ejusdem potentiæ, ea utuntur N. B. D. & Arg. loc. cit. & communiter alij. Prob. nihilominus alia ratione ad hominem non minus efficaci. Potentię ab actibus pecificantur & distinguuntur, nempe ab objecto medio actu; sed intellectus agens & possibilis actus habent omnino diversos : ergo. Ostenditur min. quia actus intellectus agentis est illustrare phantasmata & ipsum intellectum possibilem, qui actus non est vitalis, tali enim non vivit anima, seu aliquid vitaliter percipit ; actus verò intellectus possibilis est cognoscere, qui actus vitalis est ; at isti diversi sunt actus, neque aliqua communi ratione conveniunt : ergo. Conf. Quia virtus ministerialis diversa est ab ea, cui ministrat ; sed intellectus agens ministerialiter deservit possibili : ergo.

23 In contrarium objicit Arg. ex N. Viterb. Sicut voluntas est movens & mota, ita intellectus : ergo agens & passibilis non sunt duplex potentia, sed eadem, quæ secundum quod nata est moveri & percipere dicitur possibilis, prout verò nata est movere & irradiare, dicitur intellectus agens. Conf. Licèt non possit idem directè & per se agere in se ipsum, potest tamen indirectè & movendo aliud ; sed intellectus agens non directè agit in ipsum passibilem, sed irradiando super phantasmata : ergo poterit esse idem intellectus passibilis.

24 Resp. neg. sup. voluntas enim non movet se ipsam, sed movetur ab appetibili, & ab intellectu ipsum proponente, ut suo loco dicetur inferius. Illæ aptitudines sunt in-

incompatibiles in eadem potentia, sunt enim ad actus diversæ quidditatis, quia irradiare super phantasmata actus est transiens & non vitalis, quarè misso supposito non tenet conseq. Ad Conf. dicitur 1. quod non tantum super phantasmata habet irradiare intellectus agēs, sed super ipsum etiam intellectum possibilem, quarè ageret in se ipsum directè, si non esset potentia alia. Dicitur 2. quòd non solum ex illo capite probatur diversitas, sed etiam quia actus utriusque diversus est.

25 Arg. 2. idem: Propter unum simplicem actum non oportet potentias multiplicare; sed actus intelligendi est unus & simplex actus: ergo. Resp. neg. maj. quia propter actum vegetandi multiplicantur potētiæ, quia alia præparat alimentum, alia convertit in substantiam aliti; & ita suo modo est in proposito, quia intellectus agēs quodammodo disponit ipsum intelligibile. Præterea: ad quemlibet vitalem actum oportet duas potentias concurrere, quia includit movere & moveri, quod nequit eidem respectu ejusdem actus convenire. Insuper neg. sup. maj. non enim eundem actum habet uterque intellectus, siquidem actus intellectus agentis non intelligere est, sed irradiare super phantasmata.

26 Arg. 3. Si intellectus agens est alia potentia à passibili, tunc non est supra se conversivus; sed hoc est inconveniens: ergo. Patet maj. quia tunc actus ejus est irradiare super phantasmata & intellectum possibilem, non autem ad se ipsum. Prob. min. quia eo differt potentia spiritualis à corporali & organica, quia hęc, eo quod alligata organo corporis, non est supra se reflexiva; at intellectus agens est potentia spiritualis: ergo. Resp. neg. min. Ad prob. ejus dicitur, quòd esse supra se reflexivam convenit potentiæ cujus actus est vivere & percipere; at verò actus intellectus ægentis non est vitalis, sed transiens, & in aliud.

27 Arg. 4. Intellectus agens debet esse potentia vitalis; sed si differt à passibili non est vitalis: ergo. Patet min. quia tunc actus ejus non erit vita, sed actio transiens & in aliud. Ostenditur maj. Potentia, quæ ex natura rei sequitur ad principium radicale vivendi, debet esse vitalis; sed ita est intellectus agens: ergo. Patet maj. quia quod ex natura rei sequitur ad alterum, passio ejus est ipsi deserviens secundum naturam suam. Patet item min. quia intellectus agens est virtus animæ. Resp. neg. maj. Ad prob. ejus dicitur, quòd intellectus agens non

non fundatur in essentia animæ tanquam potentia ejus, sed in ipso intellectu passibili tanquam virtus ministerialis ipsi deserviens ad actum vitalem intelligendi, & idem dicitur de calore naturali deserviente virtuti nutritivæ, cujus actus non est vitalis, sed actio transiens.

28 Arg. 5. Intellectus passibilis habet agere & pati: ergo superfluit intellectus agens ab eo distinctus. Pat. ant. tum quia vita est motus à se, & actio immanens procedit ab eodem principio, in quo recipitur, tum quia intellectus producit verbum. Patet item conseq. quia si potest ipse agere, poterit irradiare super phantasma. Ad hoc resp. N. Manso, & est communis Thomistarum solutio, quòd intellectus possibilis non est productivus intellectionis secundum se, sed ut factus in actu per speciem intelligibilem, quarè non secundum idem est agens & patiens. Palanco aliter resp. quòd est receptivus intellectionis, ut ea est accidēs, productivus vero ut est tale accidens, nempe imago objecti. Sed pariter posset dici, quòd sub alia & alia ratione est agens, & passibilis, quarè non oportet quod intellectus agens sit potentia alia. Nobis itaque utraque solutio q. sequenti rejicitur, ubi ostendemus, quod intellectus passibilis nihil omnino producit, quare ad præsens neg. ant. quomodo autem ejus actus sit vitalis & immanens dictum est in præcedentibus.

ARTICULUS III.

Quæ sint munera intellectus agentis?

§. I.

Referuntur sententiæ.

29 PRima sent. quod munus intellectus agentis est esse totalem causam activè productivam intellectionis. Ita N. Tolet. tum hic q. 2. art. 3. tum in 1. dist. 3. q. 2. art. 2. Sed meritò hæc sent. à reliquis rejicitur: tum quia Phil. tex. 18. ait, quòd intellectus agens se habet *perinde ac lumen, quia lumen colores, qui sunt potentia, actu colores quodammodo facit*, quo satis indicat, quòd sicut lumen in visione corporali non ipsum causat actum videndi, sed visibile illustrat, ita intellectus agens ad irradiandum super phantasma ponitur lumen intellectuale: tum deinde, quia ut ipse supponit in 2. ratione sua, de qua infra, Intellectus agens in ipso fundatur intellectu possibili tanquam forma ipsum perficiens; at nulla forma ad subjectum suum habere potest causalitatem effectivam: non

ergo intellectus agens poterit in ipso passibili causare actum intelligendi, hic enim non est effectus formalis, sed effectivè deberet causari. Adde quod, si tota causa activè productiva actus intelligendi esset intellectus agens, non est cur intellectus noster in intelligendo dependeret à phantasmatibus.

30 Itaque cæteri omnes ponunt munus intellectus agentis esse irradiare super phantasma, ut satis apertè indicat Phil. est autem nihilominus multiplex dicendi modus. 2. ergo sent. docet, quod munus intellectus agentis est irradiare super phantasma, non actione positiva aliquid in eo causando, sed remotiva, nempè separando conditiones individuantes, & alia quæ ad esse sensibile pertinent, quo relinquitur ipsum quid intelligibile in actu. Hæc tribuitur Aureolo. Sed rejicitur etiam: non enim potest intelligi actio remotiva sine positiva, nec potest intelligi aliquid agere indirectè & removendo prohibens, quin intelligatur agere directè & per se aliquid, ut grave non intelligitur indirectè se movere removendo prohibens, nisi quatenus intelligitur directè agere, & pulsione movere ipsum prohibens: non ergo potest intelligi quod intellectus agens agat actione remotiva in phantasma, quin intelligatur aliquid positivè agere.

31 Tertia sent. docet, munus intellectus agentis esse illustrare ipsum phantasma, ita quod virtute hujus illustrationis manifestetur quidditas in eo latens, quia enim lumen intellectus agentis spirituale est & intellectuale, virtute ejus patet intellectui ipsa quidditas intelligibilis, quarè non aliam admittit hæc sent. speciem intelligibilem, quam ipsum phantasma sic illustratum. Hæc est sent. D. Resol. quem sequuntur discipuli apud Blasco, & Elis. Sed quâquam valdè videatur apparens hæc sent. non tamen ea sufficiètèr explicat mentem Phil. ait enim ipse, quòd ex irradiatione intellectus agentis, quod erat potentia intelligibile, fit in actu tale; non autem ex sola manifestatione potest dici fieri in actu tale; manifestatur enim id quod erat, illo eodem modo, quo prius erat. Præterea: intellectus passibilis, si nihil in ipso recipitur, relinquitur in potentia; ex hoc autem præcise, quòd pateat & illustretur phantasma, nihil in ipso recipitur: amplius ergo oportet ex illustratione intellectus agentis aliquam immutationem in eo causari, qua fiat in actu.

Resp. Eliseus, excitationem quandam virtute illius illustrationis causari à phantasmate in intellectu possibili, qua movetur, & veluti determinatur

tur ad actum intelligendi. Sed in primis, hæc excitatio non benè percipitur: dicit enim ipse, passionem esse fluidam; passio autem non recipitur, sed est ipsa receptio, quarè aliquid patitur & recipit intellectus à phantasmate causatum. Deinde: hęc excitatio movet & determinat intellectum ad actum intelligendi: ipsa ergo est determinata repræsentatio hujus aut illius objecti, ut ea possit intellectus ad hoc aut illud determinari; non enim eo formaliter, quòd est in alia potentia, nempè in phantasia, poterit intellectus in se ipso determinari, quarè solo nomine differt illa excitatio à specie intelligibili, & in re significata idem docet hæc sent. quod nos infra explicabimus, quamvis alijs terminis explicat.

32 Quarta sent. docet, munus intellectus agentis esse irradiare super phantasma, ut hac irradiatione mediante causetur species intelligibilis in intellectu, ita tamen, quòd causa totalis speciei sit ipsum lumen intellectus agentis, quod tamen requirit irradiationem super phantasma veluti conditionem à qua determinatur. Pro hac cit. P. Suar. & alij ex DD. Societ. Sed præterquamquod recurrit, quod dictum est in 1. sent. quod nempè forma in subjectum suum non habet aliam causalitatem, quam informare; est autem intellectus agens forma quædam perficiens intellectum possibilem, quarè non poterit in eo causare speciem ut propria & principalis causa, præter hoc, inquam, intellectus agens lumen quoddam est intelligibile, ut ipsa explicatio hujus sent. supponit; lumen autem non habet causare similitudinem objecti, sed ipsum objectum illustrare, ut causet, sicut patet in lumine corporali, cui Phil. æquiparat intellectum agentem.

33 Quinta demum sent. eaque communior inter RR. docet, munus intellectus agentis esse illustrare phantasma & cum eo concurrere ad causandam speciem intelligibilem in intellectu; & aliqui quidem docent concurrere ut partialem causam, aliqui verò ut causam principalem, cujus instrumentum est phantasma, & hoc 2. docent frequentius Thomistæ, & nostri; differt autem hæc sent. à præcedente, quia phantasma ponit non meram conditionem, sed virtutem instrumentariam. Sed in primis vera causalitas, quam hæc sent. ponit, non intelligitur sine influentia; influętiam autem neque habere potest intellectus agens in propriū subjectum suum, neque ea intervenit in productione speciei, videmus enim, quòd ex sola præ-

sentiæ corporis causatur per quandam resultantiam & in genere causæ *ad quam* similitudo in speculo ; & hoc modo causatur species intelligibilis in intellectu. Deinde : prior modus propriam virtutem, licèt partialem immutandi intellectum concedit phantasmati ; quam autem de se non potest habere, cùm sit intelligibile in potentia; in alio autem modo neque benè potest salvari, quòd phantasma sit instrumentum ; hoc enim de se iners est ad effectum principalis agentis, cum tamen phantasma sit imago objecti & intelligibile in potentia ; neque intellectus agens dici potest principalis causa ipso utens phantasmate tanquam instrumento, debet enim principalis causa propria virtute continere effectum; non autem dici potest intellectus agens speciem intelligibilem continere.

§. II.

Proponitur & probatur nostra sententia.

34 SEnt. B. D. est, quòd intellectus agens, aut consideratur ut forma perficiens subjectum suum, aut ut virtus, qua subjectum sic perfectum agit in aliud, quare duplex est munus ejus ; alterum, quo ut forma perficit intellectum possibilem, & hoc cõstituit ipsum illuminatum, quo sibi possit patere species intelligibilis ; altero agit in phantasma illustrando ipsum, quo fiat intelligibile in actu, & virtute hujus ipsum phantasma causat in intellectu actum 1. intelligẽdi, seu speciem intelligibilem, & hoc est fieri intelligibile in actu. 2. munus probat B. D. in Quodl. 2. q. 12. & magis ex instituto in Quodl. 6. q. 23.

35 Probatio ejus hæc est: Intellectus agens non est virtus organica, quare non in organo, corporis, sed in ipsa anima fundatur aut in aliqua potentia ejus ; at forma quælibet subjectum suum perficit : cùm ergo non ipsi animę immediatè, sed intellectui deserviat intellectus agens, ipsum respicit ut subjectum, cui perfectum esse tribuit, neque aliud habet quàm illuminare, cùm ipse intellectus agens lumen sit quoddam, ut ait Phil. Conf. Quia in anima separata ex solum virtutes deficiunt, quæ in organo corporis fundantur, aut illi affixæ sunt, quare manet intellectus agens ; at natura nihil facit frustra: aliquod ergo munus tunc habet intellectus agens ; tale autem esse non potest irradiare super phantasmata, cùm in statu separationis non intelligat anima per species à sensibus acceptas, & dependenter à phantas-

tasmate: erit ergo irradiare, & constituere illuminatum ipsum intellectum passibilem.

Præterea: actus videndi lumine indiget non solùm, quo objectum manifestetur, sed etiã, quo ipsa illustretur potentia, ut sibi pateat; nihil enim refert quod objectum sit patens & manifestum, si ipsi non patet potentiæ, & ideo visus corporalis quoddam habet lumen congeni tum, quod colligi ait B. D. quia videmus ex confricatione oculi quasdam fieri scintillas, quas facit lumen interius; jam autem intelligere videre est, & ipse intellectus dicitur oculus animæ: lumen ergo intellectuale oportet ponere, non solùm, quo objectum illustretur, sed etiam, quo illuminetur ipse intellectus, & ideo ait S. P. quem adducit B.D. quòd anima cuncta intuetur in quadam luce sui generis: quod ergo aliqui dicunt quod ipse intellectus lux est quædam, si loquantur in sensu reali verum est, non autem formaliter de ipsa vi perceptiva, sive intellectu passibili, hic enim non lux est, sed luce informatur & perficitur.

36 Quantum ad alterum munus sufficienter probatur ex ipso tex. Phil. supra adducto, nempe in hoc 3. lib. tex. 18. quo de ipso agit intellectu agente & munere ejus, ita habet: *Qui quidem ut habitus est quidam, & perinde ac lumen: nam & lumen colores, qui sunt potentia, actu colores quodam modo facit.* Ex quo sic munus intellectus agentis in ordine ad intelligibile idem est ac munus externi luminis in ordine ad colores: sed lumen colores illustrat, quo fiant in actu visibiles, & possint speciem causare in oculo: ergo. Maj. habetur in tex. Phil. & ratione patet: est enim intellectus agens lumen intellectuale; sicut autem se habet lumen sensibile ad visibilia, ita lumen intelligibile ad intelligibilia. Min. ad sensum patet, non enim lumen causat speciem, cùm ipsum unum sit, & uno modo omnia illustret visibilia; requiritur autem de necessitate ut visibilia possint immutare potentiam & speciem in ea causare. Deinde: non aliqua influentia & vera causalitate species illa causatur ex illustratione visibilis, sed quadam emanatione ad præsentiam ipsius visibilis mediante lumine consequitur tum in medio, tum in ipsa potentia in genere causæ *ad quam*.

Pariter ergo irradiatio intellectus agentis super phantasma hoc facit ut similitudo, quã ipsum continet phantasma, causetur in intellectu possibili illo eodem modo; quia tamen illa similitudo objecti in phantasmate est singularis, & identificata cum conditionibus in-

dividuantibus, & alijs quæ in actu sensibile constituunt, magnitudine, figura, colore, non potest phantasma de se & propria virtute altiorem causare imaginem, & quæ ipsum quid tantum repræsentet, qualem requirit ipse intellectus, est enim in actu intelligibile actu directo ipsum quid, quarè illam causat in virtute luminis intellectus agẽtis irradiantis, & hoc sensu dicitur fieri intelligibile in actu, quatenus nempè illud lumen intellectuale est, & in virtute ejus similitudo fit directè & per se intelligibilis. Quod si quis dicat: quidquid recipitur ad modum sui recipientis recipitur, quaré ut similitudo illa causata in intellectu possibili sit in actu intelligibilis non oportet ponere lumen á quo illustretur phantasma, & quo fiat in actu, sed ex hoc solúm quod in intellectu recipitur, ea erit intelligibilis. Ad hoc resp. Com. in 2. de An. tex. 60. & ex eo B. D. in Quodl. 3. q. 12. quod ex illo principio habetur tantúm, quòd forma non amplius perficit, quã potest subjectũ perfici, non autem quòd ea possit ex subjecto suo præcisè habere nobilius esse, alioqui non materia perficeretur, sed perficeret; at esse in actu intelligibile est altius & nobilius: non ergo ex subjecto tantum id potest haberi.

37 Ex dictis constat, quòd superfluè ab aliquibus munera multiplicantur intellectus agentis, alij enim quinque, alij tria assignant, superfluè autem: præter hoc enim quòd ut forma perficit subjectum suum, & ut virtus activa ipsum intelligibile disponit illustrando phantasma, non est ad quid aliud deserviat. Constat item, quid est phantasma in lumine intellectus agentis fieri in actu intelligibile; non enim id significat, quòd per se ipsum immediatè immutet intellectum, aut terminet actum ejus, sed quod fit in actu potens causare speciem intelligibilem, sicut colores fieri in actu visibiles non est quod per se ipsos terminent actum videndi, sed quod fiant in actu visibiles, sed quòd fiant in actu potentes causare speciem sivè in medio, sivè in potentia.

Habetur insuper quem habet sensum propositio, quæ ab aliquibus ex Phil. deducitur, quòd nempè oportet intelligentem phantasmata speculari; non enim sensus est quod actus intelligendi terminetur ad phantasma in se ipso, aut ejus sit cõtemplatio, sed quod oportet phantasma irradiari ab intellectu agente, ut causetur actus intelligendi. Tandem habetur quo sensu intellectus noster pro hoc statu intelligit dependenter à phantasmatibus, quòd latè ex-

explicat B. D. hic tex. 39. non est sensus quod nullum habeat actū intellectus noster, nisi depēdenter a phantasmate ; patet enim; quod sæpè de his discurrimus quorum species in memoria habemus, & ad hos actus non requiritur de necessitate phantasma ; item S. P. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 11. & 24. multa adducit de quibus possumus cogitare sine interventu phantasmatis : sensus ergo est, quòd nullam habet intellectus noster speciem, quam non à phantasmate acceperit, quia de se est tanquam tabula rasa; postquam autem speciem accepit, de hac multos potest actus formare componendo, dividendo, & discurrendo, in quibus non intervenit phantasma.

§. III

Solvuntur argumenta.

38 ARg. 1. N. Toletan. Quandocumque activitas activi adæquat passivitatem passivi, ad quodcumque se extendit passivitas passivi, se estendit etiam activitas activi; sed activitas intellectus agentis adæquat naturalem passivitatem intellectus passibilis : ergo sicut intellectus passibilis se habet passivè in recipiendo quamlibet intellectionem, ita quod hoc est totale munus intellectus agentis esse debet activè causare quamlibet. Maj. ex ipsis patet terminis idem enim est adæquare, ac ad idem se extendere. Min. autem est Phil. qui eo probat dari intellectum agentem, quia intellectus passibilis est omnia fieri recipiendo intellectionem, quarè oportet ponere intellectum, qui fit omnia facere.

39 Resp. neg. conseq. solum enim ex illis præmissis, quarum utraque evidens est, aliud sequitur, quàm quod activitas intellectus agentis se extendit ad omnem intellectionē & hoc verum est, non autem ipsam intellectionem immediatè causando, sed disponendo ipsum intelligibile ut causet, & intellectum ut recipiat. Ratio hujus est; quia virtus ministerialis ad illud idem se extendit ac ea, cui ministrat ut si equestris se extendit ad omnes equos freno regendos, frenofactiva ad omnes etiam se extendit, quatenus omnibus frena ministrat; non autem, ex quo ad idem se extendat, oportet quod eundē actum habeat.

40 Arg. 2. idem. Operatio immanens est subjective sui principij activi, ita quod aut ab eo dicitur, in quo est, aut ab aliquo quod fundetur in ipso ; sed intellectio est operatio im-

immanens: ergo activè causatur aut ab ipso passibili intellectu in quo manet, aut ab aliquo, quod in eo fundetur; sed non potest ab ipso intellectu passibili causari: ergo cum nihil sit aliud fundatum in intellectu passibili, nisi intellectus agens, ab isto causatur activè. Maj. est Phil. 9. Met. ubi probat, quòd operatio immanens est perfectio ipsius agentis. Min. item subsumpta patet, quia idē secundum idem non est agens & patiens.

41 Resp. dist. maj. est sui principij proximi, hoc est ipsius potentię, neg. maj. Est ipsius subjecti, conced. maj. & concess. min. neg. conseq. non enim ab ipso intellectu, sed ab anima debet causari, ita quod ab ea sit per unam potentiam, & in ea sit per aliam: locus Phil. latè explicatus est in præcedentibus; intendit, quòd operatio transiens ponit terminum, quarè est perfectio passi, in quo terminus ponitur; immanens verò non ponit terminum, quarè in ipso manet agente, & est perfectio ejus; ad hoc autem non oportet, quod in ipsa maneat potentia à qua activè elicitur, imò implicat: ipse enim fatetur, quod idem secundum idem nequit esse agens & patiēs; at neque etiam potest esse agens secundum aliquid in ipso fundatum, quòd est patiens secundum se: ergo. Hæc min. jam patuit supra, quia forma ad subjectum suum nequit habere causalitatem activè effectivam, sed tantum habet perficere.

42 Arg. 3. Elis. quod phantasma nihil recipit, quo illuminatur & fiat in actu intelligibile: quia lumen, quo illuminatur, ipse est intellectus agens; at intellectus agens non subjectatur in objecto phantasiato: ergo. Conf. Ut objectum illuminetur ab intellectu agente sufficit intellectum agentem copulari phantasmati: ergo non oportet ipsum phantasma aliquid recipere. Prob. ant. 1. quia ut voluntas illuminetur ad amādum sufficit esse conjunctam intellectui, nec oportet, intellectionem, qua illuminatur, in ipsa recipi: ergo pariter. 2. Ut color illuminetur non requiritur, lumen recipi in re colorata, cum enim sit actus diaphani, in ultima terminatur aeris superficie; sicut ergo color illuminatur ex sola conjunctione ad aeris superficiem, in qua est lumen, ita phantasma ex cōjunctione ad intellectum agentem. Adde, quod supra adduximus ex Durand. Aut id, quòd phantasma recipit, est spirituale, & non poterit eo recipi; aut corporale, & non poterit ab intellectu agente causari.

43 Resp. dist. maj. Lumen, quo illuminatur phantas-

ma,

ma, secundum esse reale est intellectus agens, conc. maj. Secundum esse intentionale, neg. maj. phantasma ergo non realem formam recipit, sed intentionem, vi cujus habet illuminatum esse, est enim omnino imperceptibile, quòd immutatum omnino manens aliter se habeat, quo sit intelligibile in actu. Ad Conf. neg. ant. neque enim illa conjunctio intelligi potest situalis positio unius juxta aliud, neque ex hac tantum juxta positione intelligeretur aliter se habere in se ipso. Ad 1. prob. neg. suppositum, quod voluntas illuminetur, illuminari enim est solius visibilis, aut potentiæ videntis. Deinde neg. ant. non enim ex sola conjunctione movetur voluntas, est quippè habitualiter conjuncta, non autem habitualiter & permanenter movetur: movetur ergo quatenus actu intellectus practico & regulante causatur in ea intentio objecti appetibilis. Quo ad 2. neg. item ant. in ipsa enim extremitate perspicua corporis terminati recipitur intentio lucis, imò hac constituitur in actu coloratum, ut supra patuit. Ad rationem Durand. dicitur, quòd neque corporale est neque spirituale; sed intentionale, quod est alterum genus entis.

44 Arg. 4. idem, quòd non per speciem ab eo causatã, sed per se ipsum fit phantasma in actu intelligibile: Sic se habet lumen intellectus agentis respectu objecti phantasiati, sicut lumen externum respectu coloris; at color posito lumine fit in actu visibilis: ergo. Quod si dicas fieri tale per speciem à se causatam, contra reponit: 1. tam visibilitas, quàm intelligibilitas intrinseca & transcendēs est utrique objecto. 2. non aliter causat speciem nisi quatenus est in actu visibile aut intelligibile: ergo esse in actu tale præcedit speciem. 3. licèt cognitio sit in alia potentia à voluntate, potest ipsam movere: ergo eodem modo objectum in phantasmate existens poterit movere intellectum. 4. ut intellectus moveatur ad actum intelligendi non requiritur unio subjectiva ad objectum, sed sufficit objectiva per solam præsentiam seu repræsentationem, ad modum quo artificiatum est in mente artificis non subjectivè sed objectivè; at ita fit præsens objectum in phantasmate existens in lumine intellectus agentis: ergo. Ant. ostendit, quia non aliter intelligit singulare pro hoc statu, non enim ipsa species rei singularis ipsi subjectivè unitur, cum ea sit in actu sensibilis.

45 Resp. neg. min. color enim non nisi media specie visibili videtur, & hoc est fieri in

in actu visibile, fieri in actu potens immutare visum causando in eo speciem, neque ego capio quomodo hoc arg. cum doctrina ejus cohæreat; admittit enim ipse sensibiles species. Ad ea, quæ contra hanc sol. objicit resp. Ad 1. quòd sensibilitas intrinseca est & transcendens, nihilominus admittit ipse species sensibiles. Itaque species non aliud est ab objecto in esse intelligibili, sed ejus intentio & repræsentatio, quarè est ipsum objectum repræsentativè, & sic non per aliud fit intelligibile. Præterea: intelligibile aut dicit natum terminare actum intelligendi, aut natum immutare intellectum; illud 1. solus Deus habet per se ipsum transitivè, quia solus potest menti illabi & intimè præsentari; hoc 2. passio est transcendens objecti intelligibilis, quam tamen habet in phantasmate remotè, & in potentia, quatenus ibi est in actu sensibile, seu identificatum cum conditionibus sensibilibus, quarè fit in actu intelligibile, hoc est, potens immutare intellectum, in virtute luminis intellectus agentis, quatenus ex irradiatione ejus habet causare similitudinem objecti sine conditionibus sensibilibus, sicut color fit in actu visibilis, quatenus fit potens immutare visum.

Ad 2. patet ex jam dictis pro priori ad speciem habet esse sensibile aut intelligibile, hoc est, natum immutare sensum aut intellectum. Ad 3. neg. ant. non enim ipsa cognitio formaliter movet voluntatem, sed causaliter; quatenus in voluntate causatur ex propositione intellectus intentio ipsius appetibilis. Ad 4. ludit ipse terminis; sufficit objectiva expressio, per solam præsentiã, seu repræsentationem, sed hæc ipsa expræsio, præsentia, sive repræsentatio species est illius cujus est repræsentatio: manifesta est implicatio quod objectum uniatur intellectui subjectivè in specie sua; unio enim illa est subjectiva ad speciem pro materiali, ad objectum verò in specie repræsentatum est objectiva, quam ipse requirit, subjectiva esset ad objectum in se ipso; neque aliter artificiatum est in mente Artificis, quàm per speciem suam: non ergo præsentia intentionalis, seu potentiæ cognoscenti pura est relatio simultatis unius ad aliud, ut ipse imaginatur ad modum præsentiæ corporalis, oportet enim potentiam immutari & fieri in actu potens cognoscere, quarè præsentia in hac immutatione consistit, qua sibi unitur objectum per speciem, quæ est imago & repræsentatio ejus: quod autem addit probatio de cognitione singularis pro hoc sta-

statu, infrà in proprio articulo examinatur.

46 Arg. 5. P. Suar. apud N. Manſ. quòd tota cauſa productiva ſpeciei eſt intellectus agens: Corporale in ſpirituale nequit agere; ſed phantaſma eſt quid corporale: ergo ab ipſo non poteſt immutari intellectus paſsibilis, qui ſpiritualis eſt, & conſequenter tantùm ab intellectu agente cauſatur ſpecies, qua immutatur. Maj. patet, tum quia illam habet S. P. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 16. tum ratione, quia agens præſtantius eſſe debet patiente, cùm paſſum agenti ſubjiciatur. Min. item patet, quia eſt in organo corporali.

47 Reſp. 1. quod virtute propria & ut principale agens nequit corporale agere in ſpirituale; poteſt autem virtute alterius, & veluti elevatum: tunc autem, phantaſma non agit virtute propria, ſed in virtute luminis intellectus agentis, à quo quodammodo elevatur, hoc enim eſt fieri in actu intelligibile. Reſp. 2. quod in genere cauſæ à *qua* & per veram influëtiam nequit corporale agere in ſpirituale, in hoc enim paſſum ſubjicitur agenti; in genere autem cauſæ *ad quam* nulla eſt talis ſubjectio, ſed quædam emanatio ad præſentiam alterius, & ſic ab effectu ut tali cauſatur relatio in cauſa, cùm effectus ut talis inferior ſit, quarè in hoc genere poteſt corporale in ſpirituale agere, & ita agit phantaſma. Reſp. 3. neg. min. Phantaſma enim non corporale, ſed intentionale eſt.

48 Arg. 6. idem: Cauſalitas phantaſmatis in producenda ſpecie neque immanens eſt, neque tranſiens: ergo nulla. Prob. ant. quantum ad 1. quia actio immanens non ponit terminum; at illa cauſalitas ponit aliquid in alio nempè ſpeciem in intellectu: ergo. Quantum ad 2. item, quia debet eſſe vitalis motus. Reſp. neg. conſeq. eſt enim illa cauſalitas cauſæ *ad quam*, quæ neque immanens eſt neque tranſiens, ſicut illa, quam habet natura in proprias paſsiones, quia tamen ad tranſeuntem reducitur, neg. aſſumptum prob. non enim vitalis motus eſt illa cauſalitas, ſed quædam diſpoſitio, aut miniſteriale exercitium ad actum vitalem intelligendi. Cætera argumenta ſoluta ſunt in præcedentibus.

***

QUÆSTIO III.
DE INTELLECTU
PASSIBILI.

ARTICULUS I.

An intellectus passibilis sit potentia purè passiva?

§. I.

Referuntur sententiæ.

49 OMnium ferè, quæ in consequentibus disputantur, cardo est præsens difficultas, quæ proinde multum controvertitur, quia tamen eadem in sequentibus recurrit sæpè, nempè q. seq. duobus art. quibus quæritur, quid est, & à quo causatur intellectio; de verbo mentis, an producatur ab intellectu; & de voluntate, quomodo se habet ad actum suum, si quid in præsenti art. non poterit attingi, in sequentibus attingetur. 1. ergo sent. docet intellectum activè se habere ad actum intelligendi, in qua tamen triplex est dicendi modus. Primus ponit ipsum intellectum totam habere activitatem, ita quod neque species, neque aliquid aliud sibi coinfluat. Pro hac sent. cit. Henriq. Quodl. 4. q. 7. Javel. in hoc 3. de An. & alij nonnulli. Sed ille modus à cæteris rejicitur: quod enim idem directè & secundum idem agat in se ipsum, & aliquid in se causet, quod prius non habebat, omnes reputant impossibile; at intellectionem in ipso causari intellectu notum est: non ergo ab ipso potest causari se solo & secundum se.

50 Secundus itaque modus ponit intellectum esse quidem activè productivum intellectionis, non tamen se solo, sed concurrente specie, qualiter tamen species concurrat, non uno modo explicant. Aliqui vo-

volunt, quòd potentia nullam habet activitatem, sed tota agèdi ratio sit species, ad modum quo aqua calefacta calefacit quidem, ita tamen quòd tota activitas caloris est. Pro hoc modo cit. Alb. Mag. Thiens. imò etiam D. Th. in 1. p. q. 56. art. 1. q. 79. art. 3. q. 85. art. 2. Sed cujuscumque sit, valdè est difficilis: 1. quia calor aquæ violenter convenit, quare ejus operatio est contra naturam aquæ; at in proposito & operatio intelligendi propria est intellectus, & species actus ejus & forma connaturalis: non ergo ita concurrit intellectus cum specie, sicut aqua cum calore.

Preterea: quando subjectum connaturaliter recipit formam veluti propriam perfectionem ad actum, qui proprius est illius formæ, concurrit & coinfluit ipsum subjectum; sed ita intellectus recipit speciem intelligibilem: ergo si ea virtus est & ratio causandi intellectionem, non potest non ipsi coinfluere intellectus. De min. nullus ambigit; maj. autem de facili patet: quia forma perficit subjectum suum, illi communicat virtutem & perfectionem quam habet: si ergo subjectum natum est formam recipere, natum pariter est perfectionè ejus participare & ad actum formæ concurrere. Insuper: vix potest sine contradictione percipi, quod intellectus non omnino passivè se habeat, & tamen quòd omnino non coinfluat: si ergo supponunt DD. hujus sent. quòd intellectus non omnino passivè se habet ad actum intelligendi, non possunt salvare, quòd speciei non coinfluit; tunc enim tantùm haberet recipere & substentare speciem.

51 Alij dicunt, quòd intellectus speciei coinfluit ut partialis causa. Ita Scot. in 1. dist. 3. q. 7. quem sequuntur communiter Scotistæ. Sed quando multiplex causa ad unum effectum concurrit, multiplex ratio sivè pars debet in effectu correspondere, ita quòd, si causæ subordinantur, totus effectus cuilibet respondeat sub alia & alia ratione, si autem partialiter concurrunt, partes debet habere effectus, ut pars respondeat partiali influxui; idem enim sub eadem ratione nequit à duplici ut duplex est produci, alioqui altera agit actum; at intellectio simplex effectus est, in quo non poterit assignari pars speciei, & pars intellectui respondens: ergo non possunt partialiter coinfluere. Præterea: secundùm illam partem, quæ intellectui respondet ut partiali causæ, idem secundùm idem directè agit in se ipsum, quod omnes reputant impossibile; ad hanc enim partem nihil agit causalitas speciei, sed ad aliam. Insuper

super : secundùm aliam partem, quæ speciei respondet, forma effectivè agit in subjectum, quod informat, quod etiam est impossibile.

52 Alij tandem dicunt, intellectum speciei coinfluere, ita quod species sit tota ratio agendi per modum virtutis, quarè intellectus est tota causa activè productiva per modum potentiæ. Hunc modum communiter tenent Thomistæ, & ut ait N. Manso, est sent. communis in Scholis. Sed contra : species formaliter idem habet, quod haberet objectum, si per se ipsum posset præsentari intellectui ; sed objectum non esset intellectui virtus & ratio agendi : ergo. Patet maj. quia species est in ordine intelligibili ipsum objectum, & eo dicitur vicaria objecti, illius vices gerit, & ubi objectum potest per se ipsum uniri intellectui, nulla intervenit species, ut in visione beata. Min. ex hoc ipso patet etiam ; nam in visione beata ubi objectum per se ipsum unitur, & eo dicunt ipsi, quòd gerit munus speciei, nullus hucusque Thomista dixit, quòd tale objectum est virtus & ratio agendi : si ergo hoc esset munus speciei, essentia Divina gerens per ipsos tale munus deberet esse ratio agendi per modum virtutis, hoc enim perfectio est, quarè inconsequentiæ illam sent. ego arguebam : non enim lumen naturale, sed speciem ponunt ipsi virtutem agendi ad intellectionem naturalem : non ergò lumen supernaturale debet esse ratio agendi ad intellectionem supernaturalem, sed si quæ est talis ratio, ea debet esse essentia Divina.

Præterea : quod alteri coinfluit ut virtus & tota ratio debet illi uniri subjectivè, ita quòd sibi in eo quòd virtus est competit informare & perficere, quo constituat subjectum virtuosum & plenè potens ; sed species formaliter ut talis est non habet informare & subjectivè uniri : ergo non est virtus. Maj. ex terminis patet, constituit enim subjectivè tale in se ipso, nempè virtuosum & plenè potens, quod est perfectum esse, quarè debet perficere. Min. ipsi docent Thomistæ, & ratione patet ; quia speciei per se ut talis est solùm competit facere objectum præsens, seu repræsentare ipsum, informare autem habet per accidens, quia non aliter potest intellectui intimari, quarè Deus, qui per se ipsum intimatur, perfectissimè exercet munus speciei, ut ipsi supponunt, sine informatione

Præterea : quod ex propria ratione sua tantùm habet facere objectum præsens ut attingatur, non est virtus ad actionem, qua attingitur, debet enim talem virtutem supponere ; sed species

ex

ex propria ratione sua tantúm habet substituere pro objecto, & ipsum reddere præsens : ergo. Præterea : natura in necessarijs non defficit; sed deficeret, si species esset virtus & ratio agendi: ergo. Patet min. tunc enim intellectui dedisset potentiam, non autem virtutem, sine qua omninò non potest actum habere. Ulterius : forma ad subjectum suum non habet causalitatem effectivam, ut sæpe dictum est; sed si species esset intellectui ratio & virtus agendi haberet causalitatem effectivam in subjectum cujus est forma : ergo. Patet min. quia est forma ipsius intellectus; intellectio autem in ipso causatur : si ergo species nequit esse virtus & ratio agendi, quandoquidem notum est, quòd idem directè & secundum idem non agit in se ipsum, relinquitur, quòd intellectus non se habet activè.

53 Tertius modus ejusdem sent. est quem tenet N. Gavardi q. 8. art. 2. docet, quòd intellectus activè se habet ad intellectionem ut actio est, quia tamen intellectio ut qualitas est producitur à specie, & ad hanc se habet passivè intellectus, dicitur absolutè potentia passiva; quarè in sol. ad 1. ait, quòd eadem qualitas est actus 1. & actus 2. intelligendi, nempè actus 1. intelligendi non species est, sed illa qualitas ut causata à specie, actus vero 2. est eadem qualitas ut elicita ab intellectu, & ut actio est, per quam intellectus tendit in objectum : & in sol. ad 4. quòd in diverso genere causæ intellectus activus est & passivus respectu intellectionis ; nempè in genere causæ efficientis extrinsecæ recipit ab objecto media specie actum ut qualitas est ; in genere autem causæ formalis vitalis causat talem actum ut actio est.

Multa quidem hic modus continet difficilia : 1. intellectio ut actio est distinguitur à se ipsa ut est qualitas ratione tantúm, imò distinctione minori; causari autem sibi convenit phisicè & secluso quovis actu intellectùs: non ergo potest uno modo causari, alio non causari ab intellectu. Præterea : actio nihil est aliud, quàm fieri rei prout ab agente, quarè ipsa qualitas sub habitudine ad id, à quo inducitur, actio est : si ergo à specie inducitur, sub habitudine ad illam actio est ; passio similiter est fieri prout in passo, quarè si in intellectu recipitur, respectu illius non actio, sed passio est. Insuper : actio non agitur, sed terminus per actionem : si ergo intellectus activè comparatur ad intellectionem, aut aliqua actione ipsam producit, aut terminum aliquem per ipsam. Rursus: quorsum tendentia illa intellectus per talem qualitatem in

ob-

objectum? Ipsa enim est imago objecti, & ipsum objectum repræsentativè: quomodo ergo in objectum tendit per hanc qualitatem, aut quid hæc tendentia est? Non enim intelligi potest quomodo tendit in id, quod apud se habeat.

Ulterius: species intelligibilis in ipso est intellectu, & pro materiali entitatis suæ ipsum informat: quomodo ergo, aut ad quid qualitatem in eo causat? Insuper: species intelligibilis est formalis similitudo objecti ipsi intellectui intimè communicata: ergo ipsa est actus 1. intelligendi. Tandem: causa formalis non habet actionem, sed perficere & informare; causa autem efficiens de se extrinseca est, neque ab ullo dividitur in intrinsecam & extrinsecam: quid ergo significat, quòd species causat in genere causæ efficientis extrinsecæ, aut quomodo extrinseca est, quæ intimè est in ipso intellectu; quomodo item intellectus in genere causæ formalis intellectionem producit sub ratione actionis? Hæc ego omninò non capio.

54 Secunda sent. docet, intellectum potentiam esse purè passivam in ordine ad actum intelligendi; in qua triplex item est dicendi modus: dicitur autem in ordine ad actum intelligendi, quia de hoc tantum nunc quæritur, quomodo enim se habet in formando verbum, infra disputatur, item quomodo se habet in movendo voluntatem. 1. ergo modus hujus sent. est quem tenet N. Toletan. quòd nempè tota causa activè productiva intellectionis est intellectus agens, quarè intellectus, de quo quærimus, tantùm habet intellectionem recipere. De hoc satis diximus q. præcedenti.

55 Secundus modus docet, quòd tota causa activè productiva intellectionis est objectum per se, vel per speciem, & intellectus nihil habet aliud, quàm speciem recipere, ita quòd intellectio est intellectum à specie informari. Ita refertur communiter opinio Gotifredi, imò pro ea sic explicata citatur B.D. & ipsum hoc sensu rejicit Scot. in 1. dist. 3. q. 7. Sed alia est sent. B. D. ut patebit infra. Iste modus omninò subsistineri non potest: ex sola enim informatione per speciem nullam habet intellectus vitalitatem, neque salvatur, quòd intelligens se movet, sed tantùm quòd movetur ab objecto. Præterea: in visione beata nulla est informatio; est autem perfectissima intellectio, & vitalis motus animę.

56 N. Manso, quia idem ipse docet, de actu sentiendi quod hæc sent. ponit de actu intelligendi, tum pro se, tum pro DD. hujus sent. resp. quòd pura receptio & informatio neque est intellectio, neque vitalis motus,

tus, sed requiritur insuper attentio animæ qua posita illa receptio intellectio est. Sed in primis: hanc attentionem nullus hucusque observabit in sent. Gotifredi, quarè pro se quidem poterit ita respondere, liberè autem illa solutio pro Gotifredo adducitur. Deinde: illud attendere ipsum est videre seu intelligere, quarè non ipsa receptio, sed attentio animæ est intellectio, de qua quæritur quomodo ad illam se habet intellectus. Explicatur: illa attentio animæ per aliquam potentiam exercetur: aut ergo per voluntatem, & tunc voluntas intelligit; ipsa enim est quæ attentione sua videt id, quod in intellectu recipitur: aut est per intellectum, & tunc quæritur, quomodo ad hanc attentionem se habet intellectus? Quidquid autem dicatur non est movere & moveri, quarè non salvatur vitalitas.

57 Tertius ergo modus ponit intellectum purè & omninò passivè se habere in actu intelligendi, ita tamen quòd intelligere non est purè & omninò recipere speciem intelligibilem, sed postquam intellectus recepit speciem, & objectum habet in ea, aut etiam in se ipso præsens, per intentionem voluntatis applicatur & activè movetur ut percipiat, ipse autem sic applicatus capit, seu vitaliter percipit objectum aut se ipso, aut in sua specie præsens, & hoc capere videre est, seu intelligere in quo ipsa anima se movet, seu movet & movetur, movet nempè per voluntatem, quatenus applicat, & movetur per intellectum quatenus percipit. Hæc est perpetua sent. B. D. ut patebit art. seq. in quolibet seorsim de mente ejus inquirere, quare loca ibi adducemus.

§. II.

Probatur nostra sententia.

58 Dicendum, quòd intellectus purè passivè se habet ad actum intelligendi. De actu dicendi, quo formatur verbum, quomodocumque ille actus ab actu intelligendi differat, infra seorsim disputatur, quarè in hac conclusione nobiscum tenet N. Manso, ipse enim lib. 2. q. 7. num. 9. & 17. assignans disparitatem inter sensum & intellectum docet, quòd intellectus est potentia activa, quia habet dicere, quod non habet sensus; & cum contra se objecisset, quòd non in omni intellectione format verbum: resp. quòd etiam ut cognoscitivus est dicitur potentia activa, quia ex natura rei ordinatur ad dicendum, in quo se habet activè, licèt per accidens non dicat, seu in aliquo actu non formet verbum: tenet ergo, quòd in-

intelligere formaliter ut differt à dicere non activè est ab intellectu, sed ad illud passivè tantùm se habet.

59 Prob. 1. ex Phil. in hoc 3. de An. tex. 17. quo probaturus necessitatem intellectus agentis ita habet: *Cùm autem in omni natura sit quædam, quorum alterum quidem unicuique generi materies est, quod esse id patet, quod est potentia illa cuncta; ad alterum verò causa est & efficiens omnia, nimirum efficiendo atque agendo talem subiens rationem qualem ars ad materiam conditionem subit, necesse est & in anima differentias has easdem inesse*; Quibus subjungit, ut supra adduximus, quòd quia intellectus possibilis est omnia fieri per intellectionem, necesse est ponere intellectum agentem, qui sit omnia facere. Ex quo loco duobus modis conclusio deducitur: altero, quia expressè asserit, quòd intellectus passibilis est veluti materia, & quòd est omnia fieri per intellectionem: altero autem, quia nullius est ponderis ratio, quam intendit, si intellectus passibilis aliquomodo activus est: patet enim, quòd tunc non esset necesse ponere intellectum agentem, qui esset intellectionem facere.

60 Communis solutio est, quòd intellectus passibilis dicitur passivus, & se habere veluti materia, aut quòd est omnia fieri, quia de se est pura potentia, & ut communiter dicitur, nascitur tanquam tabula rasa: quia ergo est cujuslibet intelligibilis susceptivus, & passivè se habet ad actum 1. & formam intelligibilem, dicitur potentia passiva & veluti materia, quod non tollit, quin susceptа forma intelligibili activè causet intellectionem. Hæc solutio apertè ex ipso textu rejicitur: 1. quia si susceptа forma intelligibili habet activè causare intellectionem, non tantùm est intellectionem fieri, ita quòd oporteat intellectum agentem ponere, qui sit intellectionem facere, sed ipse intellectus passibilis erit intellectionem facere & causare factus in actu per speciem; at eo quod est omnia fieri per intellectionem deducit Phil. quòd oportet ponere intellectum agentem, qui sit intellectionem facere: non ergo id habet intellectus possibilis. 2. quia substantia calidi passivè se habet ad formam caloris, quæ est actus 1. & forma, qua factus in actu calefacit; at ex hoc quod passivé se habet ad talem formam nullus dicet, quòd est potentia passiva ad actum calefaciendi, aut quòd se habet ad illum velut materia, eo nempè quia accepta forma caloris influit, quare ad formam caloris se habet passivè & ut materia, ad actum verò calefaciendi est potentia activa: si ergo asserit

Phil.

Phil. quod intellectus passibilis ad actum intelligendi se habet ut materia, & est intellectionem fieri, non habet ipsam activè causare etiam factus in actu per speciem.

61 Prob. 2. ex alio loco Phil. ibidem tex. 12. quo ita habet: *Dubitabit autem non injuria quispiam, quonam modo intelliget intellectus, si ipse quidem simplex sit ac passionis expers, nihilque habeat cum ulla re prorsus commune, sicut Anaxagoras asserit, intelligere autem pati quoddam sit, uti diximus.* Hujus dubitationis sensus, ut ex ratione dubitandi, quam inducit, est manifestum, hic est: probavit Phil. in lib. de Gen. quòd ea tantum ad se invicem agunt & patiuntur, quæ in materia communicant: intellectus autem in nullo communicat cum alijs: dubitatur ergo quomodo intelligit, si intelligere est pati? Vides ergo, quòd supponitur in actu intelligendi non activè, sed passivè se habere intellectum. Ad illam dub. resp. tex. 14. quòd pati est duplex, nempè alterum corruptivum, & in quo passio magis facta abjicit à substantia, & ad hujusmodi passionem oportet communicare in materia; aliud autem pati est perfectivũ, & in quo passio magis facta non abjicit, & hujusmodi est intelligere, quarè ad talem passionem non oportet intellectum communicare in materia cum intelligibilibus.

Ex hoc loco sic potest ratio formari: Intelligere est pati alterius generis à passione alterativa, & quæ magis facta abjicit à substantia; sed si intellectus aliquomodo activè se habet ad actum intelligendi non est pati alterius generis: ergo. Maj. patet ex ipso tex. tum quia ex hoc solvit propositam dubitationem, tum quia tex. 2. ait, quòd intelligere est pati quoddam, hoc est, aliquomodo, sive quodammodo pati, nempè non simpliciter, sed quodammodo habet rationem passionis illa passio, quæ non est alterativa. Ostenditur min. Si intellectus in actu intelligendi se habet activè, tantùm potest salvari, quòd intelligere est pati causaliter, quatenus intellectus est potentia passiva, & recipit speciem intelligibilem ex qua causatur actus intelligendi; sed hæc passio non est alterius generis à passione alterativa: ergo. Maj. est communis expositio illius tex. Min. autem de facili patet; tunc enim forma recepta erit alterius generis, nempè intentionalis, ipsa autem passio erit receptio hujus formæ & informatio ab ea, in quo consistit passio alterativa: si ergo sic est pati quod alterius generis est ipsa passio, non informatio à specie est passio quam intendit Phil. sed vitalis perceptio ejus,

& in hac consistit intelligere.

62 Prob. 3. ex alio tex. & quidem ad hominem contra N. Manso & alios tenentes, quòd sensus est potentia passiva, valdè efficaciter: itaque cap. 4. quo juxta Com. incipit lib. 3. & quo de intellectu determinare incipit Phil. ita habet titulus: *De intellectu potentiæ, qui ut sensus à sensibilibus, ita ipse ab intelligibilibus patitur, nec ullam propriam formam habet*, Et hoc ipsum statim in ipso principio statuit, ait enim tex. 3. quòd oportet intellectum similitudinem subire cum sensu, *Ut quemadmodum se se habet ad sensibilia sensus, sic se se habeat ad intelligibilia intellectus.* Ex quo ratio sic formatur: Sic intellectus est potentia passiva in intelligendo, sicut sensus in sentiendo; sed sensus non solùm est potentia passiva, quia recipit formam sensibilem, sed etiam quia in actu sentiendi se habet passivè, & ipsum sentire est percipere immutationem à sensibili causatam: ergo. Maj. intendit in tex. Phil. Min. autem & supra probata est ex Phil. & à ratione, & illam docent Nostri, atque alij multi.

63 Ad hanc rationem resp. N. Manso q. 7. n. 9. postquam enim verba adduxit D. Th. in 1. p. q. 34. art. 1. in sol. ad 3. subjungit, quòd ex illis colligitur disparitas pro importuna paritate sensus ad intellectum, quam innuere ait N. Gerard. in 1. dist. 27. q. 1. art. 2. disparitas est, quòd sensus non concipit res, ut illas possit parere; atverò intellectus concipit ut pariat & formet verbum, juxta illud P. Aug. ab objecto & potentia paritur notitia: sensus ergo, qui tantúm habet percipere, est potentia passiva; intellectus verò, qui ultra habet parere, est potentia activa. Addit lib. 3. q. 6. n. 9. quòd sensatio semper fit eodem modo; intellectio autem non sic, habet enim intellectus dubitare, apprehendere, affirmare, discurrere, & multos alios actus, qui non sunt mera objecti perceptio. Adde, quòd intellectus, non verò sensus, est potentia supra se reflexiva; reflexio autem activam influentiã, & supra se conversionem dicit.

Sed quantumcumque ipse importunam dicat paritatem, ea his non exequatur: in primis illa solutio directè rejicit tex. Phil. hic enim intendit, quòd se habet intellectus sicut sensus; solutio autem intendit, quòd aliter se habet. Deinde: verba S. Thom. ex quibus solutio dicitur colligi, libet adducere, ut cuique pateat an pro ipso sint, ait itaque: *Anselmus verò impropriè accipit dicere pro intelligere, quæ tamen differunt; nam intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur,*

sur, sed solùm informatio quædam in nostro intellectu, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ: sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum; nihil enim est aliud dicere, quàm proferre verbum, sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti.

Hæc sunt D. Th. verba, ex quibus ipse deducit non solùm conclusionem suam, sed etiam argumenti solutionem; certè autem, si conclusionem nostram ex D. Th. vellem probare, non alium quærerem locũ: apertè ait S. D. quòd intelligere differt à dicere; item quòd intelligere nullam importat rationem originis, nullus autem poterit intelligere activè causari ab intellectu, & tamen non originari, seu importare rationem originis; item ait S. D. quòd est solùm informatio quædam à specie intelligibili, intelligere percepta, seu vitaliter capta; ubi ergo hìc activa causalitas intellectus ad differentiam sensus? Dices: in actu dicendi. Contra: 1. ipse S. D. supponit, quòd actus dicendi differt ab actu intelligendi: in hoc ergo nulla est disparitas. 2. ait S. D. quòd in actu dicendi importatur origo, non autem activa influentia, alioqui in Divinis, ubi origo est, esset etiam influentia, sed de hoc infrà.

Dicere autem, quòd intellectus se habet activè in actu intelligendi, quia hic ex natura rei ordinatur ad actum dicendi, ut ipse suprà respondebat, nihil refert: receptio enim formæ caloris ad actum calefaciendi ordinatur ex natura rei; non tamen proinde dicetur recipiens se habere activè: dato ergo, quòd in actu dicendi activé se habeat intellectus, hoc non tollit quin ipsum intelligere tantùm sit pati. Ad aliud neg. conseq. illa enim actuum diversitas nihil est aliud, quàm diversa perceptio objecti. Pariter ad ultimum neg. min. reflexio enim tantúm dicit à se ipso moveri tanquam objecto, aut ad se ipsum terminari actum suum, quod non aliud est quàm se ipsum percipere, sicut alia percipit; in quo nulla importatur activitas.

64 Prob. 4. ex alio loco Phil. nempè tex. 5. asserit, quòd intellectus pura potentia est in ordine intelligibili eo prorsus modo, quo materia pura potentia est in ordine essendi, & sicut materia non aliam quidditatem habet quàm potentialitatem, qua perfectibilis est, ita intellectus in ordine intelligibili puram habet potentialitatem, verba sunt: *Quo fit ut neque ulla sit ipsius natura, nisi ea solùm, qua possibilis est*; Idem habet tex. 14. & communiter supponitur, quòd intellectus est pura potentia in

ordine intelligendi. Ex quo sic formatur ratio: Si intellectus ullam habet activam causalitatem in actum intelligendi, non est in illo ordine potentia pura; sed esse puram potentiam ait Phil. & supponunt omnes: ergo. Ostenditur maj. 1. quia unumquodque agit ut est in actu, & esse activum principium actualitatem dicit: si ergo intellectus aliquomodo est principium activum, aliquam habet actualitatem, & consequenter non est de se pura potentia. 2. Si intellectus habet activè influere in actum intelligendi, habet de se exigere virtutem, qua fit plenè potens; sed illa exigentia quædam determinatio & actualitas est: si ergo influentiam habet ut est in actu, de se non est pura potentia in ordine intelligendi.

65 Ad hanc rationem resp. Cajet. in 1. p. q. 79. art. 2. cùm enim in illo art. asserat D. Thom. quòd intellectus est potentia passiva, & quòd intelligere est pati, hoc exponit, quòd intellectus est potentia passiva, quia formam intelligibilem, qua fit in actu, & quæ est sibi ratio agendi, nullam de se habet, quare ad virtutem & rationem agendi se habet passivè; intelligere autem dicitur pati causaliter, quatenus ex illa passione causatur; subjungit autem, quòd aliter se habet quàm id, quod recipit rationem agendi, quia aliter anima fit in actu ipsum cognoscibile, aliter vero materia fit in actu per formam, ut enim ait Com. magis fit unum ex intellectu & intelligibili, quàm ex materia & forma: videtur ergo intendere, quòd non compositione, sicut ex materia & forma, sed quadam transformatione fit unum ex intellectu & intelligibili, quarè non ex partiali ratione agendi, quam de se haberet intellectus, ut putavit Scot. neque ex quo recipit speciem intelligibilem, quæ est ratio agendi, sicut materia formam recipit, sed quia trãsformatione illa fit ipsum intelligibile, quamvis de se esset pura potentia passiva in ordine intelligendi, factus tamen in actu per talem formam activè influit.

Sed in primis hanc expositionem non esse ad mentem S.D. cuiq; poterit patere legenti tex. toto enim illo circuitu ad summum poterit salvari, quòd intellectus dici posset potentia passiva, non autem quòd ipsum intelligere sit pati, quod etiam asserit S. D. dicere enim, quòd illa propositio est causalis improprijssima loquutio est, quis enim diceret, quòd calefacere est pati? et tamen ex passione causatur, qua calidum recipit calorem. Deinde: illa transformatio, qua tota nititur solutio, non receptione formæ intelligibilis, sed intellectione ipsa fit,

quæ-

quatenus intellectus intelligendo fit res intellecta: pro priori ergo ad actum intelligendi non magis fit unum ex intellectu & re intellecta, quàm ex materia & forma; tunc enim nihil habet aliud intellectus, quàm specie intelligibili informari. Præterea: quacumque posita transformatione imperceptibile est, quòd intellectus factus in actu activè influat & tamen de se sit pura potentia passiva: quod enim exercitè influit activè, exercitè habet vim & potentiam activè influendi; sed intellectus ipse factus in actu activè influit: ergo vim habet activam: aut ergo illam accepit per illam transformationem, & tunc alia fieret natura ejus; aut illam habebat, & tunc non est de se pura potentia passiva.

66 Prob. 5. à ratione: Omne quod movetur ab alio movetur, ita quòd nequit idem directè agere in se ipsum, & se ipsum movere; sed si intellectus activè influit in actum intelligēdi, se ipsum movet, & in se ipsum directè agit: ergo. Patet min. quia intellectio in ipso causatur intellectu. Maj. est propositio, quam latè probat Phil. in 7. & 8. Phis. & omnes supponunt, quamvis variè exponant. 1. solutio est, quòd illa propositio de motu philico tenet, non autem de intentionali, qualis est motus vitæ, vita enim est motus à se. Sed legenti tex. patet, quod de motu vitæ loquitur Phil. ea enim statuit, quòd in vivente est multiplicitas partium & potentiarum, ut alia movet, alia moveatur; imò ex hoc arguit: si enim in viventibus, in quibus magis apparet se movere, quod movetur ab alio movetur, potiori jure in reliquis. Alia solutio, eaque communior est, quòd idem secundum idem nequit agere & pati; atvero intellectus agit ut factus in actu per speciem, patitur verò & recipit intellectionem secundum entitatem suam.

Nihilo melior hæc solutio est: aut agit sola species ita quòd intellectus non coinfluit; aut factus in actu per speciem ipsa specie utitur & illi coinfluit intellectus: Si hoc 2. ad ipsum intellectum directè terminatur iste influxus, quarè idem in se ipsum agit: Si autem 1. dicatur, neque forma in subjectum suum potest aliquid effectivè influere, neque salvatur intentum; tunc enim intellectus merè passivè se habet ad actum, quem ipsa causat species. Præterea: æquè implicat idem in se ipsum agere, ac formam esse subjecto suo virtutem & rationem formalem agendi & aliquid effectivè causandi in se ipso, tum quia tantùm habet respectu subjecti sui informare & perficere, tum quia virtus activa est principiū seu ratio transmutandi aliud in quantum aliud.

Prob.

67 Prob. 6. Hoc precisè intellecto, quòd intellectus informatus specie intelligibili id percipit, quod in ipsa specie repræsentatur, stat actus intelligēdi; sed in hoc nulla est influentia activa ipsius intellectus: ergo. Patet maj. quia intelligere nihil est aliud quàm videre, seu percipere quod sibi repræsentatur; per hoc autem quod intentione voluntatis applicetur intellectus, ipsa anima movet, & vitaliter percipit, quarè salvatur movere & moveri, seu se movere, in quo consistit vita. Min. item patet ex terminis, quarè saltim titulo superfluitatis illa influentia activa intellectus sufficienter rejicitur. Quoniam autem latiùs in præcedentibus oportuit immorari, cætera in sequentibus poterunt attingi.

§. III.

Solvuntur argumenta;

68 ARg. 1. Scot. contra sent. Gotifredi, cujus argumenta possunt etiam contra nos objici: Si intellectus merè passivè se habet ad actum intelligendi, nihil est in parte intellectiva, quòd habeat rationem activi; sed hoc summè vilificat naturam animæ: ergo. Maj. ipse concedit Gotifredus, potest autem ratione ostendi, quia tunc activè moverè estobjectivè & extrinsecè à phantasmate, subjectivè autem intrinsecè ab intentione voluntatis applicantis. Min. patet ex terminis, inferior enim est conditio passivi, & maximè respectu phantasmatis, quod est inferioris ordinis, & in gradu sentiendi. Conf. 1. Si intellectus passivè se habet, intellectio causatur à phantasmate; at unumquodque agit prout est in actu: cùm ergo phantasma sit in actu sensibile, non poterit causare actum, quo cognoscatur ipsum quid. 2. Nullus effectus potest esse nobilior causa sua; sed intellectio nobilior est phantasmate: ergo non potest ab eo causari. 3. Habitus non ponitur precisè ad pati, & maximè in passivo summè disposito; sed intellectus summè est dispositus ad intellectionem, & in eo multi sunt habitus: ergo non se habet passivè. 4. Si intellectus se habet passivè, non apparet quomodo concurrat in syllogizando; item, quomodo causentur intentiones logicæ; rursus, quomodo reflectatur supra actum suum: hæc enim omnia non possunt à phantasmate causari.

69 Resp. neg. maj. Ad rationem ejus dicitur, quòd phantasma causat actum intelligendi in virtute luminis intellectus agentis, qui est in parte intellectiva, & virtus ipsius intellectus possibilis. Resp. 2. neg. min.

min. Ad rationem ejus dicitur, quòd conditio passivi inferior est in genere causæ à *qua*, quæ per veram influentiam agit, & passione, quæ magis facta abjicit à substantia; neutrum autem habet in proposito intellectus, illud enim pati alterius generis est, & perfectio ipsius animæ est percipere & capere. Ad 1. Conf. dist. maj. Causatur à phantasmate secundùm se & virtute propria, neg. maj. Virtute irradiationis ab intellectu agente, conc. maj. sed ex hoc consequitur actualitatem, vi cujus potest immutationem causare altiorem & in actu intelligibilem. Quo patet ad 2. Intellectio nobilior est phantasmate secundum se, non autem ut elevatur per irradiationem intellectus agentis; sumitur autem intellectio non pro ipsa perceptione vitali, sed pro forma intelligibili, hæc enim est quæ à phantasmate causatur. Præterea: In genere causæ *à qua* non excedit effectus causam suã, poterit autem excedere in genere causæ *ad quam*, quia hæc valdè latè habet rationem causæ.

Ad 3. Conf. eodem modo distinguo maj. Ad pati transmutativum, & quod consistit in receptione formæ, non oportet ponere habitum, quia ad hoc non indiget facilitari principium passivum, quare nullo indiget habitu intellectus noster, ut suscipiat formas intelligibiles; at vero ad pati alterius generis, & quod non recipere formam & ea informari, sed vitaliter percipere est, potest habitus requiri, quia in illa perceptione poterit potentia difficultatem habere, & ad hoc ponuntur habitus in intellectu. Ad 4. dicitur, quòd illa non causantur à phantasmate, ab isto enim tantum causatur intellectio realiter ut est ipsa forma intelligibilis, & actus 1. intelligendi; ut verò est vitalis perceptio non aliud habet activum principium, quàm ipsam animam per intentionem voluntatis moventem: hac ergo perceptionem syllogizat intellectus, quatenus incompletè percipit, & nunc simplici perceptione apprehendit, nunc ita percipit quod affirmat aut negat, nunc autem ex his aliquid deducit; hac format intentiones logicas, quatenus modo potentiali percipit præscindendo unum ab alio; hac item supra se reflectit, quatenus se ipsum percipit, aut actus suos.

70 Arg. 2. idem contra sent. B. D. pro qua etiam citat D. Th. Si intellectus se habet passivè in actu intelligendi, tùc phantasma erit magis potentia intellectiva, quàm ipse intellectus, siquidem magis erit causa intellectionis; sed hoc est absurdum: ergo. Maj. nota est, magis enim causa est, quæ activè causat, quàm quæ passivè recipit.

Conf.

Conf. Id, ad quod aliquid se habet merè passivè & in potentia contradictionis, non benè dicetur propria perfectio ejus, sicut calefieri non benè dicitur propria perfectio ligni; sed intellectio propria perfectio est intellectus: ergo ad eam non se habet passivè. 2. Posito eodem repræsentãte major attentio vel conatus facit actum perfectiorem: ergo potentia in illo actu non se habet passivè. Ant. experientia notum est, conseq. autem eo patet, quia ille conatus confert ad actum; est autem activa causalitas. Cætera, quæ habet contra sent. B.D. soluta sunt disp. præc. de potentia sensitiva.

71 Resp. neg. maj. & rationem ejus. Maj. quidem, quia phantasma non est causa intellectionis formaliter ut est vitalis perceptio, sed realiter tantúm ut est ipsa forma intelligibilis. Rationem verò ejus, quia non quod causat perceptionem, sed quod percipit & capit objectum est potentia intellectiva: non autem percipit, quæ activè se habet. Ad Conf. dist. maj. nempè ea tenet de passione transmutativa & quę est pura receptio formæ, non autem de passione perfectiva, & quæ est vitalis perceptio, patet enim, quòd perceptio ipsius percipientis perfectio est. Ad 2. neg. conseq. Ille conatus, aut est potentiæ applicantis, & tunc activam causalitatem significat, non verò intellectus, sed voluntatis applicantis; aut est ipsius potentiæ applicatæ, & tunc nihil est nisi magis percipere.

72 Arg. 3. ex N. Argent. in 4. dist. 50. q. 1. art. 2. quo arguit contra opinionem Gotifredi: Juxta Com. in 3. de An. sicut se habet materia ad formas particulares, sic se habet intellectus ad formas universales; sed materia facta in actu per formam particularem determinatur ab ipsa ad actum talis formæ: ergo pariter intellectus. Conf. Si intellectus ad actum intelligendi se habet passivé, talis actus non est immanens, sed transiens; sed hoc est inconveniens: ergo. Maj. patet, quia tunc talis actus causatur à phantasmate, quare non manet in eo, à quo causatur; at vero actus immanens eo talis dicitur, quia manet in eo, à quo causatur; ut habet Phil. 9. Met. tex. 16.

Conf. 2. Potentia, quę est aliarum directiva, se habet active ad actum, quo dirigit; sed intellectus actu intelligendi dirigit alias potentias: ergo. 3. Si intellectus est potentia passiva ad actum intelligendi, non erit rationalis; sed hoc est inconveniens: ergo. Prob. maj. Potentia carens libertate non est rationalis; sed quæ passivè se habet caret libertate: ergo. Patet maj. quia potentiæ rationales sunt

sunt oppositorum ex 9. Met. quæ autem libertate caret, non est oppositorum, sed ad unum. Patet item min. quia quæ passivè se habet, non habet dominium supra actum suum; atvero libertas in tali dominio consistit. 4. Potentia, quæ est formativa verbi non est purè passiva; sed ita est intellectus: ergo. 5. Phil. in 3. de An. tex. 24. ait, quòd intellectus est, quo anima operatur & intelligit; sed operari non est passivè se habere: ergo.

73 Resp. quòd locum Com. ipse non determinat, quarè non possumus sensum ejus expendere: non potest autem sensus esse, quem ipse intendit, quia intelligere motus est alterius generis ab eo, quem exercet totum ex materia & forma, quare solum poterit esse sensus ille idem, quem intendit Phil. loc. sup. cit. quando ait quòd intellectus se habet in ordine intelligibili veluti materia: nempè sicut materia est pura potentia passiva, quæ per formam determinatur, ita intellectus pura potentia est & determinari habet per formam intelligibilem: data ergo hoc sensu maj. neg. conseq. & ratio disparitatis est jam data, quòd intelligere est motus alterius generis, nempe non aliquid producere, quia actus immanens non ponit terminum, ut habet Phil. cit. loc. ex 9. Met. & sæpe explicatum est in præcedentibus, sed est vitalis motus; quo immutatio facta percipitur, quarè per formam intelligibilem determinatur, non ut aliquid agat, sed ut ipsum intelligibile percipiat.

Ad Conf. neg. maj. Ad prob. dicitur, quòd actus, qui causatur à phantasmate non ipse vitalis motus, sed forma intelligibilis, & hic actus transiens est reductivè, non enim propriè actio est & vera causalitas; ipse autem vitalis motus perceptionis, quo actus est immanens, causatur activè ab ipsa anima per intentionem voluntatis applicante. Ad locum Phil. sæpe in præcedentibus explicatus est, ait enim quòd actus, qui non ponit terminum, in ipso manet, cujus actus est, ut speculatio in speculante, secus autem, qui terminum ponit, ut calefactio non in calefaciente est, sed in calefacto, in quo ponitur terminus tali ratione productus. Ad 2. neg. maj. directio enim intellectus ad alias potentias objectiva est, & per meram objecti propositionem, in quo nulla est activa influentia. Præter ea: aliud est quòd ad alias potentias se habeat activè ille actus, aliud verò quòd intellectus ipse talem actum activè causet, de hoc 2. disputatur, procedit verò illa ratio de 1.

Ad 3. neg. maj. Ad ejus prob. dist. maj. Potentia carens

libertate, prout libertas latè sumitur, conced. maj. Prout libertas sumitur propriè, de qua procedit probatio, neg. maj. Itaque libertas uno modo indiferentiam dicit, & hoc modo habent utique potentiæ rationales esse ad oppósita, sed hoc convenit intellectui quamvis passivè se habeat, percipit nempe verum assentiendo, aut falsum dissentiendo; alio modo libertas dicit dominium suprà actum suum, sed hæc soli convenit voluntati. Ad 4. de actu intelligendi procedit præsens controversia, de actu verò dicendi, quo formatur verbum, infra disputatur. Ad ultimum neg. min. operari enim latiús patet, quàm activè producere, & tantum significat se exercere ut sic & communiter: operatur ergo anima per intellectum quatenus se exercet in percipiendo objectum.

74 Arg. 4. ex N. Gavard. Potentia supra se reflexiva activè concurrit ad actum suum; sed intellectus est potentia supra se reflexiva: ergo. Maj. prob. quia reflexio activè est ab ipso reflectente. Resp. neg. maj. quia reflectere supra se nihil est aliud quàm se & actum suum percipere. Sed contra hanc solutionem poterit instari: Intellectus movetur activè ab objecto: si ergo in actu reflexionis se ipsum habet pro objecto, à se ipso poterit moveri, & habere influentiam activam ad se ipsum: Resp. 1. quòd non à se ipso movetur in actu reflexionis, quia non se ipsum per se ipsum intelligit, intelligit intellectus noster, sed per species aliorum, ut expressè habet B. D. tex. 15. dub. 1. quarè ab illo objecto movetur cujus specie se intelligit. Resp. 2. quòd motio intellectus ab objecto objectiva est & in genere causæ *ad quam*, in qua nulla importatur influentia, quarè hæc non repugnat esse ejusdem ad se ipsum, quarè Angelus se intelligit per substantiam suam, ut docet B. D. de cog. An.

75 Arg. 5. ex N. Manso. qui q. 6. n. 8. ait, quòd sent. nobis contraria expressa est in P. Aug. D. Th. & B. D. eaque posita faciliús intelliguntur quæ Theologia docet de actibus supernaturalibus intellectus & voluntatis: & patet, inquit, nam lumen fidei & lumen gloriæ ponuntur in intellectu ad supplendum defectum virtutis potentiæ pro actibus fidei & visionis, similiter habitus spei & charitatis pro actibus spei & amoris; sed tales habitus sunt virtutes activæ efficienter influentes ex parte potentiæ in actus, ad quos ponuntur: ergo quia potentia ipsa influit in eosdē actus. Præterea: Concil. Trident. damnat asserentes, voluntatem se habere merè passivè ad actus suos: ergo tenendum est intellectum

& voluntatem esse potentias activas suorum actuum. A ratione autem probari, ait, conclusionem suam argumentis, quibus probatur sent. Scoti.

76 Sed in primis quod attinet ad authoritates, ex B.P. tantùm adducit famosissimum locum ex 9. de Trin. cap. ultimo, quo asserit S. P. quòd ab utroque notitia paritur, á cognoscente & cognito, unde habet commune principium, quòd ab objecto & potentia paritur notitia. Sed locus iste infrà q. de Verbo mentis expenditur, interim, non ait S.P. quòd à potentia ipsa paritur, sed quod à cognoscente, quod longè aliud est: deinde si locum S. P. ipse legisset non posset eo fundari, ait enim S. P. quòd notitia dicitur parta, quasi reperta atque comperta, quia partum mentis sæpe præcedit inquisitio eo fine quietura: non ergo inde posset deducere, quòd paritur notitia ab intellectu, hoc est, activè producitur. Quod attinet ad B. D. art. seq. quæremus de mente ejus, & loca expendemus. quæ in contrarium adducuntur. Ex Phil. tantùm adducit locum sæpè explicatum ex 9. Met. quo ait, quòd actio immanens in ipso manet agente, eo quòd non porit terminum, qui locus magis est contra ipsum in eo quòd docet intellectione produci verbum.

De mente S. Th. nostrum non est agere, nihilominus loca superiùs adducta satis sunt expressa, in altero enim ait intellectionem nullam importare rationem originis; in altero autem quærens ex instituto, an intellectus noster sit potentia passiva, ubi locus erat explicandi influentiam ejus activam, si quam habet, resp. quod intellectus noster est potentia passiva, & quod intelligere quoddam pati est; in alijs agens de necessitate luminis supernaturalis ad visionem Dei, hanc semper rationem assignat, quòd Deus unitur intellectui per modum formæ intelligibilis ad illam visionem, quarè oportet disponi intellectum ad susceptionem illius formæ Intelligibilis per formam altioris ordinis: quibus omnibus apertè indicatur, imò expressè habetur oppositum. Ad rationes, quibus probatur sent. Scoti, eæ aut solutæ sunt in præcedentibus, aut in sequentibus adducentur.

Ad argumenta ergo Theologica, quantùm ad 1. non solùm non explicantur in illa sent. faciliùs, sed nulla consequentia salvantur: nullus enim ponit, quòd naturale lumen sit totalis aut partialis virtus & ratio agendi ad naturalem actum; at ipse fatetur, & ex terminis patet, quòd se habet supernaturale lumen ad supernaturalem actum

ficut naturale ad naturalem: non ergo consequenter dicitur, quòd supernaturale lumen sit virtus & ratio agendi. Deinde: ipse, ut vidimus suprà, eo salvat activam influentiam intellectus, quia est potentia dictiva, & habet producere verbum, in actu autem, quo non producit aut format verbum, activam dici ait, quia etsi non agat, ordinatur tamen ex natura rei ad agendum, nempè ad dicendum & formandum verbum, & ex hoc importunam sibi paritatem solvit de sensu; at visio Dei non format verbum, neque ad illud formandum ordinatur: quid ergo agit lumen supernaturale, aut quo sensu est virtus & ratio agendi?

Ad formam itaque neg. utraque præmissa, neque enim virtus est agendi habitus supernaturalis, neque ad supplendam ponitur activam virtutem, ipse enim D. Th. cui potissimè innititur N. Manso, ad hoc ait lumè supernaturale requiri, non ut virtus intellectus augeatur, sed ut disponatur ad suscipiendam formam intelligibilem ordinis supernaturalis per formam illius ordinis: ponitur ergo habitus supernaturalis ad elevandam potentiam, & hoc sensu augendam virtutem ejus; non activam, qua aliquid producat, sed passivam, sive qua speciem recipiat, aut id quod munus ejus gerit, sive qua vitaliter percipiat.

Ad 2. locus Trident. infra expenditur q. de Voluntate, interim dicitur 1. quòd voluntas ex cap. libertatis habet dominium suprà actum suum, & sic aliter de ipsa ac de intellectu philosophari debet, quarè dato ant. neg. conseq. Dicitur 2. quòd Concil. expressè loquitur de libero arbitrio; est autem voluntas liberum arbitrium in ordine ad actum eligendi: nihil ergo inde quantum ad actum volendi. Dicitur 3. quòd Concil. tantùm determinat, quòd non se habet merè passivè, ex quo non sequitur, quòd aliquid activè producat, sed tantùm quòd non passivè determinatur ab alio, sed se determinat; quod autem se determinare non dicat activam influentiam in se ipsam, infra suo loco explicabitur. Cætera ergo argumenta in contrarium possunt ex dictis sufficienter solvi, & in sequentibus attingemus.

AR.

ARTICVLVS II.

Quænam sit mens B. D. de præsenti difficultate?

§. I.

Expenduntur loca, quæ in contrarium adducuntur à Nostris.

77 COmmuniter à Nostris adducitur B. D. pro contraria sen. nimirum, quod intellectus activè influit in actum intelligendi, quare oportet de mente ejus ex instituto agere: loca ergo, quę pro se ipsi objiciunt, examinabimus, aliqua deinde pro nobis adducemus, quamquam in sequentibns oportebit sæpe de hoc eodem agere. 1. ita-q̃ N. Bonherb. adducit B. D. in hoc 3. de An. lec. 4. super tex. 15. dub. 2. ubi ita habet: *Quare cùm intellectus in actu sit in intellectu nostro possibili, & fiat idem cum eo, sicut fit idem ex materia & forma & ex perfectione & perfectibili, intellectus noster possibilis, qui est à materia separatus, est idem cum suo intellectu in actu, & fit unum cum eo; sicut fit unũ materia cum forma*; Vocat B. D. intellectum in actu ipsam speciem intelligibilem, & in ipsa littera patet. Ex hoc loco arguit N. Bonherb. Actus proprius formæ cujusli-bet, puta calefactionis, procedit activè effectivè ab illa una essentia ex materia & forma, sive ex perfectione & perfectibili; sed hoc eodẽ modo fit unum ex specie intelligibili & intellectu juxta B. D. ergo ab isto toto procedit activè actus intellectionis.

78. Ad hoc erg. in primis dicitur, quòd nullus hucusque agnovit in materia influxum aut activam causalitatem, qua formæ suæ coinfluat: non ergo inde posset deduci, quòd intellectus activè se habet, aut coinfluit in actum intelligendi, de quo ad præsens quæritur. Dicitur deinde, quòd operatio intelligendi alterius generis est ab operatione totius ex materia & forma; ad summum ergo sequitur ex illo loco, quòd exercitium intelligendi illius est conjuncti ex intellectu & specie intelligibili, sicut exercitium, quod est actus proprius formæ physicæ, est totius ex materia & forma, non autem, quòd illud sicut hoc sit activa productio. Dicitur 3. quòd B.D. ait se habere intellectum cum specie sicut se habet materia cum forma, quantum ad hoc quòd est fieri unum ex utroque, non autem quantum ad exercitium quod inde sequitur, quare liberè hoc 2. deducitur.

Deinde locum B.D. expendamus, quo pateat apertè mens ejus: in illo ergo tex. 15. dixerat Phil. quòd in separatis à materia

teria idem est intellectus & quod intelligitur, hoc explicaturus inquirit B. D. dub. 2. quomodo verum sit? Pro ejus explicatione notat, quòd tam intellectus noster, quàm res materiales ut intelligantur indigent intellectu in actu, hoc est, ut ipse subjungit, specie intelligibili, nam intellectus se & actum suum intelligit per species aliorum ut dub. præcedent probat idem B. D. de hoc intellectu loquitur Phil. quarè sensus est, quòd in separatis à materia idem est intellectus in actu, hoc est species intelligibilis, & quod intelligitur, ita ait B. D. *Itaque cùm ait Phil. quòd in separatis à materia & non in alijs idem est intellectus & quod intelligitur, ibi per intellectum debemus accipere intellectum in actu, sive speciem intelligibilem.* Ad hoc itaque verba nobis objecta assumit D. ut ex eis hoc deducat, nempè quia intellectus specie intelligibili informatur & facit cum ea unum, sicut fit unum ex materia & forma, cùm per talem speciem se intelligit, unum & idem est quod intelligitur, & intellectus in actu, sive species, per quam intelligitur; in materialibus autem species est separata ab eo quod intelligitur, quare in his numquam est unum quod intelligitur & intellectus in actu sive species, quare subjungit idem D. *Sed objectum materiale non est idem cum suo intellectu in actu, quia intellectus in actus objecti materialis non est in illo objecto, sed est separatus ab ipso.* Vides itaque quòd tantùm intendit D. speciē intelligibilem uniri, & unum fieri cum intellectu, ex quo nihil ad propositum.

79 Adducit 2. idem Bonherb. B. D. in Quodl. 2. q. 23. ex quo tamen nulla adducit verba, quaré oportet quæstionis processum breviter expendere. Quærit ergo: An anima intelligat se per essentiam suam? In resol. ait, quòd tota difficultas oritur ex verbis P. Aug. 14. de Trin. cap. 4. quibus ait, quòd anima se ipsam novit, quia sibi præsto est: in contrarium autem, quòd si anima se ipsam per se ipsam cognoscit, tunc ab ipsa causatur actus intelligendi (en supponit actum intelligendi ab objecto causari, quod intelligitur) quòd autem ab anima non possit causari talis actus, ex eo probat, quia pura potentia est in genere intelligibilium; agit autem unumquodque ut est in actu, & latè ostendit, quòd anima tenet infimum gradum in genere intelligibilium, quarè æquiparatur materiæ in genere entium, & sicut hæc est potentia pura, ita anima in genere intelligibili.

Ad propositum ergo quæstionis præmittit, quòd ad actum intelligendi quatuor concurrunt, sci-

scilicet substantia animæ, potentia intellectiva, species intelligibilis, & voluntas motu suo applicãs & conjungens intellectum speciei, sive ut loquitur S. P. copulans Parentem proli: tunc autem ait, quód quando illa quatuor concurrunt, est intelligere in actu, quando verò deficit voluntatis intentio, est intelligere in habitu, nempe in quadam aptitudine; quia verò hæc aptitudo gradus habet, si sit species intelligibilis, erit intelligere in habitu perfecto, seu qui plus habet de actu; si autem non sit species intelligibilis, erit intelligere in habitu imperfecto, sive qui plus habet de potentialitate: ex his resolutio est, quód anima se per se ipsam intelligit in habitu imperfecto, nempe, quia sibi præsto est, se per se ipsam intelligit in habitu, quod ait S. P. quia tamen non se intelligit in actu, nisi per species aliorum, dum nullam habet speciem non nisi in habitu imperfecto se intelligit.

Hic est illius q. processus, in quo nihil est ad propositum, imò nostram sent. non leviter innuit, tum quod supponit actum intelligendi ab objecto causari, tum quia ait intelligere in actu esse quatenus voluntas applicat & movet intellectum: fortè autem movetur ipse ex eo quod ait D. quòd anima licet non sit sufficiens ad eliciendum actum est tamen radicale principium actionis, quo significat intellectionem actionem esse, quæ eliciatur, & consequenter, quód intellectus est potentia eliciens. Sed quod eam vocat D. actionẽ, eo sensu loquitur, quo actus immanentes actiones dici solent, nempè grammaticaliter & quantum ad modum significãdi, quod vero ait elici, non propriam productionem alicujus significat, sed pro eodem accipit ac exerceri, sive operari; præterquamquod non ab intellectu, sed ab anima ait elici; est autem activè ab anima vitalis motus per intentionem voluntatis applicãtis potentiam ut percipiat: patet ergo, quòd hoc loco nihil habet D. quód possit esse contra nos.

80 Adducit 3. idem B.D. in q. 1. de cog. Angel. ex quæ etiam nulla adducit verba. Mirum tamen, quód ex illa q. velit sent. suam deducere: in ea quærit B. D. An Angelus intelligat se ipsum per essentiam? Resolutionem autem ex eo ostendit, quòd sicut est de cognitione sensitiva, sic philosophandum supponit de intellectiva; & quia sensitiva cognitio in hoc consistit, quód sensus à sensibili movetur, & ipsum percipit, quia potest intellectus Angeli ab ipsa sua substantia moveri & ipsam percipere, potest se ipsum intelligere per substantiam suam.

Nul-

Nulli quidem dubium quin in q. ista doceat B. D. quòd sensus se habet passivè in actu sentiendi, ab omnibus enim tam Nostris quam extraneis pro illa sent. citatur in hoc loco: si ergo asserit, quòd eodem modo philosophādum est de intellectu ad actum intelligendi ac de sensu ad actū sentiendi, omninò pro nobis est ille locus, quarè in sol. ad 4. ita habet: *Sic & in proposito cùm Angelus intelligit essentiam suam, ab ipsa essentia sua fit motus quidam in ipso intellectu Angelico, qui est ipse actus intelligendi.* En actus intelligendi non est ab intellectu, sed ab objecto in intellectu causatur, quem ipse intellectus percipit; idem habet ad 7. ad 8. & ad 9. & sæpissimè in tota q. illa.

81 Adducit 4.N.Gavard. B D. in 2. de An. lec. 11. sup. tex. 52. ubi dub. 2. explicat tex. Phil. quo asserit, quòd si sensus esset potentia activa posset sentire seipsum; rationem autem ex hoc detumit B. D. quòd ex duplici capite oritur ad actionem alicujus requiri additionem extrinseci, aut quia actio sit transiens, & ideo licèt combustivum sit potentia activa non potest se ipsum comburere, quia ejus actio de necessitate est transiens, & debet esse in aliud; aut quia cùm hoc quòd actio sit immanens, illud sit potentia activa, & quia actus sentiendi est immanens, benè sequitur; quòd si sensus esset potentia activa, non indigeret exteriori sensibili, & posset se ipsum sentire: ex quo subsumit; sed intellectus potest se ipsum inteligere: ergo est potentia activa.

82 Hoc arg. aliquibus videtur valdè apparens, sed si benè perpendatur intentum B. D. solvitur de facili: itaque pro explicatione tex. assumit in ratione dubitandi, quòd in combustivo est virtus activa; & tamen non potest comburere se ipsum: non ergo benè sequitur, quòd si sensus esset virtus activa, posset sentire se ipsum. Ad propositum ergo illius dub. sufficiebat rationem adducere, ex qua hoc argumentum solvebatur, & quia ad hoc sufficit, quòd actio combustivi non est immanens, ex hoc dubitationem solvit, ex quo tamen non sequitur, quòd tota causa quarè sensus sentiret se ipsum esset, quòd esset virtus activa, etiam posito, quòd ejus actio esset immanens, requiritur enim ulterius, quòd non esset virtus organica; quia enim corporale non est ad se conversivum, nulla virtus corporali organo affixa potest esse organica; ad propositum B. D. sufficiebat aliquam causam adducere, neque oportebat aut opus erat adducere adæquatam.

Ad formam itaque concess. min. neg. conseq. Ratio autem est:

est: quia quando affirmatio est tota causa affirmationis, tunc negatio est tota causa negationis, & è converso, quarè tunc tenet commutata proportio, ut si dicatur, hoc esse album, quia habet albedinem, qua informatur, tunc benè arguitur; sed hoc non habet albedinem: ergo non est album, quia tota causa essendi album est albedine informari, quarè tenet à commutata proportione: ubi autem affirmatio non est tota causa affirmationis, neque negatio erit tota causa negationis, quarè in his non tenet commutata proportio, ut si dicatur, hoc comburitur, quia habet ignem sibi applicatum, verum est, sed non inde benè arguitur; sed hoc non habet ignem sibi applicatum: ergo non comburitur; videmus enim quod sine applicatione ignis sequitur combustio, nempè radius Solis per chrystallum transiens comburit. In proposito itaque quāvis verum sit, quòd sensus non habet virtutem activam, quia non sentit se ipsum, non tamen licet inferre, quòd intellectus habet virtutem activam eo quòd se ipsum intelligit, quia in illa propositione assumpta negatio non est tota causa negationis.

83 Adducit 5. idem B.D. in Quodl. 5. q. 15. qua docere ait, quòd ad intellectionem, ut est qualitas, se habet intellectus merè passivè, & illam recipit ab objecto; ad illam verò, ut est actio, se habet activè. Reponit autem N. Mans. quòd hoc loco non sent. Gavardi, sed suam docet B. D. quia argumentum in contrarium erat, quòd idem secundum idem esset agens & patiens; hoc autem solvit §. *propter argumentum autem in contrarium*, assignans distinctionem agentis à patiente, *quia agens non est sola potentia, sed simul cum objecto, patiens autem est sola potentia recipiens intellectionē.* Hæc sunt verba N. Manso, quæ volui adducere, ut qui legat tex. B. D. in illo §. videat qua fidelitate adducitur, verba tex. §. seq. adducemus, interim.

84 In illa q. quæritur, an idem secundum idem possit agere in se ipsum? Toto processu statuitur conclusio negativa ex triplici conditione agentis & patientis: 1. est quòd agens debet esse in actu, patiens verò in potentia; 2. quòd agens debet tangere passum mediatè aut immediatè: & 3. quòd agens præstantiùs est patiente, & quia idem secundum idem non potest habere illa tria, alioqui esset simul opposita, secundum idem nequit in se ipsum agere; quia tamen multipliciter secundum aliud, & aliud potest illa tria habere, explicat D. quot modis poterit idem in se ipsum agere secundū aliud & aliud: 1. secūdum aliam & aliam partē, ut quòd una pars

agat in aliã : 2. secundũ aliam & aliam potentiam, ut quòd idem totum per unam potentiam agat, per aliam patiatur : 3. secundum aliam & aliam perfectionem, ut existens in actu secundum unam perfectionem, potest se ipsum facere in actu secundum aliam; quod verò secundum idem agat in se ipsum & sit agens & patiens secundum eandem rationem, omninò est impossibile.

Patet ergo, quòd hoc loco excludit B. D. sent. Gav. si enim ad intellectionem, ut actio est, se habet activè, illam in se ipso causat, quare directè & secundum idem agit in se ipsum. Patet item, quòd excludit sent. N. Mans. quòd enim agat simul cum objecto & media specie non tollit, quin ipse intellectus secundũ entitativam virtutem suam agat & speciei coinfluat, si verè est activus : agit ergo in se ipsum secundum eandem entitatem suam. Præterea : non per aliam partem aut per aliam potentiam, sed per eandem idem in se ipsum ageret, quod esse impossibile intendit probare B. D. Patet insuper, quòd non est ad mentem B. D. illa expositio N. Manso, quod enim ait D. agens distingui à patiente eo est, quia agens est, aut objectum causans actum 1. intelligendi, aut voluntas applicans intellectum, quod clarius patebit §. seq. quo verba B. D. ex hoc eodem loco pro nobis adducemus.

Ne autem videamur difficultatem dissimulare, poterit quis ex hoc loco arguere : docet B. D. quòd idem existens sub una perfectione poterit se ipsum facere sub alia : ergo intellectus factus in actu per speciem intelligibilem, & existens sub perfectione ista poterit se ipsum facere in actu secundum aliam, & se movere ad actum intelligendi. Resp. quòd B. D. q. seq. de hoc expresse quærit, & §. *ostenso quomodo* ita habet : *ut aliquid existens sub perfectione substantiali faciat se ipsum ad perfectionem accidentalem vel existens sub una perfectione accidentali faciat se ipsum in aliam perfectionem accidentalem. Sed hoc non est quod directè in se ipsum agat, sed quia factum in actu ab alio, a se ipso debita perfectio fluit.* En quo sensu potest quis se ipsum facere sub aliqua perfectione, quatenus nempè naturali sequela una perfectio fluit & sequitur ad aliam : patet ergo, quòd nihil habet B. D. quod possit contra nos esse in his locis, quæ pro se Nostri adducunt.

***

****
****
****
****
****

§. II.

§. II.

Expenduntur loca B. D. pro Nostra sententia.

85 LIbet in primis illa adducere loca quæ pro contraria sent. citantur. Sit ergo 1. locus ex q. 1. de cog. Ang. quem pro se adducit N. Bonh. Ibi ergo intendit, quòd sensus se habet patsivè in actu sentiendi, & quòd sentire nihil est aliud quàm recipere speciem, sive impressionem factam à sensibili; objiciebat autem contra se difficultatem, quòd sensibilis species in medio recipitur, & tamen ibi non est sentatio, quarè sensatio non erit receptio speciei. Hanc difficultatem solvens §. *Inquiras ergo & perquiras* ita habet: *tamen impressio soni in aere exteriori sic est sonatio, quòd non est auditio; quia non est ibi virtus auditiva percipiens impressionem illam: sed impressio soni facta in aure, vel in aere nobis connaturali est sonatio & auditio; quia est ibi virtus auditiva percipiens impressionem illam.* En sensatio supra receptionem speciei tantum addit motum vitalem, quo percipitur; at intendit in q. illa de intellectione, & ad hoc adducit sensationem ut inde deducat, quód sicut est in sensatione, ita dici debet de intellectione: ergo.

86 Sit 2. locus, quem adducunt nostri Manso, & Cavardi, ex Quodl. 5. q. 15. Ibi ergo §. *propter argumentum*, quo potissimè conclusionem suam contineri ait N. Manso, ita concludit: *nam si causatur intellectio in intellectu, hoc erit per aliquid differens realiter ab intellectu; erit enim hoc vel per voluntatem se convertentem supra intellectum, vel per essentiam aliquam præsentem ipsi intellectui, vel per speciem assistentem ipsi intellectui, vel supplentem vicem objecti; semper enim actionem realiter differentem ab intellectu reducemus in aliquod agens quod realiter differt ab intellectu.* Sensus est, quód intellectio, ut est motus vitalis perceptionis, est activè ab intentione voluntatis se convertentis supra intellectum applicando ipsum; ut verò est activatio ipsius intellectus, est activè, aut ab objecto ipso, si sit per se ipsum præsens, ut in visione beata, aut à specie supplente vicem objecti, nunquam autem ab ipso intellectu.

87 Deinde 3. probatio desumitur ex q. 10. de mensur. Angel. §. *dicemus ergo.* quo ita habet. *Dicemus ergo quòd cùm Angelus vult intelligere lapidem, per voluntatem convertit se super speciem lapidis & se causatur in intellectu intellectio lapidis: si ergo prius non intelligebat lapidem, & postea intelligit lapidem, in*

ipsa intellectione lapidis erit considerare actionem, passionem, motum, & tempus: actionem quidem, prout per voluntatem convertit se super speciem lapidis, & causavit in intellectu suo per speciem lapidis intellectionem: passionem verò, prout talis intellectio est recepta in ipso intellectu: motum verò, prout de non intelligere lapidem processit ad intelligere lapidem: tempus quidē, prout in tali motu est numerus prioris, & posterioris. Clariora hæc sunt, quàm quod ulla indigeant explicatione.

88 Prob. 4. ex q. 4. de cog. Ang. qua intendit, quòd in Angelo est ponere species intelligibiles, & in solvendo motiva in contrarium §. *quod verò quinto dicebatur* ita habet: *Dici ergo potest quòd reducitur intellectus in actum à specie, quam habet in se, per intentionem voluntatis convertentis se super ipsam. Unde & Aug. P. in lib. de Trin. multoties hanc sententiā profert, quòd cum à specie quæ est in memoria, informatur intelligentia, est ibi voluntas nectens. Sed species, quæ est in memoria est species intelligibilis, informatio intelligentiæ est actus intelligendi causatus ab illa specie: cùm ergo hoc fiat per voluntatem nectentem, patet quomodo intellectus reducitur in actum per speciem intelligibilem, quia hoc fit per voluntatem convertentem se super illam speciem.* Idem habet in sol. ad 7. & sæpissimè, tum q. 5. seq. tum toto illo tractatu.

89 Tandem probatur ex alio loco B. D. quo authoritatem habet P. Aug. ex qua hanc doctrinam desumpsit, nempè in Quodl. 5. q. 6. & idem habet in 4. dist. 49. p. 1. q. 2. art. 5. quo idem quærit. Locus itaque S. P. habetur lib. 11. de Trin. cap. 8. ubi ita ait: *Sensus enim accipit speciem ab eo corpore, quod sentimus, & à sensu memoria, à memoria verò acies cogitantis. Voluntas porrò sicut adjungit sensum corpori, sic memoriam sensui, sic cogitantis aciem memoriæ; quæ autem conciliat ista atque conjungit, ipsa etiam disjungit ac separat.* Intendit S. P. quòd licèt semper apud nos habeamus illarum rerum, quas cognovimus, species, non semper sed cùm volumus, de illis cogitamus, quia nempè vitalis motus perceptionis sivè cogitationis non aliter fit nisi quatenus voluntas intentione sua applicat potentiam, & veluti conjungit speciei, sive quam à corpore aut objecto accipit, sive quam apud se habet in memoria, quod latius repetit seq. cap.

In locis ergo supra citatis quærit B. D. An esset possibile, quòd apertè quis videret Deum & non diligeret ipsum? Communis via probandi negativam con-

conclusionem erat, quod infinita bonitas ut talis cognita infinitè movet, quarè non potest non rapere voluntatem, & sic necesse est videntem Deum diligere ipsum; hanc autem rejicit contraria sent. quia posset Deus suspendere concursum suum cum voluntate, & tunc ipsa non diligeret. Hanc evasionem intendit excludere B. D. & probat ex illo loco S. P. quòd exercicium voluntatis est quodammodo de ratione ipsius visionis, seu quòd non potest intellectus esse in actu suo quin concurrat ibi intentio voluntatis, & consequenter, si supponitur, quòd intellectus est in actu videndi, ex hac suppositione implicat suspendi concursum voluntati; probat triplici ratione, quòd concurrit intentio voluntatis ad vitale exercitium in sensu, & concludit: *Et sicut est in sensu, ita est etiam in intellectu, quod sine intentione voluntatis conjungente Parentem proli nihil intelligere possumus; nam etsi esset ibi impressio sine intentione voluntatis, nullum tamen esset judicium de tali impressione* Patet ergo tam ex B. D. quàm ex P. Aug. quòd intelligere, idem de quovis alio vitali motu, exercetur quatenus anima movet per intentionem voluntatis, movetur verò percipiendo per intellectum, & consequenter, quòd ille se habet passivè in intelligendo.

Quo autem id magis explicetur, opponit contra se B. D. per hæc verba: *Verùm quia intellectus hominis non quiescit, fortè aliquis pertinaciter assereret, quòd possit esse intellectio dato quod non concurrat ibi intentio voluntatis, adducens pro se verba P. Aug. superiùs assumpta* 11. *de Trin. cap.* 8. *ubi planè videtur velle, quòd sine intentione voluntatis fiat visio, sed quòd nihil ex tali visione in memoria reponatur.* Quibus verbis tale intendit argumentum: aliud est intelligere, seu videre, aliud verò judicium de tali actu formare, & cognoscere nos percepisse: licet ad hoc 2. requiratur intentio voluntatis, non verò ad 1. Conf. quia nihil volitum quin præcognitum, est enim voluntas potentia cæca, quæ in omnibus sequitur ductum intellectus: ergo ad quemlibet motum voluntatis præcedit cognitio, & consequenter hæc non præsupponit intentionem voluntatis.

Ad hanc replicam resp. B. D. per hæc verba: *Propter quod sciendum, quòd, ut prius diximus, impossibile est esse judicium de re aliqua sine intentione voluntatis; nam quòd aliquis dicatur judicare de aliquo, ad quod nullo modo est attentus vel intentus, est omnino falsum. & quilibet in se ipso experitur hoc esse impossibile; dicere autem quòd nos intelligimus aliquid, de quo nihil ju-*

di-

dicamus, nec judicare possumus, est omnino ridiculum. Verba autē P. Aug. exponi possunt ut superius exposuimus: naturale est enim, ut diximus, quòd ad intentionem factam in potentia cognoscitiva concurrat ibi aliqualiter intentio voluntatis, licèt non sit naturale persistere vel non persistere in tali intentione, quia potest quis ad hoc se per voluntatem convertere. Quarè salvatur dictum Aug. P. quòd intentus valdè ad unum sensum non dicitur non sensisse secundum alium sensum, sed non meminisse, quia ex hoc non tollitur intentio voluntatis, sed ex hoc valdè debilitatur.

Verba B. D. volui latius adducere, quia ex eis solvitur præcedens difficultas, & clarius explicatur, quid est illa intentio voluntatis: itaque motus voluntatis non semper est velle, sed est aliquando naturalis impulsus animæ, qui ad summum poterit dici velle interpretativum: ad vitale ergo exercitium cujuslibet potentiæ hoc 2. requiritur, & quia naturale est animam se movere in percipiendo vitaliter impressionem factam in potentia percipiente, sine ulla deliberatione aut electione ad hoc voluntas concurrit; persistere autem in hac perceptione, super illam sic vel sic se convertere, hoc liberum est, & ad hoc concurrit voluntas per suum velle, ad quod præcedit cognitio, & de quo verum est, quòd nihil volitum quin præcognitum. Ex dictis poterit sufficienter constare mens B. D. circa præcedentem conclusionem, ampliùs autem constabit ex dicendis in sequentibus.

QUÆS-

QUÆSTIO IV.
DE
ACTU
INTELLIGENDI.

ARTICVLVS I.

Quid sit intellectio?

§. I.

Referuntur sententiæ.

90 NOn levis est in præsenti cõtroversia difficultas sententias ad capita revocare, ferè: nim unusquisque proprium habet explicandi modum, communiores itaque attingemus. Prima sent. docet, intellectionem esse passionem, nempe recipere speciem intelligibilem & ea informari. Pro hac cit. Gotifredus, & N. B. D. De hac satis dictum est in præcedentibus, neque ulteriori indiget examine: notum est enim, quòd intellectio est vitalis motus; at informari à specie nullam importat vitalitatem: ergo. Præterea: speciebus, quæ in memoria reservantur, informatur intellectus dum de illis nihil cogitat, non enim alia potentia est memoria quàm ipse intellectus, ut patebit inferius; at dum nihil cogitat non intelligit: non ergo intellectio, quæ ipsum significat exercitium intelligendi, in ipsa consistit informatione.

91 Secunda sent. docet intellectionem esse veram actionem, sive attactivam objecti, sive verbi productivam, utroque enim modo explicatur. Hanc tenent Conimb. Fonsec. & alij; hanc de mente Resol. latè propugnat Elis. hic q. 4. art. 8. & pro ea citat discipulos Resoluti, imò addit, actionem esse formaliter successivam. Hæc sufficienter excluditur textu ipso Phil. superius cit. ex 9. Met. tex. 16. quo discrimen assignat transeũ-

tis

tis ab immanente actione in eo, quòd transiens ponit terminum, immanens verò non habet alium finem sive terminum, quàm ipsum usum exercitium, verba hæc sunt: *Quorumcumque itaque aliud quiddam præter usum est id, quod fit, horum actus in eo, quod fit, est, ut ædificatio in eo, quod ædificatur & contexio in eo, quod contexitur, similiter & de alijs, & omninò motus in moto; quorum verò non est aliud opus quoddam præter actionem in ipsis met actio est, ut visio in vidente, & speculatio in speculante, & vita in anima.*

Præterea: quòd actio sit, & tamen merè & tantùm attractiva objecti, ut aliqui explicant, omninò est imperceptibile: actio enim est fieri rei, neque intelligi potest sine influentia agentis, & vera egressione, quia est propria actionis differentia conceptus *ab*; at attactio nihil tale significat, patet enim quòd attactus sive contactus meram significat duorum simultatem: ergo. Rursus: tangere, sive attingere nullam significat vitalitatem, attingere enim ex terminis significat ad aliud pervenire: non ergo intellectio esse potest mera attactio. Quodsi dicatur non esse materialem & emortuam attactionem, sed vitalem, tunc nomine attactionis significatur perceptio, sive ipsum concipere; hoc autem patet, quòd non est actio, neque activam influentiam aut tendentiam significat.

Quòd autem sit actio verbi productiva, amplius est difficile: tum quia verbum non producitur verà aliqua actione, alioqui ea esset transiens, & consequenter non in ipso intellectu, de quo latiùs infra: tum deinde, quia non semper intellectio habet verbum; hoc enim est imago, in qua intellectus contemplatur objectum; at hæc contemplatio intellectio est: non ergo in ipsa consistit verbi productione: tum tandem, quia dicere sive exprimere, quo formatur verbum, aliud est ac intelligere, stat enim intelligere sine dicere, ut jam patuit, & in Divinis Filius & Sp. S. intelligunt, non tamen dicunt: licet ergo dicere in illa actione consistat, de quo suo loco, intelligere verò, sive intellectio pro priori ad illam actionem debet concipi.

Quòd verò successionem habeat illa actio, manifestè repugnat rationi & experientiæ: experientiæ quidem, quia unusquisq; in se ipso experitur, quòd in instanti cogitationes & intellectiones multiplicat; successivum autem tempore mensutatur. Rationi item: quia non intelligitur successio nisi in habente partes, quarum una post aliam sit, in hoc enim partium ordine successio consistit, at intellectio, cùm sit spiritualis potentiæ exercitium nullas po-

potest partes habere: ergo. Longè itaque aliud est, quòd possit intellectus in uno actu aliqua duratione persistere, sive quòd in multiplicando cogitationes aliqua sit successio, quatenus una alteri ordinatur; ac quòd intellectio ipsa motus sit aut actio formaliter in se ipsa successionē importans: illud 1. evincit tantum Resoluti fundamentū, quod ipse adducit in Met. dist. 2. q. 7. art. 1. §. 5. non autem illa intellectio, in qua intellectus aliquādiu persistit successionem proinde habet, sed invariata manens successivè temporis durationi coexistit, non verò ea mensuratur, sicut neque tempore mensuratur Angelus aut operatio ejus, quamvis tempori coexistat, aut illi extrinsecè assistat tempus.

92 Tertia sent. intellectionem esse qualitatem, multis tamen modis ea explicatur. 1. modus, pro quo N. Manso citat. Suar. Vazq. & alios, docet, intellectionem esse ipsam qualitatem, quæ est verbum mentis. Sed in primis: non omni intellectione formatur verbum, ut ferè supponitur ab omnibus. Deinde: ex natura rei præcedit intelligere ad dicere, seu formare verbum, ex quo enim intelligit, sequitur exprimere seu dicere, vel loqui, quibus expressionibus significatur verbi formatio. Præterea: si intellectio in ipsa qualitate consistit, quæ est verbum mentis, intelligere erit hac qualitate informari, quæ est sent. Gotifredi. Si enim dicatur, quòd intelligere non informari, sed percipere est illam expressam similitudinem, quæ est verbum. In primis ista perceptio erit intellectio, non verbum, quod percipitur. Deinde: hæc perceptio, quæ est intellectio ipsa verbi formationem præcedit, perceptione enim illa exprimitur, & formatur verbum.

93 Secundus modus, quem tenet N. Mans. & quem dicit tenere percipuos Thomistas, docet, intellectionem qualitatem esse aliam à verbo, qua nempè verbum producitur, & quæ proinde modum actionis habet quatenus est virtualiter productiva, quarè in 3. conclusione sua ponit ipse, quòd formaliter est de prædicamento qualitatis, & eminenter de prædicamento actionis, deberet item addere, quòd est de prædicamento passionis, proculdubiò enim in ipso intellectu recipitur; quodsi quæras de qua specie qualitatis est? Resp. ipse §. præcedenti n. 10. quòd tam actus 1. quam 2. intelligendi sunt qualitates de 1. specie, nempè species intelligibilis, quæ est actus 1. est habitus, ipsa vero intellectio est dispositio, nempè qualitas transiens, & de facili mobilis.

94 Mihi quidem minus hæc quàm quævis alia explicatio placet: in primis ab hoc ultimo incipiens, neque species poterit dici habitus, neque intellectio ipsa dispositio est: non pertinent formaliter & propriè ad prædicamentum illæ qualitates, sed ad illud reducuntur, cujus similitudinem habent, sunt enim de linea intentionali: 1. autem eadem qualitas prout benè firmata & permanenter efficiens dicitur habitus, prout verò nondum benè firmatur in subjecto dicitur dispositio; at verò neque eandem qualitatem dicunt species intelligibilis & intellectio, neque species habet benè firmari & radicari, ordinatur enim ad ipsum actum intelligendi, pro quo præsens facit objectum. 2. qualitas de 1. specie est, qua benè vel male disponitur subjectum in ordine ad esse suum & operationem; non autem benè vel male se habet in se ipso per speciem aut intellectionem, pertinet enim species ad esse objectivum, & tantùm habet supplere objecti præsentiam, quarè ubi objectum se ipso est præsens nulla relinquitur species: magis ergo ad 3. speciem qualitatis reduci debent, quatenus quodammodo transmutationi assimilatur receptio speciei, quarè ipsa dici posset passibilis qualitas, intellectio autem passio est de hac specie qualitatis, ut infrà dicemus.

Deinde: quomodo qualitas de 1. specie, nempè dispositio sit productiva alterius qualitatis, nempè verbi, seu potiùs sit productio ipsa, habet enim modum actionis, vix potest intelligi: est enim productio, sive actio fieri rei prout ab agente, nempè ipse terminus productus, ut cõsideratur in exercitio egressionis ab agente, ut ipse explicat Manso: non ergo illa qualitas distincta à verbo producto potest esse actio, qua producitur. Præterea: illa qualitas distincta à verbo, quæ intellectio est, & qua verbum producitur; ab intellectu procedit activè se habente erga ipsam: ipsa ergo est terminus procedens, est enim per entitatem suam in prædicamento qualitatis & in 1. specie: ipsa ergo prout sic ab agente actio est, verbum vero prout ab ista alia est actio, si enim duplex est qualitas procedens, duplex est processio & fieri, quarè una actio per aliam producitur. Vlterius: formatio verbi munus est aliud ab intellectione, quo aliquando ipsa intellectio caret, ut ipse explicat: non ergo munus actionis habet intellectio, quando verbum non format, & tamen est exercitè & in actu actio immanens. Insuper: intellectionem formaliter ut talis est non importare originem, docet ipse ex D. Th. at sine origine non intelligitur actio aut modus actionis: ergo.

Ter-

95 Tertius modus est, quo sent. Scoti explicat Mast. q. 3. art. 1. quòd nempè intellectio est qualitas, & intelligere est effectus formalis ejus; addit tamen n. 37. quòd intellectus exercetur vitaliter producendo & operando, nempè producendo illam qualitatem exercetur vita phisica, operando autem & tendendo in objectum per illam qualitatem exercetur vita intentionalis, illud 1. ad genus causæ efficientis spectat, hoc 2. ad genus causæ formalis. Cuique patet difficultas hujus explicationis: 1. effectus formalis aut ipsã formam significat, aut modum se habendi subjecti sub ipsa; intelligere autẽ est motus & vitale exercitiũ: non ergo effectus formalis alicujus qualitatis. Prętera: effectus formalis aut formalis causalitas ipsum est informari; at illud tendere in objectum non est informari: non ergo aut est formalis causalitas, aut pertinet ad genus causæ formalis. Ulterius: duplex illud vitæ genus nullus hucusque agnovit, neque opus est hac productione per vitam phisicam: aut enim vita intentionalis est tendere in objectum sibi præsens, est tunc in specie intelligibili erat præsens, aut est effectus formalis, & tunc ipsa species intelligibilis est formalis similitudo objecti, & ea pro priori ad omnem productionem informatur intellectus: hujus ergo poterit esse effectus.

96 Alij illam qualitatem dicunt se ipsa productam; alij productam ab intellectu, non tamen productio hujus qualitatis, sed qualitas ipsa intellectio est; alij quòd non productio, sed tendencia in objectum per illam qualitatem productam; alij tria involuere prædicamẽta, qualitatem nempè, actionem, & passionem: & tunc multis modis explicant quid 1. est & veluti in recto; alij enim volunt, quòd est in recto qualitas, & alia importat in obliquo, & veluti de connotato; alij quòd in recto est actio; ipsa autem explicationum multiplicitas satis cujuslibet difficultatem innuit, ferè enim nullus sua quiescit. Tertia itaque sent. docet, quòd intellectio passio quidem est, non verò quæ est 6. prædicamentum, sed quæ est 3. species qualitatis, ea nempè est passio & passibilis qualitas; non autem formaliter ad hoc pertinet prædicamentum, quia ut jam diximus, alterius est generis, nempè intentionalis, sed quia modum habet hujus, ad hoc reducitur. Hæc proculdubio est sent. B. D. ut poterit constare ex locis, quæ expende mus.

§. II.

Proponitur & probatur Nostra sententia.

97 DIcendum ergo, quòd intellectio motus est vitalis ipsius intellectus, quo capit & percipit objectum sibi præsens in se ipso, vel in specie sua, quare ad prædicamentum qualitatis reducitur, & est de 3. specie, non quæ dicitur passibilis qualitas, sed quæ dicitur passio. Hæc conclusio apertè colligitur ex B. D. multis in locis, præsertim verò q. 10. de Mens. Angel. Prob. 1. ex Phil. in 2. de An. tex. 139. & seq. quibus docet, quòd auditio quædam sonatio est, & coloris visio quædam coloratio; at tum tex. 50. tum lib. 3. tex. 28. asserit, quòd quantum ad hoc idem est de intellectu ac de sensu: sentit ergo, quòd intellectio quædam assimilatio est intellectus cum re intellecta, & ideo sæpe habet quòd anima est quodammodo omnia, quatenus nata est omnia percipere, & quòd intellectus intelligendo fit res intellecta; at hæc assimilatio & veluti transformatio passio est de 3. specie qualitatis, sicut tristari & erubescere passiones sunt de prædicamento qualitatis: ergo. Patet hæc min. ex dictis in Logica disp. 4. n. 419. hæc enim qualitas dicitur aut quia ex passione inducitur, aut quia passionem nata est causare, quæ si permanenter afficit, passibilis, aut passiva qualitas dicitur; si autem in quodam transitu dicitur passio; jam autem illa assimilatio intellectus ex passione causatur, quæ speciem intelligibilem recipit: ipsa ergo intelligibilis species modum habet passibilis qualitatis, intellectio verò modum passionis.

98 Prob. 2. ex B. D. cit. q. 10. de Mens. Ang. qua quærit, in quo prædicamento sit tempus quod mensurat operationes Angelorum? Postquam autem latè probat, quòd non est in prædicamento quantitatis, subjungit quòd tempus est numerus motus, quarè non aliam habet realitatem quàm motus, latè quidem & impropriè motum accipit & tempus, quia neque propriè tempus est mensura durationis Angelicæ, neque motus ibi propriè esse potest: quia ergo motus in prædicamento est sui termini, est enim ipse terminus in fieri, ut ostendat, quòd tempus illud est in prædicamento qualitatis, latè probat, quòd intellectiones Angeli sunt qualitates quædam: itaque §. *imaginabimur ergo* ita habet: *Imaginabimur ergo quod ipsæ affectiones & intellectiones Angelorum quædam qualitates sunt.*

Hoc multiplici ratione probat. Secunda autem ratio sumi-

tur

ur ex eò quòd sicut est de intellectione nostra, ita debemus dicere de Angelica; atverò intellectio nostra quædam qualitas est, quam rationem per hæc verba concludit: *Ipse tamen motus intellectionum, prout homo de una intellectione tendit in aliam, vel etiam prout Angelus de intellectione, est in prædicamento qualitatis, in quo prædicamento est ipsa intellectio ad quam proceditur per talem motum.* Quod ut magis explicet, subjungit verba, quæ supra dedimus n. 87. quibus ostendit quomodo exercetur ipsa intellectio, quatenus nempè per intentionem voluntatis convertitur supra speciem, & percipit, quod in ea repræsentatur, & concludit, quòd sicut in eodem prædicamento, est una albedo & multiplex albedo, sive numerus albedinum, in eodem prædicamento erit numerus intellectionum, in quo est ipsa intellectio; *Et quia intellectiones illæ pertinent ad genus qualitatis, tempus, quod mensurat operationes Angelicas, erit in genere qualitatis.*

Deinde procedit ostendere in qua specie qualitatis sit intellectio, & §. *viso quod tempus* latè explicat quatuor species, & incipit determinare propriam uniuscujusque rationem; postquam autem ibi explicuit quod 4. species solùm reperitur in corporalibus, §. sequenti tres priores species explicat, ait ergo, qualitas vel est ab extrinseco & ex arte, vel ab extrinseco & ex natura; si sit ex arte est 1. species; *Si verò sit qualitas ab extrinseco & ex natura, tunc vel dicet actum, vel idoneitatem ad actum? Si dicit idoneitatem ad actum, sic est 2. species, naturalis potentia vel impotentia: si verò dicit ipsum actum & ipsam perfectionem, sic est 3. species qualitatis, passio vel passibilis qualitas.* Jam autem patet, quòd intellectio neque ex arte est, neque idoneitatem ad actum, sed actum ipsum significat: ipsa ergo species intelligibilis, quæ manentem formam significat, erit passibilis qualitas, intellectio verò, quæ affectionem significat in quodam transitu, erit passio, hoc enim ipse passionem à passibili qualitate distinguit.

Ne autem sola deductione nostra relinquatur conclusio, postquam §. *Distinctis speciebus* ostendit D. quòd neque ad 1. neque ad secundam speciem qualitatis pertinet intellectio; §. *Restat ergo*, differtè asserit, quòd pertinet ad 3. verba hæc sunt: *Restat ergo quòd hujusmodi intellectiones vel pertineant ad 2. speciem, vel ad 3. non autem pertinent ad 2. quia secunda dicit magis potentiam & idoneitatem ad actum, 3. verò magis actum & perfectionem: & quia hujusmodi intellectiones sunt ipsi ac-*

tus

tus & perfectiones, ad 3. speciem pertinebunt, & possunt dici passione quædam; non autem dicuntur passiones, sive passio secundum quod passio est prædicamentum, sed secundum quod passio dicit quandam qualitatem ex passione illatam. Imaginabimur, quod Angelus per volantatem suam mediante specie intelligibili causat in intellectu suo intellectionem, ita quod intellectio Angeli est quædam qualificatio potentiæ suæ intellectivæ prout hujusmodi potentia est aliquid passa a voluntate mediante specie intelligibili. Hoc idem sæpe ibi habet in solvendo argumenta.

Possent multa alia ex B. D. adduci, postquam autem latè adeò & expressè mens ejus constat ubi data opera intendit explicare, in quo prædicamento est intellectio, superfluum erit in hoc immorari amplius; nullus enim relinquitur ambigendi locus. Mirum tamen, quòd nostri Gavardi & Manso hoc eodem loco B. D. pro se adducunt, quarè oportet quòd textum ejus legerint, ubi autem invenire potuerit Manso quòd intellectio qualitas est de 1. specie, nempè dispositio, aut quòd modum habet actionis, sivè etiam actio est virtualiter productiva, cùm tamen data opera ostendat D. quòd neque ad 1. pertinet, neque ad 2. sed passio est de 3. specie, me latet omnino.

99 Prob. 3. à ratione, quæ ex præmissis colligitur. Intellectio est motus vitalis, quo anima percipit objectum intelligibile sibi præsens in se aut in specie sua; sed talis perceptio neque actio est, neque passio, quæ est speciale prædicamentum, neque item qualitas de 1. specie, quæ est dispositio: erit ergo qualitas de 3. specie, quæ dicitur passio. Maj. ex terminis patet, de illo enim vitali motu percipiendi quæritur, de alio enim exercitio intellectus, sivè alia sit actio, aut actus ejus, sivè aliud tantùm munus, nempè, quo formatur verbum, infrà specialiter agitur, quarè hìc tantum sermo est de intellectione ut est perceptio sive cognitio objecti. Min. ergo per singulas partes suas ostenditur.

Prob. itaque quantum ad 1. quòd non est actio: actio nulla intelligitur sine influentia & activo conatu agentis; sed illa perceptio non importat activam intellectus influentiã: ergo. Min. ex terminis patet, percipere enim in se ipso significatur. Maj. verò ex ipsa actionis quidditate sæpe probata est in præcedentibus; est enim actio fieri rei prout ab agẽte, quarè ejus differentia quidditativa est *ab*, quod influentiam agentis significat. Conf. Intellectio est visio animæ, eo enim intellectus dicitur oculus animæ, quia ejus actus est videre; sed vi-

visio non significat actionem aliquam sive conatum in aliud, sed perceptionem ipsius visibilis: ergo. Hinc patet altera pars min. passio enim, quæ est prædicamentum, non intelligitur esse sine actione, cùm sit receptio illius, quod per actionem inducitur; quamvis autem intellectio præsupponat receptionem speciei intelligibilis, non tamen in ipsa consistit, sed est vitale exercitium posterius & sequutum ad illam receptionem: non ergo talis passio est ipsa intellectio.

Quantum ad 3. partem, quæ est sent. N. Mans. ratione ostenditur illa min. quam *intendit* B. D. loco sup. cit. Qualitas enim de 1. specie & habet ex arte induci & eadem quæ 1. inducta & parum firmata in subjecto, est dispositio, magis radicata & benè firmata dicitur habitus, ea item benè disponit subjectum in ordine ad esse & operari; at nihil horum habet intellectio, ut de se patet: ergo. Restat itaque à sufficienti numeratione sententiarum, quæ de intellectione circumferuntur, quòd ea sit qualitas de 3. specie, quæ dicitur passio; quod item directè ostenditur, quia illa perceptio quædam qualificatio est, nempè quoddam transformari & assimilari, quod pertinet ad tale esse, & quia ex passione causatur, qua speciem intelligibilem recipit intellectus, passio est de 3. specie qualitatis.

§. III.

Solvuntur argumenta ex B. D.

100 QUia ex B. D. sent. suam deducunt Nostri, libet seorsim loca expendere, quæ contra nos assumunt. Arg. itaque 1. N. Manso ex B. D. in 2. dist. 24. p. 1. q. 2. art. 2. ex quo tamen verba non adducit, quare oportebit sensum illius art. breviter excurrere: quærit an intellectus & memoria sint plures potentiæ? Resp. negativè, & triplici via probat: 1. sumitur ex comparatione intellectus possibilis ad sensus externos, & in ea ait: quòd species intelligibilis non alio requiritur, nisi quia res intellectæ nō possunt per se ipsas esse præsentes intellectui nostro, *si enim lapis per se ipsum posset esse in anima non requireretur ibi alia species, sed lapis per se ipsum causaret actum intelligendi.* En supponit, quòd intellectio causatur ab objecto per se, vel per speciem suā. Deinde subjungit, quòd quia Deus in visione beata per se ipsum est præsens intellectui nostro, ridiculum esset ponere ibi speciem, quia objectum per se ipsum præsens multò magis potest actum intelligendi causare, quàm species; rationem per hæc verba assignat: *nam cum agens & patiens debeant habere esse distinctum, species lapidis, quæ est præsens intel-*

intellectui nostro, quia habet iàm esse cum intellectu, sicut perfectio habet idem esse cum suo perfectibili, per se ipsam non potest aliquid causare in intellectu nostro, sed oportet quòd vel hoc faciat in virtute intellectus agentis, quæ est potentia distincta ab intellectu nostro passibili, vel hoc faciat in virtute voluntatis se convertentis, super illam speciem.

En item supponit, quòd intellectio nequit esse actio ipsius intellectus, quia agens & patiēs debent esse distincta. Rursus neque species simul cum intellectu potest activè causare intellectionem, quod de mēte B. D. docet ipse Manso, quia, eo quòd intellectum informat, habet idem esse cum eo, sicut perfectio cum suo perfectibili, sed uno modo species causat activè in virtute luminis intellectus agentis nēpè ut intellectio est quædam similitudo objecti, alio modo causat applicata per intentionem volūtatis, nempè ut intellectio est vitalis motus. Hac via concludit, quòd sicut in sensu exteriori, cui objectum est præsens, à quo conservatur species, non requiritur alia potentia à qua conservetur, ita in intellectu, requiritur quidem potentia, à qua species conservetur, quia ea non potest ab objecto conservari, non autem quæ sit alia potentia ab ipso intellectu.

Secunda via sic incipit. *Via ad hoc idem sumitur ex actu intelligendi: nam intelligere est quoddam pati; nullus autem diceret, quòd una potentia patitur & alia cognoscit per passionem illam, sed illa eadem potentia, quæ patitur, cognoscit per passionem illam.* En iterum intellectio est passio quædam & de 3. specie qualitatis, quæ nempè ex passione causatur: quomodo autem ex hac via deducit, quòd memoria non est alia potentia ab intellectu, ad propositum non refert. 3. item via, quæ sumitur ex comparatione intellectus ad habitū, quo perficitur, nihil habet, quòd ad propositum conferat. Quid itaque in hoc art. potuerit invenire pro se N. Manso ego penitus non video, expressè enim nostram conclusionem supponit, & ne verbum habet, quòd possit in contrarium objici, quarè ego credo, quòd tex. ipse non legit, sed ex alio adduxit.

101 Arg. 2. N. Gavard. ex eodem B. D. in 1. dist. 5. q. 1. art. 2. Sed neque verba ipse adducit, neque in toto illo art. aliquid est, quòd possit ad præsentem controversiam pertinere, quærit enim, an vera sit illa propositio, *essentia generat?* In resolutione autem ne verbum quidem de intellectione habetur, quarè fortè in numeris error est.

102 Arg. 3. idem ex eodem B. D. in eodem 1. dist. 10. q.

q. 1. art. 1. §. *Propter hoc*, ex quo tamen non adducit verba. In illo art. quærit B.D. an aliqua Persona in Divinis procedat per modum voluntatis? §. cit. incipit propriam sententiam explicare, & tantùm habet ad propositum, quòd actio est duplex ex 9. Met. alia transiens, alia verò in manens; deinde subjungit, quòd actiones non transeuntes in Deo duæ sunt, cognitio & volitio, quarè cognitionem dicit actionem. Sed in primis ex ipso textu colligitur, quòd actionem latissimè accipit; tum quia ait, quòd origo actionem quandam importat: non autem potest origo dici actio nisi latissimè, originatur autem quidquid emanat, ut relatio à fundamento suo, nulla tamen ibi actio est: tum quia loquitur de Divinis processionibus, in quibus omninò non potest salvari actio de qua in præsenti controversia sermo est, nempè, quæ ab influentia agentis ortum ducit: vitales ergo motus actiones communi expressione dicuntur grammaticaliter & quantum ad modum significandi, quatenus ad modum actionis significantur, intelligere, amare, quæ ut aliquid agere sonant, & hoc sensu loquitur B. D. non autem proinde propriæ actiones sunt.

103 Arg. 4. idem ex B. D. in eodem 1. dist. 32. q. 1. art. 1. §. *sciendum*, ex quo item nulla adducit verba. In illo art. quærit B.D. an Pater & filius diligant se Spiritu S.? §. cit. pro resolutione permittit, quòd agens dicitur tripliciter agere aliquo, nempè forma, actione, & eo quod ex actione constituitur, ut calefaciens calore calefacit tanquam forma, calefactione verò tanquam actione; illa autem tria adaptans intellectui, ait, quòd intelligit specie tanquam forma, intellectione tanquam actione, & verbo tanquam eo quod ex actione intelligendi constituitur. Hæc ad propositum suum latè prosequitur D. & voluntati adaptat, ad præsens autem institutum poterit inde argumentum deduci, tum quia intellectionem dicit actionem; tum quia æquiparat de calore in calefaciente, & specie intelligibili in intellectu, ut sicut calefaciens calore calefacit tanquam forma, ita intelligens specie intelligit; at patet, quòd calefaciens ita calore calefacit, quòd actus calefaciendi actio est activè procedens à toto ex calore & subjecto ejus: ergo pariter.

104 Sed, ut ipse ait D. loco sup. cit. n. 101. in sol. ad 1. authoritates Sanctorum non sunt extendendæ, sed exponendę: quòd ergo actionem dicit ipsum actum intelligendi, jam patuit in sol. ad præcedens; quod verò æquiparat de intelligente quantum ad speciem intelligibi-

lem, & calefaciente quantum ad formam caloris, non debet extendi æquiparatio ultra id ad quod assumitur, alioqui sicut calefactio actio est transiens & transmutativa, ita posset de intellectione deduci: quandoquidem ergo ex alijs B. D. locis constat abundè, quo sensu species intelligibilis est forma intelligentis, sensus in proposito est, quòd intellectio habet modum actionis, & est exercitium ipsum quo intelligens intelligit, species verò habet modum formæ, & est quo per modum cujusdam aptitudinis; alioqui quãdo objectum ipsum est præsens, deberet cum intellectu facere unam essentiam, quæ influeret.

105 Arg. 5. idem ex eadem dist. q. 2. art. 1. §. *utrum autem*. Ex hoc autem solùm poterit argumentum sumi, quia ait non esse ad propositum ejus, quod ibi quærit, determinare an intelligere, generare, & dicere sint multiplex, vel una actio, quo nomine actionis intellectionem significat. Sed ad hoc jam supra diximus, quòd actionem dicit in lata acceptione, quatenus grammaticaliter, & quantum ad modum significandi actiones dicuntur actus immanentes: eodem autem modo nomine actionis significat generationem; cùm tamen in Divinis ad intra non possit accipi actio, prout ea est exercitium supponens influentiam agentis, de qua in præsenti vult ipse D. accipere. Patet itaque, quòd de mente B. D. nihil adducitur, quod possit esse contra nos.

§. IV.

Cætera argumenta solvuntur.

106 Arg. 1. Elis. Intellectio non pertinet ad genus qualitatis: ergo est actio de prædicamento. Prob. ant. 1. quia id asserit Phil. in 1. Ethic. cap. 3. Rursus: intellectio est actus 2. & significatur infieri; at qualitas est actus 1. & significatur in facto esse: ergo. Præterea: Qualitas non est tendentia in objectum; at intellectio est tendentia in objectũ: ergo. Ulterius. Qualitas producitur per actionem distinctam; at intellectio se ipsa dependet ab intellectu: ergo.

107 Resp. neg. ant. Ad 1. prob. tex. ille explicatus est disp. 1. dum agebatur de cõceptu vitæ, quarè ad propositum nihil addẽdum super est. Ad 2. neg. min. non enim quælibet qualitas significat formam permanentem, neque quælibet significat actum 1 & aptitudinem sive idoneitatem ad actum 2. Vidimus supra ex B. D. q. 10. de Mens. Ang. quòd in hoc differt 1. species à 3. quòd 1. species, atque etiam secunda significat idoneitatem ad actum, 3. autem species magis significat ipsum actum: deinde,

de, in 1. specie, quæ actum 1. significat dispositio non formam significat permanenter & in facto esse, sed transeunter, sive in quodam transitu, nempè de facili mobilem: qualitas ergo de 3. specie, quæ dicitur passio, neque actum 1. significat, sed actum 2. & exercitium quoddã, neque in facto esse, sed in quodã fieri, ut tristari, pallere ex passione aliqua, & similes, & hujusmodi est intellectio.

Ad 3. prob. 1. neg. min. non enim tendentia in objectum, quod sibi habet intellectus intimè præsens, sed perceptio ejus est intellectio, quæ magis est quædam assimilatio & qualificatio. 2. neg. cons. tendentia enim motus est, qui ad prædicamentum sui termini reducitur, quarè non actio esset, ut intendit ipse, dato quòd esset tendentia, sed magis deberet reduci ad qualitatem. Ad 4. neg. maj. sicut enim non quælibet qualitas est realitas aliqua, ita non quælibet actione producitur, & influentiã agentis. Rursus: se ipsa quidem dependet intellectio ab intellectu, est enim exercitium ejus, quod non aliud præsupponit exercitiũ; sed non proinde ab eo dependet tanquã actio aliqua, sed magis tanquàm passio, non enim est exercitium activæ influentiæ, quo aliquis terminus producatur, sed perceptio, qua intellectus rei intellectæ quodammodo assimilatur.

108 Arg. 2. idem: Phil. in præsenti agens de actione prædicamentali exemplificat in dolore, gaudio, & tristitia; sed quod de his dicitur, dici debet de intellectione: ergo ea est actio prædicamentalis. Conf. Potentia activa reducitur ad actum per actionem prædicamentalem; sed intellectus & voluntas sunt potentiæ activæ: ergo. 2. Intellectio est verus influxus potentiæ circa objectum: ergo actio. 3. Quod immediatè procedit ab agente actio est, quod verò procedit mediatè poterit esse qualitas; at intellectio procedit immediatè ab intellectu: ergo.

109 Resp. quòd Phil. in Prædicam. cap. de actione, ad hoc exemplificat de dolore & tristitia, ut probet in actione magis & minus reperiri, ut est magis & minus dolere, magis & minus calefacere, tum autem posset dici, quòd non sequitur inde actionem esse, quia magis & minus habere non sibi competit formaliter, sed ratione termini. Rursus: posset dici, quòd non in exemplum actionis, sed passionis assumit dolere, est enim dolor passio illata ab excellenti sensibili. Dicendum tamen, quòd actionem ibi valdè communiter accipit Phil. prout comprehendit omne id, quod modo actionis significatur & prædicatur; cuique autem patet, quòd dolore & tristari & similes affectiones pertinent ad quale esse, & sunt

qualitates de 3. specie, nempè passiones.

Ad Conf. neg. maj. tex. autem Phil. quem ipse assumit in probationem, loquitur de potentia activa efficienter, quæ ad actum reducitur actione transeunte, præter illam autem multę sunt potentiæ activæ, quæ sicut nihil efficiunt, ita non actione reducuntur ad actum; ut enim alia mittamus, forma est potentia activa perficiendi, non autem actione aliqua reducitur ad actum. 2. neg. min. jam enim patuit suprà, quòd intellectus non est potentia activa in ordine ad actum suum, imò id communiter supponitur, quòd intellectus est potentia passiva, & cum hoc componitur, quòd factus in actu per speciem activè se habeat. Ad 2. neg. ant. quod ipse deberet probare: intelligere enim nihil est aliud, quàm percipere, quod nullam influentiam significat. Ad 3. supponit pariter tum quod intellectio procedit, ut autè ait D. Th. supra cit. in hoc quòd est intelligere nulla ratio originis importatur; tum etiam supponit, quod intellectus est agens, quarę neg. conseq.

110 Arg. 3. N. Gavard. ex P. Aug. ib. 15. de Trin. cap. 5. quo de intellectione loquens ait: *Fieri in animo, vel ab animo nostro novimus & certi sumus; quomodo autem fiant, quanto attentius voluerimus advertere, tãto magis noster sermo succumbit.* Endocet S. P. ab animo & in animo fieri intellectionem; at fieri, aut actionem significat, aut non intelligitur sine actione: ergo. Deinde: rationem ex B. P. ibidē cap. 10. ita colligit. Quod importat egressionem à principio formali, & tendentiam ad terminum est vera actio; sed ita importat intellectio: ergo. Prob. min. ex illo Math. 15. *de corde exeunt cogitationes*, quod ipse glossat de intellectu moto à voluntate. Rursus: ex Phil. in 3. de An. dicente: *Quòd intellectus est quo anima operatur & intelligit*: sed operari actionem dicit: ergo. Ulterius: per intellectionē producitur verbum: ergo ea est actio, quod si aliquando non producitur, id est per accidens, quia objectum est prętsens se ipso.

111 Resp. ad authoritatē quidem S. P. quòd ea, si in toto rigore accipiatur, est contra arguentem; non enim actio fit, sed actione fit terminus: si ergo intellectionem fieri ait S. P. ipsa intellectio non actio est, sed terminus actionis. Quod itaque ait S. P. intellectiones fieri, non strictè debet accipi, sed latè pro eo quod est exerceri; quod autē ait ab anima, quo activum concursum videtur significare, non is est ipsius intellectus, sed animæ per intentionē voluntatis; proculdubio enim in omni motu vitali ani-

anima se movet, & habet in se activum principiú motus, nulla autẽ potentia potest se ipsam movere. Ad rationẽ in primis à principio formali nihil egreditur, sed tãtúm ab effectivo: deinde, quod egreditur non actio est, sed terminus; actio autem est egressio ipsa. Hoc missо neg. min. intellectio enim neque egreditur, neque aliquid ea egredi concipitur, alioqui non immanens, sed trãsiens actio esset, quæ nempè præter usum haberet terminum ponere: est ergo intellectio mera perceptio objecti, in qua nulla egressio, neque ullomodo ratio originis importatur, quomodo autem ea formatur verbum, dicemus infra.

Ad 1. prob. ex tex. Math. 15. apertè patet sensus in ipsa littera tex. facit nempè Xp. D. distinctionem eorum, quæ ab extra veniunt, & quæ intus formãtur in ipso homine ad intentum suum, quod scilicet, quæ ab extra sunt non coinquinant, hoc est non habent maculam peccati, benè autem quæ intus formantur, & hæc sunt ait de corde exire; quarè dato, quòd in rigore accipiatur ly *exire*, non ab intellectu, sed à voluntate, cui tantum peccare convenit. Ad 2. ex tex. Phil. jam supra dictum est, quòd ly *operatur* tantùm significat exerceri, quarè neg. min. Ad 3. neg. ant. non enim intellectione formaliter ut est intellectio, sed ut est dictio, formatur, verbum quæritur autem de ea ut est intellectio. Rursus: verbum non producitur, ut suo loco dicemus, alioqui actio, qua formatur, esset transiens, talis enim est, quæ terminum ponit juxta Phil. 9. Met. tex. 16. Quæ pro se habet N. Manso procedunt de formatione verbi, & ejus distinctione ab intellectione, quarè infra adducentur.

ARTICVLVS II.

A quonam causetur intellectio?

112 Hæc difficultas sufficiẽter potest ex præmissis solvi, præsertim ex dictis art. præcedenti quarè ab ea expedienur breviter; dubitatur autem de causa productiva, nulli enim dubium, quin in ipso intellectu passibili recipitur intellectio, & ab eo hac ratione causatur. Prima sent. docet, ab intellectu agente tanquam à tota causa activa causari. Ita N. Toletan. locis sup. datis q. 2. art. 3. de qua satis ibi dictum est. Secunda sent. docet ab objecto causari tanquam à tota causa. Ita Gotifred. quatenus docet, intellectionem nihil esse aliud, quam speciem intelligibilem in intellectu receptam, pro eadem citatur ab aliquibus B. D. immeritò tamen, quia lon-

longè alia est mens ejus, ut jam in præcedentibus patuit. Hæc de facili rejicitur: est enim intellectio vitalis motus, de cujus ratione est activè procedere ab ipso vivente.

113 Tertia sent. docet, intellectionem activè causari præsuppositivè quidē à phantasmate & intellectu agente, formaliter verò ab ipso intellectu possibili. Ita Resol. D. ut ex Eliseo colligitur; docet enim in phantasmate, neque enim aliam agnoscit speciem intelligibilem, quidditates intelligibiles contineri, quæ apparent ex irradiatione intellectus agentis: ab his in virtute illius irradiationis activè movetur intellectus possibilis quadam excitatione, qua sic motus elicit actum intelligendi, actionem nempe, qua tendit in objectum: quatenus ergo hæc tendentia est ipsa intellectio, ea formaliter causatur activè ab ipso intellectu possibili; quatenus verò præsupponitur illa excitatio, qua movetur & veluti applicatur, dicitur præsuppositivè causari à phantasmate & intellectu agente. Hæc in primis ex communi doctrina rejicitur, quæ jam veluti principium habetur, & ex textu Phil. apertè deducitur, quòd nempe directè & immediatè nihil potest actionem in se ipsum habere; at intellectio in ipso recipitur intellectu, de quo nullus dubitat: non ergo potest ipsius intellectus actio poni. Præterea: est etiam commune principium, quòd intellectus trahit res ad se, voluntas autem fertur ad res: volitio ergo habet modum tendentiæ in objectum, intellectio verò non potest dici tēdentia. Insuper: data illa tendētia, ea non est intellectio, sed in termino hujus tendentiæ pervenire ad objectum & illud capere, percipere, seu videre hoc est intelligere, in hoc autem percipere nulla importatur activa causalitas intellectus.

114 Itaque 4. eaque communis sent. docet intellectionem ab utroque procedere tanquam à tota causa, ab intellectu, scilicet, & à specie, nempè causatur activè intellectio ab intellectu per speciem informato, ad modum quo á toto concreto ex subjecto & forma causatur actio quelibet. Hæc item rejicitur: 1 quia à toto concreto ex subjecto & forma procedit actio, quatenus forma perficit, informat, & cōstituit unam essentiam cum subjecto, cujus est unum esse & agere; at species intelligibilis non est forma perficiens & informans intellectum possibilem: non ergo potest cum eo agere, sive esse actum ejus & virtutem qua agat. Patet min. accidit enim & est extra rationem speciei, quòd inhæreat & informet, & eó essentia Divina potest uniri per modum speciei. 2. species non est virtus intel-

intellectus, sed virtus objecti; at intellectio actio est à toto concreto procedens erit virtus intellectus: ergo. Min. patet ex terminis; maj. autem, quia species est vicaria objecti, neque aliud habet munus quàm objectum repræsentare & pro eo substituere, quarè ubi objectum per se ipsum est præsens & unitur intelectui nulla requiritur species, ut in visione beata.

Tertiò. Quando actio procedit tanquam à vera causa à toto concreto ex subjecto & forma, forma illa reddit subjectum virtuosum & potens; at species nequit intellectum virtuosum reddere & potentē: ergo. Ostenditur min. Quia quod subjectum reddit virtuosum subjectivè se habet ad ipsum; species autem formaliter & per se non subjectivè sed objectivè tantúm se habet ad intellectum, nempe munus ejus per se & ut species est tantùm est supplere præsentiam objecti, seu ipsum facere præsens; patet autem, quòd præsentia objecti ad intellectum non subjectivè, sed objectivè tantum se habet. Tandem: non potest hæc sent. vitare inconveniens, quod vitare intendit, quòd nēpè idem secundum idem est agēs & patiens; docet enim, quòd agens intellectionem est concretum ex intellectu & specie, patiens verò ipse intellectus. Ostenditur assumptum: actus 2. ea ratione qua est actus 2. non comparatur ad potentiam nisi medio actu 1. sed intellectus absolutè est potentia pura, intellectio autem æquè quantum ad causari activè, & quantum ad recipi est actus 1. & ultimum exercitium intelligendi: si ergo ut actus 2. procedit à potentia media specie tanquam actu 1. pariter ut actus 2. media ea tanquam actu 1. recipitur, aut, si non obstante quòd est actus 2. potest immediatè in nuda potentia recipi, pariter immediatè à nuda potētia procedit. Præterea: sicut intellectio non intelligitur procedere nisi pręsente eo, quod intelligitur, ita non intelligitur in intellectu recipi: æquè ergo quātúm ad utrumque à specie dependet aut non dependet.

115 Quinta ergo sent. est, quam tenet B. D. locis art. prec. datis, docet, quòd intellectio uno modo causatur activè ab objecto per se, vel per speciem suam in virtute luminis intellectus agentis, non quidem propriè & in genere causæ à *qua*, sed latè & in genere causæ *ad quam*; alio autem modo causatur activè à voluntate, sive ab anima per intentionem voluntatis: sensus est, quòd intellectio ut est similitudo objecti ab objecto causatur per se, vel per speciem suam non sæcus ac in speculo causatur imago objecti ab ipso objecto præsenti; ut autem

est vitalis motus perceptionis, causatur activè ab anima per intentionem voluntatis. Quòd hæc sit mens B. D. sufficienter colligitur ex verbis ejus in præcedentibus adductis.

116 Prob. ergo 1. ex B. D. duobus locis quæst. præc. art. 2. adductis: 1. habetur n. 86. ex Quodl. 5. q. 15. quo hæc verba habet: *Nam si causatur intellectio in intellectu hoc erit per aliquid realiter differens ab intellectu; erit enim hoc, vel per voluntatem se convertentem supra intellectum, vel per essentiam aliquam præsentem ipsi intellectui, vel per speciem assistentem ipsi intellectui & supplentem vicem objecti.* En apertè intellectio uno modo causatur per intentionem voluntatis, nempè ut est motus vitalis; alio modo causatur, aut ab objecto ipso per essentiam suam intellectui præsente, ut in visione beata aut à specie, quæ vicem objecti supplet, & id facit, quod faceret objectum si per se ipsum esset præsens. Alter locus habetur ibidem n. 87. ex q. 10. de Mensur. Ang. §. *Dicemus ergò*, quo ita habet: *in ipsa intellectione lapidis erit considerare actionem passionem, motum, & tempus: actionem quidem, prout per voluntatem convertit se super speciem lapidis, & causavit in intellectu suo per speciem lapidis intellectionem.* Alia loca mitto, quia ex his satis constat mens ejus.

117 Prob. 2. à ratione, quantum ad 1. quidem: quia ab illo causatur activè intellectio ut est assimilatio quædam, cujus est similitudo; est autem procul dubiò similitudo objecti, aut speciei prout hęc est objecti imago: ergo. Quantum ad 2. item, quod non propria causalitate, sed in genere causæ *ad quam*, & per quandam resultantiam: quia quando effectus procedit à causa sua sine ulla ejus influentia, non vera causalitate, sed resultantia quadam procedit, & eo talis dicitur causa *ad quam*, quia ad positionem ejus aliud consequitur; sed objectum sive per se ipsum, sive per speciem suam non intelligitur habere influentiam: ergo. Maj. patet, quia illa influentia est causalitas efficientis. Min. item: quia per solam objecti præsentiam aut in se ipso, aut in specie sua fit intellectus in actu. Conf. Sic se habet objectum, aut species intelligibilis ad causandam illam assimilationè, quæ est intellectio, sicut se habet objectum ipsum ad causandam similitudinem sui in medio; sed hæc causalitas sine ulla influentia exercetur ex sola objecti præsentia: ergo & illa. De hoc iterum q. 6. art. 2. agitur.

Quantum ad 3. quod ab intentione voluntatis procedat activè intellectio ut est motus vitalis, id in primis apertè habet

S.

S.P. supra adductus, quòd nempè voluntatis est speciem intellectui conjungere veluti parentem proli. Deinde: motus vitalis est se movere ipsius animæ, seu ipsa est, quæ movet, & movetur; sed nequit eadem potentia movere & moveri: ergo quandoquidem constat, quod in intelligendo movetur intellectus, nequit ipse movere, & consequenter activè movens est voluntas, quæ ipsum applicat. Maj. est definitio vitæ ab omnibus admissa. Min. abundè probata est in præcedentibus, quia idem directè & secundum idem nequit esse in actu & in potentia, superius & inferius, relativum & terminus ejusdem relationis, quæ omnia interveniunt inter movens & motum. Prætetea: eò vivens in eo quòd tale habet heterogeneitatem partium & potentiarum, ut una moveat, alia moveatur, quarè superflueret organizatio & diversitas partium, si idem secundū idem posset movere & moveri.

118 Argumenta in contrarium omnia in præcedentibus soluta sunt: 1. enim arg. ex famosa authoritate P. Aug. ex qua commune principium deducitur, quòd ab objecto & potētia paritur notitia. Sed inprimis de notitia loquitur S. P. non formali & quæ est actus intelligendi sed objectiva, & quæ est verbum mentis, quarè locus ille relictus est infra examinandus q. 5. qua agitur de verbo mentis. Deinde: non ait S. P. quòd à potentia ipsa paritur, sed à cognoscente, verba enim sunt: *Ab utroque enim notitia paritur, à cognoscente & cognito*; ex quo autem cognoscens se habeat activè, non sequitur, quòd per intellectum. Tandem in ipsis verbis S. P. habetur sensus, ait enim, *quòd ea dicuntur parta quasi reperta atque comperta, quia partum mentis sæpe præcedit inquisitio*: Non ergo notitia paritur à potentia, hoc est, producitur, aut activè causatur, quod enim reperitur potius ab alio causatum supponitur.

119 Arg. 2. Quod movet intellectum ad actum intelligendi est tota causa activè productiva intellectionis; sed objectum per se vel per speciem suam movet intellectum: ergo. Ad hoc arg. N. Bonher. resp. quòd objectum non movet ut tota causa, sed ut instrumentum, & in virtute luminis intellectus agentis. Sed hæc solutio cum doctrina ipsius non benè cohæret; sequitur enim quòd principale agens & tota causa intellectionis erit intellectus agens, ut intendit sent. N. Toletan. docet autem ipse Bonher. quòd est intellectus possibilis factus in actu per speciem, ut ponit cōmunis sent. Directè neg. maj. intellectio enim est vitalis motus, & consequenter debet habere principium activum in ipso

vivente, vel claritatis gratia dist. Est tota causa intellectionis pro materiali entitatis suæ, sive ut ea est similitudo quædam objecti, mitto maj. Est tota causa intellectionis pro formali, sive ut ea est perceptio & vitalis motus, neg. maj.

120 Arg. 3. Objectum intelligibile tale est in actu qualis est in potentia intellectus, insuper habet reducere intellectum de potentia ad actum; sed istæ sunt conditiones agentis, quòd nempe sit tale in actu, quale est passum in potentia, & quòd passibile subjectum de potentia ad actum reducat: ergo. Ad hoc itē ex dictis patet: in primis enim non eæ tantùm conditiones arguunt rationem agentis, sed insuper requiritur, quòd per influentiam aliquam & veram causalitatem reducat passum de potētia ad actum, quod objectum non habet. Deinde: arguitur quidem, quòd objectum habeat rationem agentis, non verò quòd sit tota causa; ut enim intellectio est motus vitalis, neque objectum est tale in actu, qualis est in potentia intellectus, neque habet intellectum de potentia ad actum reducere; quo patet ad formam.

121 Arg. 4. Intellectio est actio vitalis atque immanens; sed eo quod vitalis est ab ipso principio vivente, siquidem vita est motus à se, eo quòd immanens est activè ab eodem, in quo recipitur: ergo quandoquidem constat, tum quòd principium vivens per intellectionem est ipse intellectus posibilis, tum quòd in eo manet & recipitur intellectio, ex utroque deducitur, quod ab eo causatur activè. Hoc unicum ferè est communis sent. fundamentum, quod tamen ab omnibus reputatur evidens & manifesta demonstratio; quod enim ali qui argu unt, quòd intellectus non est pote ntia purè passiva, id assumit, de quo specialis art. instituitur.

122 Resp. dist. min. quātum ad 1. Est in ipso principio vivente à principio *quod* sive totali, conc. min. A princi pio *quo* neg. min. Vivere enim est se movere, quaré quod vivit est quod movet & quod movetur; potentia autem non est *quod* vivit, sed *quo* totum vivit, quarè non oportet, quòd ipsa moveat & moveatur, sed sufficit quòd alterum habeat. Quantum ad 2. aut dist. eodem modo, nempè manet in eodem totali principio, aut potius neg. min. ut enim ex Phil. patuit supra, actio immanens non eo talis dicitur, quia manet in eodem principio, à quo procedit, sed quia non ponit terminum, quarè in ipso usu consistit: ut ergo intellectio sit actio immanens sufficit, quòd non talis sit qua aliquis terminus producatur, neque

que requiritur quòd ab eadem potentia, in qua est, procedat activè. Ex his poterit ad alia patere.

QUÆSTIO V.
DE OBJECTO INTELLECTUS.

ARTICULUS I.

Quodnam sit objectum specificativum intellectus nostri?

123 DE conclusione hujus art. nulla est controversia, omnes enim uno ore statuunt, quòd objectum intellectus nostri est ens in tota sua latitudine acceptum; nonnihil tamen difficultatis habet rationem *sub qua* determinare. In primis enim intellectus & voluntas duæ potentiæ sunt æqualis latitudinis, ita quòd quidquid intellectus intelligere, potest & voluntas velle: quia ergo æqualis sunt latitudinis, si intellectus ad totam latitudinem entis se extendit, pariter debet se extendere voluntas; quia tamen diversæ potentiæ sunt, diversa debet esse utriusque ratio objectiva; licèt enim non à priori specificentur potentiæ ab objectis; supponit nihilominus diversitas potentiarum, quòd diversam habent rationem objectivam: debet ergo in ipsa ratione universalissima entis diversa ratio accipi, qua ad intellectum & voluntatem pertineat tãquam proprium uniuscujusque objectum.

Nec refert dicere, quòd ad intellectum sub ratione veri, ad voluntatem sub ratione boni determinatur. Quia ratio veri objectivè & transcendentaliter accepti, ut communiter ponitur, in ipsa consistit rei quidditate sub habitudine ad intellectum, ratio autem boni ipsa etiam est

rei entitas sub habitudine ad voluntatem; ac verò, tum quia habitudo illa est secundum dici transcendentalis, quarè nihil addit, tum quia non nisi ex fundamento potest diversificari, propriori ad ipsam habitudinem debet diversa ratio assignari propria uniuscujusque potentiæ; nihil autem accipitur nisi nuda & universalissima ratio entis.

124. Deinde: nostra potentia intellectiva minoris est ambitus & latitudinis, quàm sit intellectus Divinus aut Angelicus, quia inferioris est gradus in perfectione sua; si autem ejus objectum est ens in tota latitudine sua ejusdem relinquitur latitudinis, neque enim ultra totam entis latitudinem aliquid potest accipi: debet ergo hoc utrumq; componi, & quòd ad totam entis latitudinẽ se extendit capacitas intellectus nostri, quia quidquid utcumque esse habet, conceptibile est à nobis, & subinde continetur sub objecto intellectus nostri, & etiam quod minor est latitudo ejus, quàm intellectus Divini aut Angelici.

Nec refert dicere, quòd intellectus noster inferior est, non quantùm ad latitudinem eorum, quæ potest intelligere, sed quantùm ad modum ea intelligendi. Id quidem verum est, sed hæc diversitas & inferioritas in modo cognoscẽdi arguit aliquam diversitatem in ratione objectiva, sive quia ab objecto specificatur, sivè quia ex objecto notificatur perfectio potentiæ. Deinde objectum cujuslibet potentiæ eò dicitur adæquatum, quia adæquat latitudinem ejus: si ergo objectum intellectus nostri idem est ac intellectus Divini, aut Angelici, eadem erit latitudo ejus, & perfectio, quarè ut inferior sit debet aliqua ratione determinari. Præterea: quòd conveniat in latitudine eorum, quę attingit, non verò in modo, quo attingit, est quòd conveniat in ratione *quę*, non verò in ratione *sub qua*: hæc ergo ratio *sub qua* debet determinari.

N. Manso difficultatem evacuase se putat ponendo, quòd specificativum intellectus nostri est ens reale finito modo attingibile, quatenus per ly *ens reale* designatur latitudo eorum, quę potest intelligere, per ly verò *finito modo attingibile* modus quo intelligit. Sed in primis, quòd sit finito modo attingibile non aliquam rationem, aut determinationem in ipso objecto significat. Deinde: intellectus Angelicus finito etiam modo attingit. Quodsi addatur finito modo attingibile per discursum, nihil etiam ex parte objecti hæc determinatio significat, sed potentialitatem intellectus; idem enim omninò, quod noster intellectus modo potentiali & per discursum cognoscit, Angelus per-

percipit simplici intuitu, & sine discursu.

125 N. Gerardus de Senis latè hanc difficultatem versat q. 2. Prol. art. 1 cum quo dicendum, quód objectum specificativum intellectus nostri est ens in tota latitudine sua prout reducibile est in suas causas & principia. Hæc conclusio sufficienter determinat proprium modum intellectus nostri & diversitatem ejus tum à voluntate, tum ab intellectu Divino & Angelico. In primis enim: quatenus ens ponit in tota latitudine sua, omne id comprehendit, quod per se & ut proprium objectum potest percipere. Deinde: per hoc quod accipit ut est reducibile in suas causas & principia, potentialitatem ejus indicat, reducere enim unúquodque ad principia sua fit per discursum. Tandem: diversa est ratio objectiva intellectus & voluntatis, quamvis eadem sit utriusque latitudo, & illud idem, quod intellectus intelligit, possit voluntas velle; quia illud idem, quod ad causas & principia sua benè reducitur, integritatem habet & perfectionem in prædicatis suis, & hoc 2. est ratio boni objectiva pertinens ad voluntatem, illud 1. est ratio veri specificativa intellectus; & hæc est 1. probatio conclusionis.

126 Probat 2. eandem conclusionem N. Gerardus: Quia id est objectum adæquatum intellectus nostri, quod continet omnes veritates, quas potest attingere, & excludit illas, ad quas non potest pervenire; sed ita se habet ens in tota latitudine sua ut est reducibile ad suas causas & principia: ergo. Prob. min. quantum ad 1. quia quælibet veritas à nostro intellectu attingibilis, aut est principij, aut principiati; utrumque autem illa ratio comprehendit, quia reductio ad principium, & principiatum attingit, quod reducit, & principium, ad quod reducit. Quantum ad 2. item: quia reducibilitas ad principium modum refert, quo si ipsa reductio, nempe per discursum, & componendo atque applicando unum alteri, quarè excludit, quòd aut soli Deo, aut Angelo competit, nempè tum infinito modo, tum simplici intuitu percipere, in quo non importatur habitudo ad causas & principia.

127 Prob. 3. Id est adæquatum & specificativum objectum intellectus nostri, quod cum hoc, quod adæquat latitudinem ejus, refert & explicat proprium modum, quem intellectus habet in perfectissimo actu suo; sed ita se habet ratio assignata: ergo. Patet maj. quia conatus potentiæ est perfectè attingere objectum suum; ille autem conatus maximè explicatur in perfectissimo actu. Prob. min. Quia perfectissimus actus intellectus est scire;

at scire est rem per causam cognoscere, sive ipsam reducere in causas & principia sua: ergo.

128 Postquam determinatum est de objecto intellectus metaphisicè & in tota latitudine sua, restat determinare de objecto ejus connaturali, sive pro hoc statu. Pro cujus expeditione notandum, quòd intellectus potentia est perceptiva sive cognoscitiva; perceptio autem manifestationem supponit illius, quod percipitur, manifestatio verò lumine fit: sicut ergo tota latitudo intellectus nostri omne comprehendit lumen, cujus ipse est capax, ita determinatio ad connaturalem statum ad lumen naturale restringitur, & ad ea quæ in tali lumine manifestantur. Quia itaque connaturale lumen intellectus agentis tantùm habet irradiare super phantasmata, cõnaturale objectum intellectus nostri pro hoc statu est ens materiale phantasiabile, sive natum in phantasmate repræsentari; si quid autem ultra hoc attingit pro hoc statu, non directè & per se attingit, sed indirectè & per speciem rei materialis; & in hac cõclusione omnes conveniunt, quare non est cur in ea ostendenda immoremur amplius.

129 Arg. 1. contra principalem conclusionem: Deus proculdubiò continetur sub objecto intellectus nostri metaphisicè & in tota sua latitudine accepto; sed non continetur sub ratione entis ut est reducibile ad causas & principia sua: ergo. Patet maj. Quia de fide est, quòd noster intellectus capax est videndi Deum. Patet item min. quia Deus causas non habet aut principia, ad quæ reducatur, quarè non est ens reducibile ad causas. Resp. quòd qui benè definit contraria consignificat: dicere ergo, quòd intellectus noster habet pro objecto ens reducibile ad causas & principia, non est dicere, quòd determinatur ad ens principiatum & quod causas habet, ad quas reducatur, sed quòd modus proprius ejus est ad causas reducere, quarè quidquid attingit sub hac ratione attingit, nempè ens principiatum ad principia sua reducit, Deum verò cognoscit quatenus cognoscit, quòd principia non habet, ad quæ reducatur: quarè ad formam dist. min. Non continetur positivè, conc. min. Remotivè, neg. min.

130 Arg 2. Objectum intellectus nostri idem est quod objectum Metaphisicæ; sed Metaphisicæ objectum est ens in eo quod ens: ergo. Maj. communiter supponitur, & ratione patet: eò enim Metaphisica dicitur scientia communis, quia non determinat intellectum ad aliquod particulare scibile, sicut aliæ scientiæ, quæ eo dicuntur particulares, sed ipsum rectificat in ordi-

sine ab objectum commune omnium. Min. docet B. D. tum lib. 1. Met. q. 5. cujus conclusio talis est: *dicendum, quòd Deus non est subjectū sed ens in eo quod ens*, tum lib. 4. q. 1. & ratione ostenditur: si enim latiùs pateret objectum intellectus, quàm Metaphisicæ, aliquid comprehenderetur sub objecto intellectus, quod non esset de consideratione Metaphisicæ, quod patet esse falsum.

131 Resp. dist. maj. Idem est objectum sub eadem ratione, neg. maj. Idem est objectum, sub diversa tamē ratione, conc. maj. Itaque Metaphisica dicitur communis facultas eò quòd de communi objecto intellectus agit, nempè de ente, quod autem additur in eo quod ens est, universalitatem determinat, & hoc tantùm intendit B. D. cum hoc tamen stat, quòd non sub eadem ratione attingat ac intellectus, alioqui superfluerent aliæ scientiæ: collectio ergo scientiarum adæquat objectum intellectus tā ex parte rationis *quæ*, quàm ex parte rationis *sub qua*, unaquæque particularis de particulari ente agit reducendo ad causas suas, Metaphisica, eo quod cōmunis, de ratione entis agit; sicut autem cum alijs convenit in ratione scientiæ, & ab illis differt in ratione talis, ita ens attingit reducibile ad causas, qua ratione convenit, qua verò differt, non tale ens, quia ipsa communis est facultas, sed tali modo reducibile, nempè ad altissimas & primas causas, seu ad principia, quæ ex ipsa ratione entis desumuntur, quarè determinat rationem *sub qua* intellectus.

ARTICULUS. II.

Quodnam sit primò cognitum ab intellectu nostro?

§. I.

Referuntur sententiæ, & explicatur sensus controversiæ.

132 DUos potest sensus habere præsens dubitatio: 1. an singulare directè & 1. cognoscatur 2. Alter, misso de singularibus dubio, an inter ipsa prædicata universalia incipiat cognitio nostra per se & ex natura rei à magis universali, & procedat ad speciem, an potius è converso à specie incipiat, & procedat ad superiora prædicata? In priori sensu determinabitur seq. art. In hoc posteriori, nunc quæritur. Duplex versatur sent. Prima docet, quòd ab inferiori incipit cognitio nostra, & procedit ad magis universale. Hanc tenent universim Scotistæ. Altera è converso docet, quòd à magis universali. Hanc tenent Thomistæ, & communiter reliqui. Controversiam determinat Phil. in 1. Phis.

1. Phis. tex. 4. & ibi B. D. lec. 1. de ea etiam agit N. Gerard. in 1. dist. 3. q. 3. art. 1. ea quidem magna contentione versatur, ut autem puto, tota est de modo loquendi.

133 Pro cujus expeditione not. quòd utriusque sent. DD. conveniunt in eò quòd per se, & ex natura rei processus nostræ cognitionis est à toto ad partes, & a cognitione confusa ad determinatam, id enim expressè habet Phil. tex. cit. atverò uno modo totum est universale, & particulare habet rationem partis, patet enim, quòd animal v. g. quoddam totum est, cujus partes sunt hoc, & illud, & illud animal, omnia enim sub se comprehendit; alio autem modo totum est species, cujus partes sunt prædicata universalia, v. g. homo quoddam totum est, cujus partes metaphisicæ sunt corpus, vivens, animal: relinquitur ergo controversia, quæ nempè totalitas prior sit ex natura rei? Hoc latè expendit B. D. cit. lec. 1. dub. ultima ubi ita habet: *Dicendum, quòd per se loquendo semper confusa & indistincta sunt nobis prius nota, tendit enim nostra cognitio ab imperfecto ad perfectum, & à potentia ad actum, & per consequens ab indistincto ad distinctum; & quia cognitio rei ut est quoddam totum est indistincta & quasi confusa respectu cognitionis ejus ut distinguitur per partes, ideò cognitio totius secundùm se præcedit quoad nos cognitionem ejus ut distinctè cognoscitur in suis partibus; & quia genus uno modo habet rationem totius respectu speciei, alio autem modo species est quoddam totum respectu generis, ideò cognitio speciei præcedit cognitionem generis, & è converso.*

134 Not. deinde, quòd confusa cognitio, ut ipsi supponunt Scotistæ, est qua totum cognoscitur sine partibus, determinata verò, qua ex cognitione partium ipsum totum cognoscitur, quarè si naturale est à confusa ad determinatam procedere, quia sic ab imperfecta itur ad perfectam, naturale est pariter à toto ad partes ire. Not. insuper, quòd ex natura rei potentia præcedit actum; quia potentia habet rationem imperfecti, naturalis autem ordo procedit ab imperfecto ad perfectum, quarè ait B. D. quòd nostra cognitio tendit à potentia ad actum: si ergo constet, quænam totalitas ex illis duabus magis habet rationem potentiæ, nempe generis respectu speciei, aut speciei respectu generis, de facili tota controversia resolvitur.

135 Hinc deducitur, tum quòd tota controversia est de modo loquendi, tum quòd preferenda est sent. Thomistarum & communis: 1. quidem, quia

in

in rē omnes cōvēniunt, quòd à toto ad partes procedit cognitio nostra, à confusa ad determinatam, & ab imperfecta ad perfectam: 2. autem, quia magis habet rationem imperfecti quod est tale in potentia, & apertè itur ab imperfecto ad perfectum dum proceditur de potentia ad actum; at patet, quòd species est totum in actu, quippè in actu continet prædicata universalia, è contra verò genus est totum in potentia, quippè potestativé tantùm species continet, & est totum potentiale: ergo.

136 Distinguit Mastrius n. 267. de notitia actuali & habituali, ut dicatur habitualis notitia, non facilitas cognoscendi, aut notitia ex habitu causata, sed species ipsa intellectui repræsentans objectum: tunc autem ait, quòd notitia habituali 1. cognitum est magis universale, quia nempè species 1. repræsentat magis universale; notitia verò actuali est & converso ratione status, quo intellectus noster corpori conjunctus est, & hac via umbram contradictionis solvit, quæ ex tex. Scoti contra se objecit. Sed quidquid de hoc sit, quatenus illa distinctio potest ad intentam dubitationem applicari: in primis species secluſa perceptione intellectus non alio sensu poterit dici notitia habitualis, nisi quatenus constituit intellectum in quadam aptitudine, de hac autem non quæritur, sed de ipso actu cognoscendi: deinde, qua ratione actualis notitia juxta ipsum à magis particulari incipit, eàdem debet habitualis, nempè: quia in hoc statu intellectus corpori conjunctus est inferiora magis ipsi proportionantur, quia magis accedunt ad modum corporis, nempè ad singulare sensibile; at eadem ratione debet species magis & 1. repræsentare inferiora, quia per sensus illa species accipitur: si ergo hoc non obstante species 1. repræsentat magis universale, hoc habere non poterit, nisi quia magis hoc naturæ intellectus congruit, cui repræsentat in virtute luminis ejus, nempè intellectus agentis: non obstante ergo conjunctione ad corpus magis intellectui proportionatur universale, quatenus minus determinatum & in actu.

§. II.

Probatur Nostra sententia.

137 Dicendum, quòd per se & ex natura rei nostra cognitio incipit à magis universalibus. Hæc apertè satis colligitur ex cit. tex. Phil. quarè illam ibi tenet N. B. D. & Gerard. loc. cit. probabimus ergo ipso Phil. tex. & rationibus, quas in eo intendit, ait itaque cit. tex. 9. *At confusa* 1. *nota nobis sunt eo ma-*

ac manifesta, elementa verò principiaq́ posterius ex hisce nota per ipsorum divisionẽ fieri solent: idcirco èx universalibus ad singularia proficiscamur oportet, ipsum namq́ totum sensu notius est; universale verò totũ est quoddã, quippè cùm multa complectatur ut partes. Sic etiam & nomina quodãmodo sese habent ad definitionem, totum enim quoddam indistinctumque significant, ceu circulus, at ipsius definitio in partes singulas dividit. Pueri quoque 1. quidem omnes viros Patres, mulieres quasvis Matres appellant; posterius autem horum utrumque discernere distinguereque videntur.

Sensus quidem in ipsa littera planus est, quo autem magis pateat: intendit ipse expendere quo ordine procedere debet determinatio; quod ut explicet præmittit, quòd innatum est nobis à notioribus ad minus nota procedere; subjungit autem, quòd minus nota sunt nobis, quæ naturæ magis sunt manifesta, addit que, quòd magis nota sunt nobis confusa, minus verò nota elementa & partes, & deducit, quòd à toto ad partes, & consequenter à communibus ad particularia debet procedere determinatio, quia commune seu universale est quoddam totum, quod deinde triplici ratione probat. Quòd autem iste sit sensus ejus, ex ipso patet processu, quem instituit: prius enim de mobili in communi determinat, deinde in sequentibus de singulis ejus speciebus, ut in lib. de Cæl. de mobili ad situm, in lib. de Gen. de mobili ad formam, in lib. de An. de mobili ad vitam: pariter in singulis tractatibus sive partibus Phisicæ, in hoc enim tractatu de An. prius de anima in communi determinat, deinde de anima magis communi & determinabili, nempè de vegetativa, consequenter autem de sensitiva, quæ illam includit & determinat, & tandem de rationali.

138 Nihilominus ad hunc locum resp. Mast. n. 256. quòd tex. Phil. non procedit de toto in prædicando, sed de toto in continendo; est autem universale totum in prædicando. Assumptum patere ait ex ipsis, quæ assumit, exemplis, nempè de toto integrali, quod notius est suis partibus, & de definito, quod pariter in ordine confusè cognoscendi notius est definitione, in qua partes explicantur. Deinde patere ait ex ipsa tex. littera, non enim ad singularia, ut multi vertunt, sed ad singula verti debet; sequenti enim tex. 5. ait, quòd definitio dividit in singula, habet autem eandem vocem: non ergo quòd ex universalibus ad singularia debet procedere cognitio, sed quòd ex universis ad singula intendit Phil. hoc est à toto essentiali & in continendo ad singula in eo contenta, ex quo

ma-

magis sequitur, quòd à particulari incipit cognitio, in quo universale continetur ut pars.

Sed in primis: si hoc intendit, oppositum observat quod debere observari deducit; patet enim, quòd non à speciebus, sed à ratione communi incipit, & ad particularia descendit. Deinde: de toto quidem assumit integrali & in continendo, sed subsumit, quòd universale, seu totum in prædicando totum est quoddam, ut ad intentum suum deducat, quòd à communioribus & universalioribus ad particularia debet processus institui. Quod autem ait non ad singularia, sed ad singula verti debere, textus quidem in Græco ità habet: *Ec ton catholon epi ta cat' hecasta*, quod grammaticaliter ita sonat: *Ex universis ad singula*: *catholon* enim non universale, sed universum significat, pariter *hecastos* non singulare, sed singulum, sive quodlibet, aut unumquodque; nihilominus Joannes Argyropylus, cujus versio castigatior habetur, vertendum duxit *ex universalibus ad singularia.*

Quod autem melior sit hæc translatio, 1. patet ex eo quod intendit, nempè quòd à communibus & universalioribus ad specialiora debet ordiri processus. 2. quia subsumit: *Universale verò totum est quoddam, quippè cùm multa complectatur ut partes*; si autem prius universum, sive totum accipiatur, pariter hîc debet accipi; atvero dicere, quòd totum totum est quoddam, impropriſsima loquutio est, & insuper non deberet dici, quod multa complectitur veluti partes, sed quòd partes continet: patet ergo, quòd de universali loquitur, quod quodammodo totum est, quatenus nempè multa particularia sub se complectitur, quæ sunt veluti partes ejus. Æque itaque de toto in continendo, ac de toto in prædicando intendit Phil. quòd nostra cognitio incipit à toto & procedit ad partes, quia absolutè prior est cognitio confusa & indeterminata, quæ totum sine partibus cognoscitur, quàm cognitio clara & determinata, qua ex partibus cognoscitur totum.

139 Prob. 2. conclusio ratione, quæ ex tex. deducitur: Per se & ex natura rei procedit cognitio nostra ex his, quæ sunt naturæ, sive secundùm se minus nota ad ea, quæ sunt notiora; sed sunt minus nota secundùm se, sive naturæ, quæ sunt magis universalia: ergo ab his incipit cognitio nostra, & ad magis specialia procedit. Maj. cum ratione, qua probatur, habetur in tex. nempè procedit cognitio nostra ab ijs, quæ sunt magis nota nobis, ut ad minus nota proficiscatur; at verò sunt

nobis magis nota, quæ minus nota naturæ, verba tex. 2. sic habent: *Hæc autem insita natura nobis est via, ut è notioribus nobis, magisque manifestis ad notiora naturæ, magisque manifesta profitiamur; non enim sunt eadem nobis, atque simpliciter nota.* Min. autem, & ex ipso tex. colligitur, & ratione patet; secundum se enim magis est manifestum, quod magis est determinatum & in actu.

Conf. Per se & ex natura rei procedit cognitio ab imperfecta ad perfectam; sed imperfectè cognoscit qui tantùm sub ratione communi cognoscit, perfectè verò, qui sub ratione particulari, & magis perfectè, qui magis determinat rationes particulares: ergo. Maj. ex terminis patet; tum, quia naturalis processus est ab imperfecto ad perfectum, semper enim intenditur perfectio; tum deinde, quia à perfecto ad imperfectum impossibilis est processus, nemo enim intendens malum operatur, patet autem, quòd imperfectum ut tale malum est. De min. nullus poterit ambigere, quis enim dubitat, quòd imperfectè rem cognoscit, qui tantùm cognoscit quod est corpus, perfectius autem qui cognoscit quod tale est determinatè?

140 Ad hanc rationem resp. Mast. in probando suam conclusionem, quòd sunt magis nota nobis, quæ sunt magis confusa; atverò magis confusa est species specialissima, quia plures conceptus universales confundit & implicat. Sed contra est tex. ipse Phil. si enim quæ magis sunt naturæ, sive in se & simpliciter manifesta, minus sunt nota nobis, cuique patet, quòd in se & simpliciter magis est manifestum, quod magis est determinatum & in actu, & ita est particulare respectu universalis; quod verò prædicata superiora implicat, nihil est ad propositum, quia cognoscere prædicata, quæ includit & implicat, pertinet ad cognitionem determinatam; atverò etiam juxta ipsum cognitio confusa prior debet esse determinata: quantum ad cognitionem ergo, quæ prior est, magis est notum secundùm se & simpliciter, quod est magis particulare, & consequenter hoc est nobis minus notum, & quia nostra cognitio ab eo incipit quod nobis est magis notum, ut ad minus nota nobis procedat, ab universaliori debet incipere.

141 Ad Conf. resp. ipse n. 260. in fol. ad 2. quòd universaliter falsum est, quòd intellectus debet procederè ab imperfecta cognitione ad perfectam: patet enim, quòd procedit à notitia præmissarum ad notitiam conclusionis, & à notitia causæ ad notitiam effectus. Resp. 2. quòd tunc tantum processus est

ab

ab imperfecto ad perfectum, quando nihil est impediens tendentiam, seu quando imperfectum via est ad perfectum, & hac de causa materia de imperfectiori forma procedit ad perfectiorem, quia nempe ad hanc minus est disposita, & ad ipsam via est per formam minus perfectam; at in proposito nihil est impediens quominus objectum debitè præsens sub specialissimo conceptu cognoscatur.

142 Sed utraque solutio aperte nititur contra principium per se notum, quod enim per se natur de perfecto ad imperfectū, cuique patet esse impossibile: per se ergo naturalis conatus perfectum intendit, quod, si nullum sit impediens, poterit immediate assequi, de hoc nulla est dubitatio, neque ad propositum quid refert; quando autem duo debet attingere, seu quando duplex actus ordinem habet perfecti & imperfecti, tum dicere quòd à perfecto incipit ut ad imperfectum procedat, patet esse contra naturalem rationem; at in proposito agimus de duplici cognitione, & quæri tur, an de universali ad particularem, an è converso procedat intellectus: qui ergo concedit, quòd cognitio universalis imperfectior est respectu particularis, negare non poterit quin ab illa incipit per se intellectus, & ad particularem procedit. Neque quid urget duplex ratio adducta: 1. quidem, quia procedere de notitia præmissarum ad notitiam conclusionis est procedere de notitia imperfecta rei ad perfectam ejusdem cognitionem, nempè cognoscitur conclusio in præmissis virtualiter & in confuso prout in illis continetur, & de hac notitia procedit intellectus ad cognitionem conclusionis in se ipsa: pariter nec 2. quia de notitia causæ ad notitiam effectus eodē modo procedit intellectus nempè effectum in causa cognoscit virtualiter ut in ea continetur, & procedit ad cognitionem ejus determinatam & in se ipso.

Ad 2. sol. jam ex dictis patet, quòd processus ab imperfecto ad perfectum per se est & ex natura rei. Præterea: in proposito impediens intellectum ne à cognitione perfecta incipiat, est potentialitas ejus, qua non nisi præcisivè & per partes potest objectum attingere, quarè cogitur à conceptu universali incipere, & per magis particularia descendere usque ad plenem rei cognitionem; si autem à particulari incipieret, & ad universalia prædicata procederet, ab ea inciperet cognitione, quæ determinata est & perfecta, ut ad indeterminatam & imperfectam procederet, quarè 1. intenderet imperfectam, quia 1. est in intentione, quod posterius est in executione.

Prob.

143 Prob. 3. concluſ. triplici ratione, quam intendit Phil. in verbis ſupra adductis, 1. veluti à minori ex eo, quod cõtingit in ſenſu, 2. à ſimili ex eo, quod contingit in voce ſignificante rem, 3. à ſigno. Rationem 1. ſic deducit N. B. D. Sicut cõtingit in ſenſu, ſic eſt ſuo modo in intellectu; ſed cognitio ſenſus ſic procedit, quòd 1. confusè & in quadam univerſalitate percipit, deinde magis ſpecialiter: ergo pariter intellectus. Maj. ſupponit notam Phil. tantúm enim ponit min. quod nempè totum ſenſu notius eſt, ratio ejus eſſe poteſt; quia magis ſenſus quàm intellectus immutatur à particulari in re exiſtente: ſi ergo ſenſus hoc non obſtante quodammodo à communi procedit ad particulare, potius id habere debet intellectus. Min. oſtendit B. D. quia ſecundum Perſpectivum, viſus prius percipit objectum quodammodo communiter & confusè, poſtea deſcendit ad particularia, ut ſi objiciatur ſubtilis ſculptura, 1. videtur totum in confuſo, deinde magis attendendo ſingula notantur; quod autem in viſu accidit cæteris commune eſt ſenſibus.

144 Secundam rationem deſumit ex comparatione vocis & definitionis ad rem ſignificatam, idem enim ſignificat vox *homo* v. g. quod definitio hominis; ſed vox ſignificat confusè & indiſtinctè, definitio verò diſtinctè & per partes; at prius cõcipimus rem ut per vocem ſignificatur, quàm ut explicatur per definitionem: ergo prius eſt cõfusè & indeterminatè cognoſcere, quàm diſtinctè & determinatè; at ſub conceptu communi & univerſali cognoſcitur res indeterminatè & confusè, ſub conceptu verò ſpeciali cognoſcitur determinatè: ergo.

145 Tertiam rationem deſumit à ſigno: videmus enim quòd pueri, quando 1. incipiunt cognoſcere & loqui, omnes homines vocant Patres, poſtea verò incipiunt determinare Patrem ſuum & Matrem: ergo ſignum eſt, quòd noſtro intellectui naturaliter convenit à communi & indeterminato rei conceptu incipere, & ad determinatum & ſpecialem procedere. Non intendit hæc ratio, ut malè accipit Maſt. quòd pueri abſtrahant rationem communem, alioqui non à ſigno argueret, ſed illud idem aſſumeret, quod intendit deducere, ſed ex eo quod 1. cognitio puerorum confuſa eſt, & indeterminata, atque in quadam cõmunitate accipit objecta, ſignum accipit quod naturale hoc eſt intellectui noſtro à communibus & indeterminatis incipere.

§. III.

§. III.

Solvuntur argumenta.

146 A Rg. 1. Mast. ex multiplici tex. Phil. & 1. Locus, quem dicit luculentissimum, desumitur ex 2. Post. cap. ultimo, quo docet Phil. abstractionem procedere ab inferiori ad superiora donec perveniatur ad ultimum, quod non est ulterius divisibile. Alter locus desumitur ex 1. Post. tex. 12. & tertius ex 1. Met. sum. 1. cap. 2. quibus in locis eadem sent. habetur, quòd nempe universalia sunt maximè ignota, eò quòd à sensibilibus & singularibus magis remota sunt.

147 Ad hæc omnia 1. dicitur, quod ut §. 1. diximus, uno modo universale est totum respectu inferiorum, alio vero è converso, quarè etiam in cognitione confusa, qua à toto ad partes fit processus, potest à particulari ad universale tendere intellectus, quæritur autem per se & ex natura rei quænam cognitio prior est, an quæ à particulari incipit ad universale, an è converso? Quamvis itaque Phil. alicnbi asserat, quòd à particulari itur ad universale, nihil inde ad propositum, nisi ulterius asserat hoc per se esse ex connaturali modo intellectus nostri, quod tamen nullibi asserit.

Nihilominus 2. specialiter singula expendendo, ad 1. dicitur, quòd tex. in ultimo cap. lib. 2. Post. ita incipit: *Quod autem dictum est antea, sed non dilucidè dictum est, id rursus dicamus.* Quibus verbis id ipsum supponit, quod intendimus, nempè quòd à cognitione confusa & in communi descendi debet ad cognitionem ejusdem rei determinatam & in particulari: intendit in illo cap. explicare, quomodo habetur universalis notitia ex plurium singularium sensu, & ait, quòd ex multiplici sensu fit memoria, ex multiplici memoria fit experientia, ex multiplici autem experientia fit universale, & hoc modo habuit intellectus universale dictamen, v. g. quod interpositio terræ inter Solem & Lunam causat eclipsim, nempè videndo ita causari, & hoc memoria retinendo facta est experientia, quæ postquam compertum est semper ita contingere, evasit universalis propositio; quòd autem ad propositum nihil hoc referat, poterit potere legenti tex. illius cap. in eo enim intendit, unde aut quomodo habet intellectus certitudinem de principijs, quibus tota nititur scientiæ rectitudo, non enim potest per scientiam de his certificari, & ad hoc illum assumit processum, quòd ex sensibus memoria, ex memoria experientia, ex experientia verò uni-

ver-

versalis propositio generatur, ex quo arguere, quòd per se & simpliciter procedit intellectus à particulari ad universale, esset arguere à particulari & per accidens ad universale & per se.

Ad alterũ dici posset 1. quòd universale maximè ignotum est simpliciter, eo autem nobis magis est notum, quia, ut ipse ait Phil. in 1. Phis. tex. 2. quæ simpliciter sunt magis nota & manifesta, ea sunt minus nota nobis. Nihilominus 2. dicitur, quod Zimara in sol. contradictionum in 1. Met. hanc objicit, quod in principio 1. Phis. asseritur, quòd sunt nobis magis nota universalia; hic autem dicitur, quòd sunt maximè ignota. Solvit autem hanc contradictionem per hoc, quòd in 1. Phis. sermo est de universali in prædicando, quarè supponit, quòd hoc quoad nos est magis notum, & consequenter 1. cognitum ab intellectu nostro, hic autem sermo est de universali in causando, & hoc est maximè ignotum. Intendit ergo in illo cap. Phil. quæ sit natura Sapientiæ, & de differentia ejus ad alias scientias, & una differentia assignatur, quòd Sapientia est omnium difficillima: ratio autem est, quia de ipso ente agit, & per principia procedit altissima, & quæ omnes veritates continent, & quia quo altius & universalius est principium, eò plures continet veritates, & subinde difficiliùs est, et Metaphisica, quæ principia habet ceteris universaliora, omnium difficillima est. In quo sensu ait universale esse maximè ignotum, & difficilè cognosci, ex quo nihil ad propositum.

148 Arg. 2. a ratione: causa naturalis optimè disposita & non impedita perfectiorem edit effectum, sive operationem quam potest; sed post cognitionem singularium, quæ habetur per sensum, est intellectui præsens species intelligibilis, & utrumque, nempè tam intellectus, quàm species, causa est naturalis benè disposita & non impedita: ergo perfectissimam habet operationem, & talis est cognitio speciei specialissimæ. Hoc potissimum est Scoti fundamentum, quo tamen manifestè ducitur ad inconveniens; ut quid enim procederet intellectus imperfectè cognoscere, quod jam 1. actu perfectissimè cognoscit quantum ipse potest?

149 Resp. neg. min. est enim intellectus noster potentia pura in genere intelligibili, & ex potentialitate sua habet quòd non possit uno actu plenè cognoscere objectum, quarè ex illa cogitur præscisivè & per plures actus cognoscere; patet autem, quòd quando virtus non potest uno conatu terminum perfectè assequi, sic ad illum tendit, quod alio & alio magis ad plenam ejus asse-

assequutionem appropinquat; & quia minus accedit ad plenam rei cognitionem qui cognoscit quod ens est, aut corpus, quàm qui cognoscit quo hoc tale corpus est illius determinatè speciei, hoc ordine procedit intellectus noster per se & ex connaturali modo cognitionis suæ.

150 Arg. 3. Metaphisica secundum Phil. est ultima ordine doctrinæ, quia procedit à facilioribus nobis, & aliæ scientiæ præcedunt eam, quarè consequenter harum principia prius à nobis cognoscuntur; & tamen sùt minus communia, principia verò Metaphisicæ magis universalia: ergo. Hoc arg. supra solutum est ad 1. Id tamen ut ab ipso proponitur causalem assumit manifestè falsam: quia enim principia assumit nobis faciliora, non ultima deberet esse, sed 1. incipit enim intellectus noster à facilioribus: rursus, si eò quòd magis universalia, sunt faciliora nobis, potius sequitur oppositum ejus quod intendit, quòd nempe à magis universali incipit cognitio nostra, utpote à faciliori. Resp. itaque, quòd Metaphisica ultima est, eò quod ejus principia magis sunt universalia, & subinde plures veritates continent, & consequenter sunt difficiliora. Ratio autem quarè in processu scientifico magis universale est ultimo cognitum hæc est, quia talis processus est cognitio determinata deducens nempe particulares veritates ex principijs, quarè quod plures continet veritates difficilius est, & minus notum.

151 Arg. 4. Si prius intelligimus magis universalia, longum intercederet tempus in cognitione speciei specialissimæ singularis moventis; at hoc est contra experientiam: ergo. Patet sequela maj. quia oporteret prius cognoscere omnia prædicata superiora, quæ cùm multa sint, nõ possunt in instanti cognosci. Hoc apertè instatur: si enim à specie incipit cognitio, eàdem ratione oportebit longum intercedere tempus in cognitione universalissimæ rationis entis, cùm tamẽ nihil magis notum sit de unoquoque, quam quod ens est. Nec refert solutio Mast. quòd nempe superiora prædicata in inferioribus includuntur, non autem è converso. Hoc, inquam, nihil refert: non enim illa inclusio tollit quin non uno actu, sed pluribus cognoscantur: si ergo plures actus, quibus plura prædicata cognoscuntur incipiendo ab inferiori, possunt in instanti haberi, eodem modo poterunt incipiendo à superiori.

152 Resp. directè neg. maj. Et 1. posset dici, quòd operationes animæ non mensurantur tempore, quarè nulla duratione interjecta plures habemus cogitationes, & in instanti de quo-

bet concipimus quòd est ens, & tale ens usque ad speciem specialissimam, ut unusquisque in se ipso experitur. Dicitur 2. quòd de quolibet prædicato sive superiori, sive inferiori possumus formare conceptum confusum, sive qui non attingat reliqua, quæ deinde alijs actibus attingimus, in quibus eodem modo debet tempus insumi si à superiori ad inferiora, ac si è converso processus fiat; quarè difficultas argumenti non est ad propositum, procedit enim præsens difficultas ex suppositione, quòd non uno actu omnia prædicata attingimus, sed alio actu universale, alio particulare prædicatum, tunc quæritur, quo ordine per se & ex natura rei, an à superiori ad inferius, an è converso?

153. Dices: Etiam tali facta suppositione debet processus à specie specialissima ordiri, & ad superiora procedere; experimur enim quòd de objecto in debita distantia occurrenti 1. apprehendimus quod est hoc tale ens, puta homo, aut equus, imò hic particularis homo: ergo ab isto incipit processus. Resp. quod est per accidens non tollere id, quod est per se; per intentionem voluntatis determinatur intellectus ad hoc aut illud prædicatū, quod non tollit quin per se. sit innatus conatus intellectus ad magis universale, & de unoquoque 1. cognoscat quod est, deinde alia prædicata propter rationes supra adductas.

154. Arg. 5. Abstractio magis universalis prædicati difficilior est, quàm minus universalis: ergo hoc prius attingitur ab intellectu. Prob. ant. 1. quia abstractio magis universalis fit ab his quæ magis à sensibilibus distant, speciei autem fit ab ipso singulari. 2. Abstractio magis universalis fit à minus similibus; nam color v. g. abstrahitur ab albo & nigro, quæ sunt contraria, album verò à duplici albo, quæ sunt similia. Nota quod in 3. arg. vult Mast. quòd magis universalia sunt nobis faciliora, nunc autem assumit oppositum.

155. Resp. neg. maj. Ad utramque prob. dicitur 1. quòd in abstractione directa non attingitur terminus, à quo fit abstractio; actus enim directus attingit hoc prædicatum nullo alio cognito, actus verò cognoscens, quod ab isto vel illo prædicato inferiori abstrahitur, reflexus est, & cognitio determinata; tunc autem intellectui magis proportionatur, & 1. occurrit quod magis appropinquat ipsi esse, hoc enim de unoquoque est notius, quod est. Dicitur deinde ad 1. prob. quòd, quæ magis à sensibilibus distant, sunt minus nota simpliciter, quia minus habent de actu, & consequenter de intelligibilitate; atverò juxta Phil. in 1. Phis. tex. 2. quæ sunt minus nota sim-

simpliciter & quoadse, sunt notiora nobis. Quo patet ad 2. probationem: quod magis appropinquat magis similibus, notius est quoad se, sed hoc ipso minus notum quoad nos.

156 Arg. 6. Illud universale est 1. notũ, cujus singulare fortius movet sensum; sed singulare speciei specialissimæ fortius movet sensum: ergo. Patet min. quia tale magis est sensui propinquum. Resp. 1. neg. maj. quod enim magis movet sensum, seu sensibili magis appropinquat, magis est in actu, & proinde notius simpliciter, sed hac ratione minus totum quoad nos. Resp. 2. neg. min. ut enim n. 143. adduximus ex Phil. in sensu etiam cõtingit quod 1. attingit communiter & in confuso, deinde ad particularia descendit, non quod rationem attingat sensus, sed quod 1. movetur à singulari in confuso quatenus est, deinde quatenus tale est.

157 Arg. 7. ex ipso Phil. tex. à nobis adducto sunt nobis nota prius confusa magis; sed inter prædicata universalia magis est confusa species specialissima: ergo. Prob. min. quia magis est confusum quod plures differentias implicat, & quasi confundit. Resp. neg. min. cum sua prob. imo suppositum ejus, non enim differentiæ sunt prædicata illa quæ includit species specialissima, sed genera, differentia enim, qua nempe quiditas determinatur, ipsa est qua species cõstituitur, & hæc cognoscitur: minus ergo hæc est confusa, quia magis determinat, nempè ultimam differentiã. Itaq ferè ad sensum patet, quòd magis in cõfuso cognoscit, qui de aliquo cognoscit quod ens est aut corpus, quàm qui cognoscit quod vivit aut sentit.

158 Arg. 8 quod ait evidentissimum: Cognitio intellectiva ab initio fertur circa illud ipsum objectum, quod proponitur per notitiam sensitivam, à sensu enim ministratur species; sed sensus motus à calore v. g. calorem percipit, non præcisè in eo quod est tangibile, alioquì non discerneret à frigiditate, sed in eo quod est tale tangibile: ergo pariter intellectus. Conf. quia si puer ignem tangat, manum retrahit, non precisè propter generalitatem entis aut sensibilis qualitatis, sed determinatè propter calorem: ergo calorem specialiter percipit.

159 Resp. conc. conseq. tam arg. quàm Conf. quis enim negaret, quòd intellectus illud idem objectũ percipit, quod sensus? Quis item, quòd sensus percipit rationem proprij sensibilis? Itaque difficultas est, posito quòd pluribus actibus plura prædicata habet attingere intellectus noster per se & ex potentialitate sua, quæritur quo ordine, an 1.

particularè, deinde universale, an potius è converso? Pro quo nihil refert quod illud idem attingat intellectus, quod sensus attingit, imo neque quod eodem ordine, ex sensu enim arg. desumit Phil. ut supra vidimus.

ARTICULUS III.

An intellectus noster cognoscat singulare directè & per propriam speciem?

§. I.
Relatis sententijs Nostra probatur.

160 PRima sent. est Nominalium, qui ponunt nullam nos habere speciem nisi singularium, imò nihil nos nisi singularia cognoscere, universale enim nihil esse dicunt nisi conceptum confusum, quo singulare ab alijs minus distinguitur, v. g. nil nisi Petrum concipit intellectus de natura humana, quem si cognoscit à Paulo distingui, attingit ut est individuum, si autem id non attingit, quo distinguitur à Paulo, attingit ut est homo, & ita format conceptum speciei, atque eodem modo alios superiores conceptus. De hoc in Logica egimus, adde: quòd negativum semper ad positivum reducitur, neque aliter cognoscit intellectus, quod non est hoc nisi cognoscendo, quod est hoc, quarè non poterit intellectus aliter cognoscere, quòd Petrus non differt ab isto leone nisi cognoscendo quo convenit, puta quod sentit, quare format sibi conceptum non solùm, quo differentias confundit, sed etiam, quo universale prædicatum repræsentat.

161 Secunda sent. docet, habere nos propriam speciem universalis prædicati, quæ tamē etiam singulare repræsentat directè & per se, imo magis singulare, quare à singularibus incipit cognitio nostra. Ita communiter Scotistæ. 3. sent. docet, nullam nos speciē habere nisi singularis, quæ tamen directe & 1. repræsentat intellectui universalia prædicata, singulare verò secūdariò, quod tamen directo actu attingit intellectus, quia in propria specie; nempè ponit hæc sent. nullam nos aliam habere speciem intelligibilem, quàm ipsum phantasma, in quo ex irradiatione intellectus agentis apparent intentiones universales, & singularitas ipsa. Hæc est sent. Resol. apud Elis. quæ quodammodo medium tenet, cum Thomistis enim docet, quòd non directè & 1. cognoscitur singulare, cum Nominalibus, quòd per propriam speciem cognoscitur, & cum Scotistis, quòd etiam prædicati universalis proprium habemus conceptum. Communis cæterorum sent. docet, singulare non cognosci

noſci ab intellectu noſtro directè & per propriam ſpeciem, ſed indirectè & per converſionem ad phantaſma. Hanc docet B. D. de cog. Ang. q. 9. Quodl. 5. q. 28. in 3. de An. lec. 3. ad tex. 10. & ſæpe alibi.

102 Not. autem, quòd non dubitatur, quin proprium cõceptum ipſius ſingularis habeat intellectus noſter, ſed ſenſus dubitationis eſt, an illum conceptũ formet intellectus actu directo & per ſpeciem, quæ per ſe ipſum ſingulare repræſentet, an potius per ſpeciem, quæ repræſentat univerſale, quadam reflexione, & per converſionem ad phantaſma, & hoc 2. aſſerit ſent. noſtra. Pro cujus intelligentia not. ulterius, quòd Phil. in hoc 3. de An. tex. 39. aſſerit, quòd neceſſe eſt intelligentem phantaſmata ſpeculari, & rationem aſsignat, quòd ſe habet phantaſma ad intellectũ ſicut ſenſibile ad ſenſum: ſicut ergo requiritur ſenſibile ad actum ſentiendi, ita phantaſma ad actum intelligendi. Hunc Phil. tex. expendit B. D. lec. 9. & rationem illius neceſsitatis clariús aſſignat: forma intentionalis non à ſubjecto habet conſervari, ſed magis ab eo à quo cauſatur: cùm ergo ſpecies intelligibilis ſit intentionalis forma, à phantaſmate, à quo cauſatur, quandam actualitatem conſequitur; & quia intellectus noſter, tum propter potentialitatem ſuam, tum propter debilitatem ſui luminis illa actualitate indiget, ideo neceſſe eſt in intelligendo phantaſma ſpeculari.

Quid autem eſt phantaſma ſpeculari? De quo multum dubitat Maſt. cùm enim phantaſma ſit ſenſibilis ſpecies, non poteſt actum intellectus terminare. Dicendum, quòd ſpecies intelligibilis aut accipitur ſecundùm ſe, aut accipitur ſub quadam habitudine ad principium à quo cauſatur; & quia, utpote forma intentionalis, à præſentia ejus, à quo cauſatur, vigoratur quodammodo & actualitatem accipit, phantaſma ſpeculari in intelligendo non aliquem actum intellectus ſignificat, quo percipiat ipſum phantaſma, ſed illam ejus præſentiam, à qua actualitatem habet ſpecies. Hinc relinquitur, quid eſt ſingulare intelligi per converſionem ad phantaſmata, non enim hoc ſignificat quod intellectus ſingulare percipiat in ipſo phantaſmate, ſed quod in ipſa ſpecie prædicati univerſalis, prout illam reflexione quadam percipit ſecundùm illam habitudinem ad phantaſma, à quo cauſata eſt.

163 Dices autem: Si hoc modo intellectus noſter attingit ſingulare, neque illud poterit attingere anima ſæparata, neque intellectus Divinus, aut Angelicus; anima enim ſeparata phantaſmate non utitur. Deus verò

&

& Angeli non habent. Hanc difficultatem ex instituto evacuat B.D. tum cit. q. 9. de cog. Ang. tum Quodl. 5. q. 28. de Deo quidem & Angelis latiùs determinare non est præsentis instituti, hoc sufficit, quòd longè alia est species intellectus nostri; Dei quidem cognitio non causatur à rebus, sed potius causat res, quarè cuncta intuetur in essentia sua, quę ut imitabilis est à creaturis habet rationem ideæ, & omnia repræsentat creata, creanda, & possibilia, non solùm quantùm ad quidditatem, sed etiam quantùm ad esse quod habet in supposito, quia hoc inde derivatur: Angelus res cognoscit per species, non tamen à rebus causatas, sed congenitas, & à Deo infusas, quarè ejus species à Deo habet repræsentare quidditatem etiam secundùm esse quod habet in supposito, ad quod tamen dependet tanquam à conditione ab eo quod quidditas in supposito habeat esse; unde ex quo incipit in re esse aliquod individuum, incipit repræsentari in specie, quam habet Angelus illius naturæ, & illud individuum intelligit prout per intentionem voluntatis fertur supra speciem, ut hoc repræsentat.

De anima nostra in statu separationis determinat B. D. cit. q. 28. ex quo dicendum, quòd anima in illo statu, aut intelligit connaturaliter per species, quas in via acquisivit, aut per revelationem: de hoc 2. nulla est difficultas, species enim à Deo infunditur: quantùm ad connaturalem actum, non indiget ibi phantasmate. Ratio est: quia in illo statu fortius agit lumē, quarè species non indiget actualitate, quam habet à phantasmate, eò nempè quòd corpus quod corrūpitur aggravat animam: Ibi ergo potest sine phantasmate intelligere, in ipsa autem specie repræsentante quidditatem eodem modo intelligit singulare, quia ipsa eodem modo repræsentat, nempè ex illa habitudine ad phantasma à quo causata est, quamvis enim ibi non sit ipsum phantasma, species tamen illam habitudinē non amittit, sicut nec quod ab eo causata sit.

164 Dicendū ergo, quòd intellectus noster non intelligit singulare directè & per propriam speciem, sed per conversionem ad phantasmata. Prob. 1. ex Phil. in 1. Phis. tex. 49. ubi ita habet: *Etenim universale quidem notius est ratione, singulare autē sensu: Ratio namque ipsius est universalis, sensus verò particularis.* Quibus supponit, quòd objectum per se intellectus est universale, sensus vero singulare. Ratio autem sic potest formari: Quod non abstrahit ab hic & nunc, & conditionibus sensibilibus non potest directè & per se attingi ab intellectu nostro; sed

ita

ita se habet singulare ut in propria specie repræsentatur : ergo Patet maj. tale enim est in actu sensibile, intellectus vero sicut altior potentia est, quàm sensus, ita objectum habet magis abstractum. Min. item patet, quia singulare ipsum importat hic & nũc; & cõditiones individuantes, in propria autem specie repræsentatur ut in re est. Conf. Objectum intellectus est ipsum quid, sive essentia rei ; sed singularitas est extra rationem quidditatis : ergo est extra rationem objectivam intellectus directè & per se. 2. Singulare importat modum, quẽ in re habet, variabilem & defectibilem ; at intellectus directe & per se attingit objectum ut habet esse quidditativum & invariabile : ergo.

165 Prob. 2. ex eodem Phil. in 3. de An. tex. 9. quo disertè nostram conclusionem intendit, ait itaque : *Cùm autem aliud sit magnitudo, aliud magnitudinis esse; & aliud aqua, aliud aquæ esse aut alia sanè, aut parte quidem eadem sed aliter se habente carnem & esse carnis discernit: caro namque non est sine materia, sed perinde atque simum, hoc est in hoc.* Quibus verbis aperte intendit, quòd aliud est accipere carnem v. g. secundum quidditatem suam, aliud verò esse carnis, sive carnem secundum esse, quod in re habet, & tunc ait, quod alia parte ab intellectiva, nempè parte sensitiva, aut eadẽ parte intellectiva, aliter tamen se habente discernit carnem & esse carnis, hoc est, carnem secundũ esse quod in re habet, aut sensitiva parte accipit, aut intellectiva aliter se habente, hoc est reflexa & conversa, ut sequenti tex. explicat, & rationem subjungit, quia esse carnis non separatur à materia : patet autem, quòd singulare accipitur secundum esse quod in re habet, universale verò secundum esse quidditativum & abstractum : ergo singulare non nisi conversione attingit intellectus noster.

Deinde N. B. D. expositionem hujus tex. sic incipit lec. 3. *Postquam Phil. determinavit de intellectu per comparationem ad sensum, in parte ista determinat de objecto intellectus ostendens, quòd quid est esse proprium objectum intellectus, quia ipsa quidditas directè & modo extẽso abintellectu cognoscitur: nã intellectus cùm sit extensus cognoscit carnis esse, id est quidditatem carnis; ipsã autem carnem, & ipsum individuum carnis cognoscit per reflexionem convertendo se ad phantasmata.* Et paucis interjectis in 3. notabili ait : *notandum etiam, quòd quia in rebus materialibus differt individuum & quidditas, ideo alia virtute cognoscitur res, id est individuum, & alia cognoscitur rei esse, id est quidditas : nam per sensum cognoscimus individu-*

duum, sed per intellectum cognoscimus quidditatem; vel si per eundem intellectum cognoscimus individuum & quidditatem, hoc erit aliter se habentem: nam per intellectum affectu recto & extenso cognoscitur quidditas, sed per reflexionem, & ut convertit se ad phantasma cognoscit intellectus individuum.

166 Prob. 3. ratione; quā habet B. D. cit. q. 9. de cog. Ang. qua probat, quòd Angelus per species congenitas cognoscit singulare, & quinque habet rationes, quæ omnes possunt ad propositū applicari, omnes enim sumuntur ex differentia intellectus Angelici ad intellectum nostrum. 1. autem sic potest formari: Intellectus noster tenet infimum gradum in ordine intelligendi, ita quòd in tali ordine est potentia pura: ergo non attingit directo aspectu singulare. De ant. nullus dubitat, conseq. autem ostenditur. Eò quòd pura potentia est competit sibi directo aspectu attingere quidditatem abstrahendo ab esse, quod habet in suppositō; sed singulare importat quidditatē secūdum esse, quod in supposito habet: ergo. Min. nota est, & maj. ostendit B. D. quia in ordine intelligendi est considerare duo extrema, & medium inter utrumque, ut in uno extremo est intellectus, qui est purus actus, nempè Deus, in alio est intellectus, qui est pura potentia, nempè intellectus noster; in medio verò est intellectus Angelicus, qui est actus, non verò purus: tunc autem, intellectus, qui est actus purus intelligi naturam & esse, quod habet in supposito, atque etiam, quod potest habere; intellectus, qui est actus potentia admixtus, sive qui est potentia actui conjuncta, intelligit naturam & esse, quod habet in supposito, non verò quod potest habere: ergo intellectus, qui est potentia pura, ut teneat gradum infimum, sic intelligit naturam, quòd per se & directo actu non intelligit esse quod in supposito habet, & consequenter non attingit directè singulare.

§. II.

Solvuntur argumenta.

167 ARg. 1. Mast. Singulare est ens, & perfectius, quàm universale, nam super universale addit individualē differentiam: ergo propriam habet intelligibilitatem, cùm intelligibilitas sequatur entitatem. Conf. 1 Singulare nihil habet, quod intelligibilitati repugnet: ergo per se & directè intelligitur. Prob. ant. Singulare importat naturam, differentiam individualem, existentiam, & accidentia, quæ cujuslibet propria sunt; sed singula hæc aliquam im-

important perfectionem & intelligibilitatem : ergo. 2. Cùm dicitur, quòd materialitas impedit intelligibilitatem, aut sensus est, quòd materia ut est altera pars compositi impedit, aut quòd differentia individualis. Non potest dici 1. quia tunc nulla substantia materialis esset intelligibilis, cùm quælibet includat materiam partem sui, & pateret, quòd materiam ipsam intelligimus : non item 2. quia tunc singularia naturæ spiritualis non essent intelligibilia. 3. Si singulari materiali & sensibili repugnat intelligibilitas, neque intellectus Divinus aut Angelicus poterit illud intelligere ; sed hoc est apertissimè absurdum : ergo.

168 Resp. quòd hæc omnia tantùm probant, quòd singulare à nobis intelligitur, de quo nulla est controversia, non autem quod per propriam speciem intellectui nostro repræsentatur, de quo est tota difficultas. Ad formam conc. conseq. nihil tamen inde ad propositum, & si enim propriam habeat intelligibilitatem ipsum singulare, illam tamen habet sensibilizatam, & quæ in potentia tantùm intelligibilis est ; quare ea ut est in re directè & per se sensibilis est, & quia propria species illam sic repræsentat, per propriam speciem tantùm sensu percipitur, intellectu verò non nisi in specie repræsentante quidditatem, quæ sola intelligibilis est & intellectui unitur.

Ad 1. Conf. neg. ant. Ad prob. ejus dicitur, quòd illa omnia intelligibilia sunt, non autem modo quo sunt in re, sed ut accipitur eorum quidditas abstrahendo à modo quo in re sunt, sic enim habent esse in actu sensibile ; & quia singulare in propria specie importat illa modo, quo sunt in re, non potest percipi ab intellectu directè & in propria specie. Ad 2. dicitur, quòd materialitas, quæ dicitur intelligibilitati obstare, non materiam ipsam significat, neque etiam singularitatem, sed modū materialis potentiæ, nempe esse in actu sensibile, & quia tale importat singulare in propria specie, dicitur ibi repræsentari modo materiali. Ad 3. dicitur, quòd singulari non repugnat intelligibilitas, intelligitur enim etiam ab intellectu nostro, sed tantùm singulari ut in propria specie repræsentatur, & per eam attingitur, quia sic habet esse sensibile.

168 Arg. 2. Intellectus discernit inter universale & singulare, & etiam unum singulare ab alio : ergo singulare cognoscit sub propria ratione. Conf. 1. Sicut conclusiones cognoscimus syllogismo, ita principia cognoscimus inductione ; sed inductio fit ex singularibus : ergo 2. Incognita non possumus diligere ;

sed diligimus singulare, nempè bonum ut est in re: ergo. 3. Voluntas compescit actum cogitativæ: ergo illum novit intellectus; at talis actus est circa singulare: ergo. 4. Tenemur peccata confiteri, & de eis conteri non solùm in communi, sed etiam in particulari; sed hi sunt actus rationis, & sine cognitione non habentur: ergo. 5. Ars & prudentia pertinent ad intellectum; at sunt de singularibus: ergo. 6. Fides Divina singularia nobis credenda proponit: ergo. 7. Experimur, nos cognoscere singularia; at sensus non est supra proprium actum reflexivus: ergo. 8. Intellectus corrigit sensum, dum hic circa singulare errat: ergo ipse intellectus attingit singulare. Tandem ratione à priori: Superior potentia attingit objectum inferioris; sed intellectus superior potentia est, ac sensus: ergo si sensus attingit singulare, id etiam attingit intellectus.

170 Eàdem hoc ferulà vapulat ac præcedens, probat tantum quòd cognoscimus singulare, de quo nullus dubitaret; quarè mirum quanta congerit ut rem probet per se notissimam; quid enim erit quod non possit intellectus noster concipere, cùm ejus latitudo se extendat ad totam entis latitudinem; de specie autem intelligibili, quæ per se & directè repræsentet singulare, de quo tota controversia est, nec verbum habet arg. quarè ad illud & omnes ejus confirmationes uno verbo resp. concedendo totum quod intendunt, quòd nempe intellectus noster singulare cognoscit sub ipsa ratione, qua singulare est, nihil enim possemus de eo disputare, si illud non attingeret intellectus noster, cognoscit verò non in propria specie, sed in specie, quę repræsentat quidditatem prædicati universalis per conversionem ad phantasmata.

171 Arg. 3. Intellectus noster pro hoc statu intelligit dependenter à phantasmatibus, quarè 1. cognoscit, quæ per sensus percipiuntur; sed per sensus percipiuntur singularia: ergo hæc 1. cognoscit, & ex his universale. Conf. Abstractio naturæ à singularibus fit ab intellectu possibili, non autem ab agente, quia iste solùm abstrahit speciem à phantasmate; sed impossibile est abstrahere naturam à singulari non cognito illo: ergo actu, quo abstrahit, nempè directo, attingit singulare. 2. Experimur, nos à singularibus gradatim ad universal a ascendere, ut patet in rudioribus, qui singularia norunt, & ignorant, an detur universale. 3. Non potest ratio assignari cur talis directa cognitio singularis nostro intellectui negetur: aut enim negatur propter ejus potentialitatem,

& hoc non: quia alioqui non conveniret sensui, qui est imperfectior: aut negatur propter ejus perfectionem, & neque hoc dici potest; alioqui neque Deo, neque Angelis posset concedi. Adde, quòd ne ipsi quidem Thomistæ sciunt explicare quomodo fit illa reflexio, qua cognoscitur singulare, & omnes dicendi modi rejiciuntur de facili.

172 Resp. neg. maj. in sensu, quem intendit arguens: Intellectus quidem, eò quod potentialis est, & nullam habet speciem, nihil intelligit nisi per species sensibus acceptas, quarè objectum ejus connaturale est ens materiale sensibile, seu phantasiabile; quia tamen potentia spiritualis est non modo quo est sensibile, sed abstractiori & puriori modo percipit: quia ergo singulare modum importat, quo est sensibile, non directè & 1. attingitur, sed indirectè & reflexione quadam. Ad 1. Conf. 1. neg. maj. ipse enim intellectus agens, eò quòd abstrahit speciem à phantasmate, abstrahit suo modo naturam universalem à singularitate, nempè in phantasmate repræsentatur natura singularis, & secundùm esse sensibile, in specie verò, quæ causatur ex irradiatione intellectus agentis, repræsentatur quidditas sine hic & nunc, & conditionibus individuantibus. 2. neg. min. abstractio enim est cognitio unius sine altero; quarè abstrahere naturam universalem à singularitate est cognoscere prædicatum quidditativum non cognita singularitate, actus verò, quo cognoscitur singularitas, à qua abstrahitur illud prædicatum, est reflexè comparativus, quo fit universale 2 intentionis.

Ad 2. Conf. dicitur, quòd in cognitione determinata, qua ex partibus cognoscitur totum, ita gradatim ex inferioribus itur ad universale, è contra vero fit in cognitione confusa; atverò ex natura rei cognitio confusa præcedit detetminatam; quod verò additur de rudioribus manifestè patet esse falsum. 1. enim & facilius unusquisque cognoscit de quolibet in communi & confusè, quod est, quàm determinatè, quod est hoc tale. Ad 3. neg. assumptum, & ad prob. dicitur quòd propter potentialitatem intellectûs, nempè quia cum hoc quod potentia spiritualis est, potentialis est, nempè, quia potentialis est, intelligit per species à rebus causatas; quia verò est potentia spiritualis, non potest immutari à specie repræsentante rem secundùm modum, quē in re habet, quia sic habet esse in actu sensibile, & non nisi in potentia intelligibile; quarè patet, quòd instantia non est ad propositum. Quod autem addit confidenter à nemine explicari, jam supra patuit, quid est reflexio-

xione intelligere per conversionem ad phantasma, nempè ipsam speciem percipere comparativè ad phantasma, contra quod nihil ipse habet.

173 Arg. 4. Species prædicati universalis nequit determinatè repræsentare singulare; sed intellectus noster determinatè singulare cognoscit: ergo propriam illius speciem habet. Prob. maj. Sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci; sed singulare differt ab universali realitate propria, nempè differentiâ individuali, quam addit supra universale: ergo.

174 Resp. 1. dist. maj. nequit repræsentare determinatè singulare, directè & per se, conc. maj. Indirectè & ex cõparatione ad phantasma, à quo causatur, neg. maj. Resp. 2. neg. maj. Ad prob. dicitur 1. quòd ea tantùm probat singulare distincto actu cognosci, & distinctam habere intelligibilitatem, non verò distinctam habere speciem intelligibilem, quod instantia patet: homo namque supra animal addit differentiam quidditativam; & tamen non alia specie, sed ipsa, qua repræsentatur homo, cognoscitur animal. 2. dist. maj. Sicut se habet ad esse in re extra, neg. maj. sic enim habet esse sensibile: Sicut se habet ad esse in quidditate sua, conc. maj. tunc verò neg. min. differentia enim individualis non addit perfectionem supra quidditatem, sed est divisio, & determinatio ejus, qua magis accommodatur ad esse sensibile.

175 Arg. 5. A specie sẽsibili causatur species in intellectu; sed hæc debet adæquare totum illius objectum, ita qnòd non ex eo, quod repræsentat, sed ex modo, quo repræsentat, una ab altera differat: ergo quãdoquidem sensibilis species repræsentat singulare, id etiam debet repræsentare species intelligibilis. Conf. Species causata ex irradiatione intellectus agentis causatur. secundum exigentiam ipsius phantasmatis à quo causatur: ergo evadit illi similis, & consequenter sicut phantasma repræsentat singulare, ita debet illud repræsentare species. Conf. 2. In anima separata manent species singularium; at vanum esset dicere, quòd à Deo infundãtur: ergo quandoquidem in ea non manent phantasmata, ipsa species intelligibilis per se & directè repræsentat singulare.

176 Resp. neg. min. alioqui non intelligibilis, sed sensibilis species causaretur sicut est ipsum phantasma: vel neg. conseq. ex quo enim differt in modo, quo repræsentat, illud idem, quod sensibilis species repræsentat sub determinatione, qua est sensibile, species intelligibilis repræsentat quidditativè & sine tali determinatione, sic autem abs-

abstrahit à singularitate. Ad 1. Conf. neg. maj. Si enim secundum exigentiam ipsius phantasmatis causatur, & erit sensibilis, non enim poterit excedere phantasma, & non indigebit lumine intellectus agentis, in cujus virtute causetur: non ergo secundum exigentiam phantasmatis, sed intellectùs causatur, quare in virtute luminis intellectualis, nempè intellectus agentis, & sic evadit similis phantasmati, non absolutè & omninò, sed prout exigit ipse intellectus, nempè quantùm ad quidditatem rei repræsentatæ. Ad 2. jam patuit supra n. 163. quomodo anima separata intelligit singulare, quâvis phantasma non habeat. Cætera ad difficultatem pertinent art. præc. quarè ex ibi dictis solvuntur.

QUÆSTIO VI.
DE
SPECIEBUS
INTELLIGIBILIBUS.

ARTICULUS I.

An dentur species intelligibiles?

§. I.

Relatis sententijs Nostra probatur.

277 DUo, quæ de specie intelligibili controvertuntur, suprà tacta sunt de specie sensibili; quia tamen nonnulli aliter de specie intelligibili philosophantur ac de sensibili, & specialia sunt argumenta aliqua contra species intelligibiles, ideò, breviter licet, utrumque iterum discutiemus. Præter eos itaque, qui species sensibiles negant, specialiter necessitatem speciei intelligibilis negat Resol. D. quem discipuli sequuntur apud Elis. hic q. 4. art. 6. docet nem-

nempè, quòd phantasma ex irradiatione intellectus agentis repręsentat intentiones universales, quæ in objecto phantasiato latent, & ibi sine ulteriori specie eas percipit intellectus, quarè titulo superfluitatis species intelligibiles rejicit, neque enim eas esse posibiles, negat. Communis sent. docet dari in nobis species intelligibiles à phantasmate causatas in intellectu invirtute luminis intellectus agentis, quibus intellectus reducitur de potentia ad actum, & quę sunt actus 1. intelligendi. Hanc multis in locis habet B. D. ex instituto autem Quodl. 3. q. 13.

178 Dicendum ergo, quòd dantur in nobis species intelligibiles á phantasmate intellectui impressæ, quibus reducitur de potentia ad actum 1. intelligendi. Prob. 1. auth. P. Aug. ex quo multa possent adduci, duo tamen loca adducemus satis expressa: 1. habetur lib. 10. de Trin. cap. 5. quo ita habet: *Et quia illa corpora sunt, quæ foris per sensus carnis adamavit, eorumque diuturna quadam familiaritate implicata est, nec secum potest introrsum tanquam in regionem incorporeæ naturæ ipsa corpora inferre, imagines eorum convolvit & rapit factas in semetipsa de semetipsa.* Quod autem non de sensibili, sed de intelligibili specie loquatur, patet ex contextu, sic enim concludit: *Servat autem aliquid, quo liberè de specie talium imaginum judicet, & hoc est magis mens, ideſt rationalis intelligentia, quæ servatur ut judicet; nam illas animæ partes, quæ corporum similitudinibus informantur, etiam cum bestijs nos habere communes sentimus.* En speciem, de qua loquitur, ab illa distinguit similitudine, quam per sensus corporis percipimus.

179 Resp. Elis. loqui S. P. de specie, quæ est habitus memorativus, non quæ est similitudo impressa. Sed hæc expositio aperta est tergiversatio, & eam excludunt ipsa verba S. P. apertè enim similitudines & imagines dicit, quodsi per habitum memorativum speciem expressam, seu verbum mentis intelligit, ait enim S. P. quòd anima tales imagines servat factas in semetipsa de semetipsa, quarè videtur intendere speciem expressam, quæ ab ipso intellectu formatur, & in memoria reservatur. Contra. 1. qua ratione superfluit species intelligibilis, seu impressa, eadem superfluit verbum, sive species expressa: si ergo hanc admittit, illam debet admittere. Patet ant. phantasma enim in memoria sensitiva reservatur: si ergo hoc sufficit pro actu intelligendi, sufficiet etiam pro memoria, aut si non obstante quod manet ulterior species requiritur in memoria intellectiva, ulterior etiã re-

requiritur pro actu intelligendi; illa enim, quæ in memoria reservatur, ad ipsum deservit actum intelligendi, quo rememoratur anima. Præterea: ipse S. P. apertè docet de specie impressa se loqui, nam cap. 7. ita habet: *Sic alia, quæ non corporeo sensu internuncio, sed per se ipsam nosse debet, cum in ea venit invenit, aut in superiore subſtătia, ideſt in Deo, aut in cæteris animę partibus, ſicut de ipſis imaginibus corporum judicat; intus enim in anima eas invenit per corpus impreſſas.* En sicut speciem habet sensibilem à corpore impressam, ita intelligibilem ab objecto intelligibili.

180 Alter locus habetur lib. 11. de Civ. cap. 27. quo ita habet: *Habemus enim alium interioris hominis ſenſum iſto longè præſtantiorem, quo juſta & injuſta ſentimus; juſta per intelligibilem ſpeciem, injuſta per ejus privationem.* Nec refert quòd sensum dicit: tum quia loquitur de interiori homine; sensus autem sive interni sive externi ad corporalem partem pertinent, & exteriorem hominem: tum quia dicit sensum longe præstantiorē isto, quo percipimus corporalia; quarè apertè loquitur de intellectu, quem sensum dicit, & eo nos sentire, latè accipiendo prout sentire idem est, quod percipere. Adeò expressus hic locus visus est Ludovico Vives, ut in expositione illius cap. ita habeat: *Porrò ſpecies hìc aliud eſſe exiſtimare, quàm formas, facies, imagines, ſimulacra rerum in anima, quas notitias vocant; videtur mihi hominum vel ingenio defectorum, vel ſcientia.*

181 Prob. 2. conclusio ex Phil. in hoc 3. de An. tex. 3. ubi ita habet: *Vocare igitur ipſam paſsione, ſed formæ ſuſceptivam eſſe oportet, & potentia talem, ſed non illam eſſe; & ſimilitudinem ſubire cum ſenſu, ut quemadmodum ſeſe habet ad ſenſibilia ſenſus, ſic ſeſe habeat ad intelligibilia intellectus.* En anima secundum intellectum, de hoc enim tex. 1. loqui incipit, est quidem susceptiva formæ, nempè intelligibilis, sed non proinde passioni subjicitur, scilicet, qua alteretur, quia talis forma intentionalis est, ea quæ non immutat realiter quarè ait, quòd intellectus nō est ipsa forma intelligibilis, sed potētia ad ipsam. En deinde ait, quòd sicut se habet ad sensibilia sensus, ita ad intelligibilia intellectus, nempè quantū ad hoc quod est esse in potentia & formas suscipere; at juxta Elis. non sufficit sensui præsentia objecti, sed ab ipso debet in actu fieri per speciem sibi impressam: ergo non sufficit intellectui præsentia phantasmatis, sed speciē requirit ab eo causatam, qua fiat in actu.

Dein-

Deinde : tex. 6. ita habet: *Atque benè rectèque censent, qui formarum locum animam esse inquiunt. Attamen neque tota est locus, sed intellectiva; neque est actu, sed potentiâ, formæ.* En anima secundum intellectum est locus formarum, & non actu, sed potentia est forma intelligibilis, quatenus est illius susceptiva. Rursus: tex. 7. id explicans, quod prius dixerat, quòd nempè passione vacat, ita habet: *Atqui passionis vacuitatem non similem esse sensitivi, atque intellectivi patet in sensum instrumentis, atque in ipso sensu; sensus enim ex vehementi sensibili sentire non potest; at intellectus aliquo valdè intelligibili intellecto non minus sanè sed magis percipit, intelligitque inferiora.* Rationem autem hujus subjungit, quia sensus non immutatur sine corpore, hoc est, non suscipit immutationem intentionalem sine reali, intellectus verò sine corpore immutatur: patet ergo, quòd speciem intelligibilem suscipit intellectus non minus, quam sensus sensibilem.

182 Resp. Elis. quòd Phil. ne sibi ipsi contrarius sit, exponi debet de specie expressa sive memorativa; nam tex. 5. ait, quòd intellectus *nihil est actu prorsus eorum, quæ sunt antea, quàm intelligat ipse*, quod repetit tex. 14. quo ita habet: *Oporet autem in ipso nihil esse, perinde atque in tabula nihil est actu scriptum antea, quàm in ipsa scribatur; hoc enim in ipso fit, atque accidit intellectu.* Quibus intendit Phil. quòd intellectus noster ante actum intelligendi nullam habet objecti similitudinem: ergo 1. similitudo, quam habet, est ipse actus intelligendi & species expressa, & consequenter nulla datur species intelligibilis; cùm enim hæc præcedat actum intelligendi, jam haberet similitudinem objecti antequam intelligeret.

183 Sed quòd hæc ejus expositio violenta sit, & contra ipsum tex. de facili patet: præterquam quod enim inconsequenter excluditur species intelligibilis, si admittitur expressa. Phil. ipse ait, quòd intellectus est pura potentia, & nullam habet formam ante quàm intelligat, sicut sensus est pura potentia, & nullam habet formam sensibilem antequàm sentiat; sed nihilominus admittit ipse, quòd sensus speciem sensibilem suscipit, qua factus in actu procedit ad actum sentiendi: ergo pariter de intellectu. Præterea: tex. 7. concludit, quòd factus in actu potest per se ipsum operari: ergo quod ait puram esse potentiam, & nullam de se formam habere, hoc intendit, quòd debet formam intelligibilem suscipere, qua fiat in actu; agit enim unumquodque prout est in actu,

&

& potentia pura non potest in actum secundum progredi nisi fiat in actu, suscipiendo formam: quod ergo ait Phil. *ante quàm intelligat*, hoc tantùm intendit, quòd intellectus de se nullam habet formam, ut sit cujuslibet susceptivus, ad differentiam intellectus Angelici, qui dicitur intellectus in actu, quia habet congenitas formas intelligibiles.

184 Prob. 3. ratione B. D. cit. Quodl. 13. Non itur de extremo ad extremum nisi per medium; sed phantasma respectu actus intelligendi est extremum, nempè in actu sensibile, & actus ipse intelligendi terminus est & ultima actualitas: ergo ad hanc non potest intellectus pervenire per ipsum phantasma, sed per speciem intelligibilem, quæ medio modo se habet.

185 Ad hanc rationem resp. Elis. quòd phantasma de se, & secluso lumine intellectus agentis, est in actu sensibile, & valdè remotè se habet ad actum intelligendi; atverò ex irradiatione intellectus agentis apparèt in ipso phantasmate intentiones universales; & tunc phantasma medio modo se habet, & proximè ad actum intelligendi. Sed contra: 1. hæc solutio non excludit speciem intelligibilem, sed tantùm, quòd ea intellectui imprimatur. Prob. quia licèt entitativè & pro materiali ponat tantùm phantasma, at pro formali illa intentio alia imago est, ac illa quam percipit phantasia, nempè hæc intentio, quæ repræsentatur ex irradiatione intellectus agentis, est similitudo intelligibilis, quam autem phantasia percipit est similitudo sensibilis; sed species intelligibilis nihil est aliud, quàm similitudo objecti alia à sensibili, nempè repræsentatio ipsius quidditatis sine hîc & nunc, & conditionibus sensibilibus: ergo.

Contra 2. In virtute organica nequit objectum repræsentari, etiam in virtute luminis intellectus agentis, modo spirituali & intelligibili; sed phantasma recipitur in virtute organica: ergo ex irradiatione intellectus agentis nequit in phantasmate repræsentari intentio universalis. Patet min. quia phantasma in ipsa est phantasia, quæ cùm sit virtus sensitiva, organica est. Patet item maj. Quia actus activorum sunt in patiente & disposito, & quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur, hoc est, non ad ipsam agentis virtutem, sed ad passi capacitatem & dispositionem commensuratur effectus: cùm ergo virtus organica non transgrediatur terminos sensitivæ virtutis, neque repræsentatio in ea susceptа potest illos transgredi. Contra 3. Intellectus ut exeat in actum 2. intelligendi debet reduci de potentia ad actum; sed per repræ-

sentationem, quæ in phantasmate relinquitur, non reducitur intellectus de potentia ad actum: ergo ea non sufficit, sed ulterius requiritur repræsentatio suscepta in ipso intellectu. Maj. nota est, quia intellectus est potentia pura; agit autem unumquodque ut est in actu. Min. item patet, quia phantasma in ipsa est phantasia.

186 Resp. Elis. quòd verum est debere intellectum fieri in actu; non autem fit in actu subjectivè per speciem in se receptam, sed objectivè per præsentiam objecti in ipso phantasmate. Sed contra 1. Sicut intellectus, ita & sensus est potentia pura, & uterque debet fieri in actu, ut exeat in actum 2; sed sensus non fit in actu objectivè per solam objecti præsentiam, sed speciem requirit subjectivè in se receptam: ergo. Min. ipse docet, & maj. ex terminis patet, & habetur in tex. Phil. sup. adducto n. 181. Contra 2. Intellectus in se ipso subjectivè est pura potentia; sed si nihil in se recipit relinquitur ut prius: non ergo potest ad actum 1. reduci, nisi speciem in se suscipiat. Ratio est: quia præsentia debet esse intima & intranea; solus autem Deus potest illabi & intimè per se ipsum fieri præsens, quodlibet autem aliud nisi subjectivè recipiatur, relinquitur extraneum, & quia non potest per se ipsum subjectivè intimari objectum creatum, intimatur & unitur per speciem, quæ est imago ejus.

187 Resp. adduc Elis. quòd intellectus debet quidem subjectivè immutari ut fiat in actu; immutatur verò per, nescio, quam excitationem á phantasmate causatam, & transeunter intellectui impressam. Sed contra: 1. Per id reducitur ad actum, ad quod potentia erat; sed est potentia ipsum intelligibile, ut ait Phil. ergo per ipsum in se, vel in imagine sua sibi unitum debet reduci de potentia ad actum 1. Contra 2. Illa potentia, quam habet intellectus indifferens est ad quodlibet intelligibile, quarè id, quo ad actum reducitur, debet determinare ad hoc objectum præ alio: ergo hæc excitatio ita determinat. Tunc autem relinquitur controversia de voce; jam enim aliquid conceditur subjectivè in intellectu receptum, quo hoc determinatè objectum ipsi notificatur, hoc nos speciem intelligibilem dicimus, tu dicis excitationem, voca ut libet, si tamen repræsentatio est, qua objectum notificatur.

188 Tandem prob. conclusio ratione N. Argent. In omni operatione intellectuali oportet movens & motum esse conjuncta; sed movens ad actum intelligendi est objectum: ergo vel per se, vel per aliquid, quod

pro

pro ipso substituat, debet intellectui conjungi, & hoc 2. dicitur species intelligibilis. Alias rationes habet ipse Arg. quas mitto, quoniam ex his sufficienter patet conclusio.

§. II.

Solvuntur argumenta.

189 ARg. 1. Species intelligibilis ad nihil deservit intellectui: ergo nulla datur. Prob. ant. Aut ea ponitur ad repræsentationem objecti, aut ad causandum actum intelligendi; sed ad neutrum deservit: ergo. Prob. min. quia ad causandum actum intelligendi sufficit potentia; ad repræsentationem verò objecti, aut phantasia ut ponit Elis. aut sympatia, ut ponit Lalem. de qua dictum est suprà de speciebus sensibilibus.

190 Resp. neg. ant. ad prob. neg. min. & ad ejus prob. dicitur, quòd phantasma non potest intellectui repræsentare, tùm quia non recipitur in ipso, tùm quia est in virtute organica, cujus proinde repræsentatio tantùm potest esse sensibilis. Illa sympatia non potest concipi magis ad hoc, quàm ad illud objectum, quarè ea missa aliquid poni debet, quo intellectus ad hoc objectum determinetur, & hoc est objecti species. Insuper: potentia pura non potest in actum 2. exire, nisi fiat in actu 1. quarè solus intellectus non sufficit ad causandum actum intelligendi.

191 Arg. 2. Quod est diversæ rationis ab objecto nequit ipsum repræsentare; sed species, ut communiter ponitur, est diversæ rationis ab objecto: ergo nequit, ipsum repræsentare, & consequenter nulla datur, ad hoc enim tantùm ea ponitur. Patet maj. quia repræsentare est ducere in cognitionem; nequit autem in cognitionem alicujus ducere, quod diversæ rationis est ab eo. Resp. neg. maj. Ad prob. dicitur, quod non entitate qua est alterius rationis, sed similitudine ducit in cognitionẽ; & patet in imagine causata in speculo, aut picta in tabella, quæ secundùm entitatem alterius rationis est ab objecto, est tamẽ ejus imago, ipsum repræsentat, atque in cognitionem ejus ducit.

192 Arg. 3. Cognitio nõ terminatur ad id, quod intellectus non cognoscit; sed cognoscẽs leonẽ non cognoscit ejus speciẽ: ergo ea non terminat cognitionẽ, & sic pro cognitione non est necessaria. Hoc, sicut etiam præcedens, cõtra Elis. instatur in specie sensitiva, aut memorativa, quas admittit ipse. Directè dist. de specie pro materiali entitatis suæ, & pro formali repræsentationis; hoc posteriori modo est ipsum ob-

jectum, quatè ipsa cognitione cognoscitur, qua objectum attingitur; priori modo, non terminat cognitionem directam, seu qua objectum in ea repræsentatú cognoscitur, sic per se non est necessaria, quia intellectus tantúm requirit repræsentationem, qua objectum sit sibi præsens, quia verò illa repræsentatio non potest intellectui intimari nisi per entitatē, quæ ipsum informet, hac ratione entitas illa requiritur.

193 Arg. 4. Voluntas non indiget specie ad amandum: ergo neque intellectus ad intelligendum. Ant. communiter recipitur, conseq. autem patet, quia sicut voluntas ad actum volendi movetur ab objecto, ita intellectus ad actum intelligendi. Resp. dist. ant. non indiget specie alia à specie intelligibili, conc. ant. Non indiget specie absolutè, neg. ant. Itaque, quia objectum per se ipsum non potest uniri voluntati, ut eam moveat, debet per speciem uniri; quia verò ab intellectu proponitur sibi objectum, eò enim nihil volitum quin præcognitum, & aliunde in eodem gradu immaterialitatis est ac intellectus, per ipsam ejus speciem movetur.

194 Arg. 5. Id movet intellectum ad actum intelligendi, de quo memorans recordatur; sed ut unusquisque in se ipso experitur, non speciei, sed objecti recordatur: ergo non species, sed objectum movet; & sic superfluit species. Hoc item uti non potest Elis. quia ipse species admittit memorativas. Resp. sicut ad 3. quòd movet quidem objectum, quia verò non potest per se ipsum uniri, ut moveat, unitur per speciem; memorans verò recordatur objecti, quod in specie percepit, non speciei pro materiali entitatis suæ, quia hanc actu directo non percipit, quia verò ipsa pro formali est repræsentativè objectum, ejus sic recordatur, dum objecti recordatur.

195 Arg. 6. Si in intellectu dantur species, intellectus simul plura intelligeret; sed hoc est impossibile juxta Phil. 3. de An: tex. 23. ergo. Prob. maj. Species movet ex necessitate naturæ; sed contingit de multis simul haberi species: ergo eæ simul moverent, & simul omnes cognosceret intellectus. Resp. 1. quòd pariter contingit simul plura objecta esse præsentia & quidquid sit id, per quod objectum cognitum in memoria conservatur, simul plura ibi sunt; nec tamen plura simul aut cognoscit, aut memoratur. Resp. 2. directè neg. maj. Ad prob. dicitur, quòd quantumcumque species moveat, & intellectus sit in actu, non exercet actum cognitionis nisi quatenus per intentionem voluntatis applicatur, ut supra vidimus ex P. Aug. & quia per voluntatem

ad

ad unum tantùm potest applicari, unum tantúm uno actu cognoscit.

196 Arg. 7. Si dantur species, numquam contingit error in intellectu; sed hoc est inconveniens: ergo. Prob. maj. Quia naturale est tam speciei repræsentare objectum ut in se est, quàm intellectui percipere ut in specie repræsentatur. Resp. 1. Quód quidquid id sit, à quo intellectus movetur, naturaliter movet, & intellectus intelligit, neutrum enim libertatem habet, quarè arg. instatur in sent. arguentis. Resp. 2. neg. maj. Ad prob. dicitur, quód naturale est intellectui percipere, quod in specie repræsentatur, quia tamẽ ex potentialitate sua non potest totum uno actu percipere, ex illa potentialitate error cõtingit, quatenus quod uno actu percepit, conjungit cum eo, quod alio actu percipit, ut plenã de objecto habeat cognitionem; in hac enim conjunctione poterit contingere, quòd malè conjungat differentiam generi, aut prædicatum subjecto, aut definitionem definito, & ita in alijs ejus actibus.

197 Arg. 8. Ad hoc species ponitur, ut per eam fiat objectum præsens; sed potius contingit à contrario, quòd ex præsentia objecti species causatur: ergo. Resp. 1. instando in specie, quam oculis videmus in speculo; ea enim causatur ex præsentia objecti, & tamen imago ejus est, quod proinde repræsentat & facit præsens. Resp. 2. neg. conseq. nihil enim obstat, quòd ex præsentia objecti causetur species, ad hoc ut ipsa sit ejus similitudo, & ipsum cõsequenter repræsẽtet, seu præsens faciat; nempè ex præsentia exteriori & remota causatur species, quæ quia intellectui intimatur, præsentiam objecti facit intimam, quam non posset objectum per se ipsum habere.

198 Arg. 9. Si datur talis species, sequitur triplex inconveniens: 1. quod nihil intelligeremus nisi singulare; at experimur oppositum: ergo. Prob. maj. Quia species à singulari causatur, nihil enim aliud in re est, quare singulare repræsentat; at intellectus cognoscit sicut per speciẽ afficitur: ergo. 2. inconveniens: intellectus pateretur reali passione, nempè speciem reciperet, quæ est reale accidens; sed hoc est contra expressum Phil. tex. ut supra vidimus: ergo. 3. inconveniens: in intelligendo non indigeret phantasmate, sufficeret enim sibi illa species; sed hoc item est contra tex. Phil. ergo.

199 Resp. neg. assumptum. Ad 1. inconveniens neg. maj. Ad prob. dicitur, quòd species à singulari causata in sensu non nisi singulare repræsentat, tùm quia non agit in virtute alicujus altioris luminis, tùm quia potentia, in qua causatur tantùm

tùm est capax singularis & sensibilis repræsentationis; at verò species causata in intellectu ex utroque capite habet repræsentare quidditatem universalem; tùm quia causatur in virtute luminis intellectualis, nempè intellectus agentis; tum quia causatur in intellectu, unumquodque autem recipitur secundum modum sui recipientis; non item ab objecto in re existente, sed à phantasmate causatur illa species.

Ad 2. inconveniens, neg. maj. non enim reale accidens, ut in proposito accipitur, sed intentionale, est illa species; passio verò, de qua Phil. loquitur, est transmutativa & alterativa, quæ non in qualibet receptione exercetur, sed accidentis physici, cujus est transmutare & alterare; patet enim, quòd speculum non transmutatur ex quo objecti similitudinem aut suscipiat, aut amittat. Ad 3. inconveniens, jam supra patuit ex B. D. n. 162. qua ratione non sufficit intellectui pro hoc statu species intelligibilis, sed, ut ait Phil. oportet intelligentem phãtasmata speculari, quia nempè ex præsentia phantasmatis, à quo causatur, quandam habet actualitatem; quarè ad formam neg. maj.

200 Arg. 10. Species, aut tantùm objectivè se habet, aut per modum agentis concurrit ad actum intelligendi; sed neutrum potest: ergo. Prob. min. quantum ad 1. quidem: quia si tantùm concurrit objectivè reddendo objectum præsens, semper intellectus esset in actu cognoscendi, quia semper habet objectum in ea præsens. Quantum ad 2. item: quia nulla forma ad subjectum suum habet munus agentis; species autem comparatur ad intellectum tanquam ad subjectum suum. Resp. quód de maj. in seq. art. agitur, interim dicitur, quód utroque modo concurrit. Ad 1. rationem in contrarium jam supra patuit, quòd quamvis semper sit in actu, non semper exercitè cognoscit, quia non semper exercitè applicatur per intentionem voluntatis. Ad 2. quòd in genere causę à *qua*, & per veram causalitatem forma non agit in subjectum suum, poterit verò agere in genere causæ *ad quam*, quia hæc non nisi latè & per quandam analogiam causalitas dicitur, & hoc modo concurrit species, ut art. seq. dicemus.

201 Arg. 11. ex Phil. in 3. de An. tex. 5. & 13. suprà adductis, quibus ait, quòd intellectus nihil est actu eorum, quæ intelligit, antequam intelligat, & quòd est de se tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum; sed si ponitur species intelligibilis, per eam, antequam intelligat, est in actu, & habet depictum,

tum, quod tali specie repræsentatur: ergo. Resp. quòd sensus Phil. jam patuit supra: eodem modo ait ipse se habere intellectum, nempè in pura potentia, ac sensus se habet; nihilominus arguens admittit species, per quas sensus fit in actu. Ad formam dist. maj. Antequam intelligat, hoc est, de se, conc. maj. Antequam intelligat, hoc est, propriori naturæ ad actum intelligendi postquam factus est in actu, neg. maj. tantùm enim intendit Phil. quòd de se est pura potentia, & nullam habet speciem, sed ut ibi habet tex. 2. est cujuslibet susceptivus.

202 Arg. 12. Nullum æternum recipit accidens variabile; sed intellectus æternus est, species verò est accidens variabile: ergo. Conf. Quod perfectioris est & altioris ordinis non perficitur à forma inferiori; sed intellectus altioris est ordinis quàm species: ergo. Patet min. quia intellectus est spiritualis, species verò, cùm cæusetur ab objecto materiali, erit materialis. Resp. dist. mai. Accidens variabile phisicum, conc. maj. Intentionale, neg. maj. species autem est accidens intentionale. Itaque æternum est intransmutabile, quarè illa accidentia non admittit, quæ transmutationi deserviunt; patet autem, quòd Angelus variationem patitur secundum actus intelligendi & amandi. Ad Conf. 1. neg. maj. formam enim superiorem non potest connaturaliter recipere, quia non est ea perfectibile, benè verò inferiorem. 2. neg. min. non enim materiales sunt species, sed intentionales; hoc autem alterum genus est, quod cõparationem non habet cum ente reali, cum quo in nullo communicat, quare neque inferius est, neque superius.

203 Arg. 13. Intellectus intelligit res spirituales sine speciebus: ergo & corporales. Prob. ant. Intellectus non habet propriam speciem rei spiritualis; sed neque eam potest per speciem rei corporalis cognoscere: ergo. Prob. min. Per id, quod nullomodo rem spiritualem repræsentat, ea non potest cognosci; sed species rei corporalis nullomodo repræsentat spiritualem, ergo. Patet min. quia species est imago & similitudo ejus, quod repræsentat; patet autem, quòd species rei corporalis nequit esse similitudo rei spiritualis, cùm sit ipsius rei corporalis imago. Conf. Si intellectus noster haberet species, eas cognosceret; at non cognoscit: ergo.

204 Resp. neg. ant. Ad prob. neg. min. Ad ejus prob. item neg. min. ad cujus prob. dist. maj. Est similitudo ejus, quod repræsentat directè, conc. maj. Quod repræsentat indirectè, neg. maj. Itaque spiritualia non

non possumus directè cognoscere, quarè aut cognoscimus ad modum corporalium, ut quando Angelum concipimus ad modum alati juvenis, & tunc per speciem cognoscimus rei corporalis ad cujus similitudinem concipimus spiritualem; aut cognoscimus indirectè & negativè, nempè non quid est, sed quid non est, ut concipiendo naturam corporalem cõcipimus quod non talis est, sed longè superior, & tunc ipsa species rei corporalis spiritualem nobis repræsentat, non positivè ut imago ejus, sed negativè & indirectè, quatenus privatio in specie positivi cognoscitur, cujus est privatio, quia rectum ex index sui & obliqui. Ad Conf. dictum est de specie sensibili, quam ne actu quidem reflexo sensus percipit; & tamen eam dari concedit arguens. Neg. itaque maj. quia non oportet, quòd intellectus speciem cognoscat pro materiali entitatis suæ actu, quo cognoscit objectum in ea repræsentatum; cognoscit verò actu reflexo, alioqui non posset de eis disputare.

ARTICULUS II.

Quam causalitatem habeat species ad actum intelligendi?

205 PRima sent. docet, speciem tantùm concurrere ad actum intelligendi in genere causæ formalis extrinsecæ, quatenus nempè terminat & specificat. Hanc tenet Ill. Pal. q. 5. qui pro ea alios citat. 2. ea que communis sent. docet, causalitatem habere verè effectivam. Hæc est cæterorum, adeò ut N. Gavardi asserat, omnes supponere, quòd species concurrit activè effectivè, & tantùm esse controversiam de modo illius causalitatis; volunt quippè Scotistæ, quòd sit partialis concausa simul cum intellectu causans intellectionem, quatenus nempè intellectus causat factus in actu per speciem; Thomistæ verò volunt, quòd concurrat ut totalis causa per modum virtutis. Pro hac sent. N. Mans. citat B. D. q. 4. & 5. de cog. Ang. & Quodl. 5. q. 15. immeritò tamen, ut mox patebit, ex hoc enim eodem loco nostram probabimus conclusionem.

206 Dicendũ ergo, quòd species non solùm objectivè concurrit ad actum intelligendi terminando & specificando, sed activè etiam, non verò causalitate propriè effectiva & causæ à *qua*, sed latè & ut causa *ad quã*. Not. quòd intellectio accipitur, aut ut est vitalis motus & perceptio objecti, aut ut est assimilatio quædam & qualificatio ipsius intellectus: priori modo nullam habet species causalitatẽ in ipsam, nisi tantùm præsuppositivè, quatenus disponit intel-

tellectum reducendo ipsum de potentia ad actum; quia vitalis motus ab anima est & in anima per potentias suas, & cuique patet, quòd solus intellectus percipit objectum: posteriori ergo modo causalitatem habet species, tùm objectivam in genere causæ formalis extrinsecæ, quatenus terminat & specificat, de qua nullus dubitat, tùm etiam activam, quatenus in genere causæ *ad quam* causat illam assimilationem.

207 Prob. 1. ex B. D. q. 4. de cog. Ang. qua ipsum pro sua & communi sent. adducit N. Mans. §. *His declaratis*, ubi ita habet: *Quod enim ipsum objectum faceret, si esset præsens, hoc facit ipsa species ut est repræsentativa objecti; unde & communiter dicitur, quòd actus intelligendi non procedit ab intellectu & specie tanquam à materia & forma, sed tanquam à duobus agentibus; non enim procedit à specie, nisi ut supplet vicem objecti. Sed quòd species illa informet intellectum, quodam modo accidit, si enim illa species, quæ est similitudo objecti, posset existere in intellectu absque eo quod inhæreret ipsi, multò magis & formalius causaret actum intelligendi.* Idem sæpissimè habet tum in eadem q. tum q. 5. tum q. 1. §. *His autem omnibus*, tum Quodl. 3. q. 14. qua quærit, an intellectus noster possit intelligere essentiam Divinam mediante

specie? Negativè resp. & tota ratio est, quia species tantùm requiritur ut suppleat objecti præsentiam, quare ubi objectum est per se ipsum præsens, superfluit omninò species; hac item ratione negat, beatos in videndo Deũ formare verbum, quia ubi objectum per se ipsum est præsens superfluit species sive impressa, sive expressa, inqua repræsentetur.

208 Prob. 2. ratione, quæ ex his deducitur: Illam causalitatem habet species ad actum intelligendi, quam haberet objectum si per se ipsum intellectui esset præsens, ut est in visione beata; sed objectum neque purè objectivam haberet, hoc est, tãtùm terminare & specificare, neque habere posset verè effectivam & causæ *à qua*, sed haberet causæ *ad quam*: ergo talem habet species. Maj. eò patet, quia species est objecti vicaria, pro eo substituit, & vicem ejus gerit, quarè id totũ & nihil amplius habet, quod objectum per se ipsum haberet; quodsi informat intellectum, hoc de materiali se habet, ut ait B. D. & præsuppositivè ad munus speciei, quia nempè in intellectu esse non potest, ut pro objecto substituat, nisi informando ipsum; intima enim præsentia, sine informatione illapsús, est cuilibet rei creatæ repugnans.

Prob. ergo min. quantùm ad 1. quia intellectus est pura potentia,

tia, quæ ut progrediatur ad actum 2. debet fieri in actu 1. ab objecto, vel specie ejus; sed per hoc quod terminet & specificet actum non reducit intellectum de potentia ad actum: ergo. De maj. nullus dubitat; min. autem eò patet, quia ista reductio est pro priori ad actum 1. nempè ipsa causalitas, qua intellectus fit in actu 1. at verò illa specificatio terminus est, & quid sequutum ad actum 2. Conf. Causalitas, qua reducitur intellectus de potentia ad actum, quodammodo subjectiva est, & se tenet ex parte intellectus ad actum 2; sed causalitas specificativa, & causæ formalis extrinsecæ purè objectiva est, & se tenet ex parte termini ipsius actus 2. ergo causalitas objecti, sive speciei, qua intellectus reducitur de potentia ad actum, non est purè specificativa & causæ formalis extrinsecæ.

Deindè quantùm ad 2. prob. principalis min. Ubi nulla intelligitur influentia, non intelligitur causalitas verè effectiva, neque totalis, neque partialis, neque per modum virtutis, aut ullo alio modo; sed in causalitate, qua objectum causat actum intelligendi, quando per se ipsum unitur intellectui, nulla intelligitur influentia: ergo. Maj. patet, quia illa influentia est formalissimè causalitas efficientis, ut tapè explicatum est in præcedentibus. Min. item patet, quia sola intima præsentiâ sua concurrit objectum; deberet autem informare, si deberet in actum coinfluere, imò si informaret, non posset coinfluere: quia nulla forma influentiam habet effectivam in subjectum suum; sed actus intelligendi in ipso intellectu recipitur: quod ergo forma est ipsius intellectus non potest in actum intelligendi influentiam habere: patet ergo, quòd species, tùm quia ipsa informat, tùm quia eandem omninò causalitatem habet, quam objectum per se ipsum haberet, non potest causalitate verè effectiva ad intellectionem concurrere.

Relinquitur ergo 3. quòd ut causa *ad quam* concurrit; si enim amplius quàm objectivè, nec tamen vera influentiâ, hoc solùm potest habere. Nihilominus id directè ostenditur: Intellectio quædam qualificatio est, & assimilatio intellectus ad rem intellectam; sed assimilatio in genere causæ *ad quam*, & per quandam emanationem causatur ab eo, cui est assimilatio: ergo ita causatur sive ab objecto per se ipsum, sive à specie gerente vices ejus. Maj. explicata est in præcedentibus, & communiter supponitur, quòd intellectus intelligendo fit res intellecta. Min. ex terminis nota est. Et Conf. Ita causatur illa assimilatio sive ab objecto per se ipsum, sive à specie loco ejus, si-

ſicut à corpore in ſpeculo, aut ab objecto in medio cauſatur imago & ſpecies ſenſibilis, quæ eſt etiam quædam aſsimilatio; ſed iſta imago cauſatur ex ſola præſentia, & emanatione quadam in genere cauſæ *ad quam*: ergo. Mitto alia, quoniam ex his ſufficienter patet concluſio.

209 Argumenta in contrarium de facili ſolvuntur, tantùm enim probant fundamenta prioris ſent. quòd ſpecies non habet cauſalitatem verè effectivam, quod nos intendimus; poſterioris verò tantùm deducunt, quòd non ſufficit cauſalitas purè objectiva, & cauſæ formalis extrinſecæ, quod etiam concedimus, nihilominus claritatis gratia aliqua adducemus, quo poſsit cæteris ſolutio aplicari.

210 Arg. 1. pro priori ſent. N. Manſ. Aut ſpecies concurrit ad actum intelligendi ſecundum materiale entitatis ſuæ, aut ſecundum formale repræſentationis; ſed utroque modo tantùm ſe habet objectivè: ergo. Prob. min. & quidem quantùm ad 1. de ſe patet; tùm quia illo modo informat, quarè nequit effectivè ſe habere ad intellectum; tùm quia illo modo non eſt imago objecti, quarè nequit pro ipſo ſubſtituere, & cõſequenter neq; cauſalitatem habere ad actum intelligendi. Quantum ad 2. quia cauſalitas effectiva phiſica eſt; at ſpecies illo modo eſt purè intentionalis: ergo. Conf. Licèt voluntas activetur ab objecto ſibi per cognitionem propoſito, objectum non activè effectivè, ſed objectivè tantum ſe habet, & terminativè ad actum; ſed eodẽ modo ſe habet ſpecies ad actum intelligendi: ergo. Conf. 2. In actum vitalem non influit principium non vitale; ſed ſpecies eſt principium non vitale: ergo. Patet min. eſt enim imago objecti ejuſdem rationis ac illa, quæ cauſatur in medio. Rurſus: eandem habet cauſalitatem ſpecies lapidis, ac haberet lapis ipſe; patet autem, quòd iſte non haberet vitalem cauſalitatem. Præterea: actus vitalis nequit cauſari ab eo, in quo non continetur; non autem continetur in ſpecie.

211 Hoc, ut vides, tantùm procedit contra 2. ſent. & nihil omninò habet contra nos. Ad formam dicitur, quòd ſpecies concurrit ratione repræſentationis; & ad rationem ejus, quòd forma intentionalis nequit habere cauſalitatem cauſæ à *qua* & verè effectivam, poteſt autem habere cauſalitatem cauſæ *ad quam*; patet enim, quòd ab imagine, quæ eſt in ſpeculo, cauſatur alia, & à ſpecie, quæ eſt in medio, cauſatur ſpecies in potentia. Ad Conf. neg. maj. quantum ad 2. quòd nempè tantum objectivè & terminativè ſe habeat objectum ad voluntatem, licèt enim non verè effectivè, ſe

habet autem activè ut causa *ad quam*; sequitur enim ex illa propositione intellectùs activatio voluntatis, quam ipsa amplectitur, & hoc est velle, ut dicemus q. 7. Ad 2. Conf. & prob. ejus dicimus, quòd ad intellectionem, ut est vitalis motus, non concurrit species, sed ut est qualificatio, & assimilatio intellectus.

212 Arg. 2. Idem Mans. pro sua sent. tùm auth. B. D. quam suprà expendimus, tùm deinde ratione: Virtus adæquatè præcontentiva cognitionis solùm salvatur in complexo ex intellectu & specie objecti; sed in cognitionem influit virtus adæquatè præcontentiva: ergo. Min. supponitur nota, & maj. sic ipse probat: 1. quia ab objecto & potentia paritur notitia; ab eo autem paritur, in quo adæquatè præcontinetur. 2. Virtus adæquatè præcontentiva solùm salvatur in potentia completa & determinata; sed completur per speciem, qua fit in actu: ergo. 3. Virtus adæquatè contentiva cognitionis solùm salvatur in potentia, quæ est similis in actu 1. quia simile non cognoscitur nisi à simili; sed potentia fit similis in actu 1. per speciem: ergo. Conf. Verbum cognitione formatum, est formalis similitudo objecti, & cognitio est virtualiter assimilativa: ergo virtus adæquatè præcontentiva ejus debet esse similis objecto in actu 1. fit autem similis per speciem.

213 Hoc item: aut in min. loquitur de influentia propriè tali, & quæ est causalitas effectiva, & tunc supponit quod probandum erat, nempè quòd cognitio vera influentia producatur; aut latè accipit influere prout idem est ac quomodocumque causare, & tunc nihil ad propositum, tantùm enim probat, quòd species concurrit. Ad formam neg. maj. de intellectione ut est qualificatio & assimilatio intellectus, hac enim tantùm ratione ad illam concurrit species, ut jam patuit. Ad 1. probat. dicitur, quòd ab utroque paritur, non autem simul una causalitate, sed à quolibet suo modo, nempè ab objecto in genere causæ ad *quam* ut est assimilatio quædam, à potentia verò ut est vitalis motus. Ad 2. prob. dicitur, quòd virtus adæquatè præcontentiva cognitionis ut est assimilatio quædã ipsa est species, quæ est imago objecti, & ipsi assimilat intellectum, ad hoc ipsa est sufficienter in actu & determinata, nempè est in actu imago objecti; ad intellectionem verò ut est vitalis perceptio nihil habet species nisi tantùm præsuppositivè. Ad 3. simile in actu 1. est natum habere similitudinem; tunc autem neque ab ipsa specie, sed de se habet intellectus talem similitudinem, neque à simili hoc modo po-

potest assimilatio causari. Ad Conf. patet ex dictis, quòd assimilatio activè fit à specie, à cognitione verò tantum passivè quatenus percipit, quarè hoc sensu ipsa est assimilativa, ex quo nihil ad propositum.

214 Arg. 3. Complut. Terminus, qui per cognitionem producitur, evadit similis ipsi speciei: ergo ipsa influit per modum principij activi. Patet ant. est enim talis terminus expressa imago objecti, species autem est ejus etiam similitudo & repræsentatio. Prob. itaque consèq. 1. quia id, cui effectus assimilatur, non potest non influere ut principium activum, ut inductione cõstat. 2. quia cùm sit de ratione agentis assimilare sibi passum, signum id est, quod id cui effectus assimilatur est agens in ipsum influens.

215 Resp. quòd per cognitionem formaliter & per se nullus terminus ponitur, alioqui qualibet cognitione poneretur. Rursus: verbum, quod est terminus de quo loquitur, non producitur, alioqui actio, qua formatur, quæcumque illa sit, esset transiens, per hoc enim Phil. in præc. sæpè adductus distinguit actionem transeuntem ab immanente, quòd transiens, non verò immanens ponit terminum: Insuper: non speciei, sed objecto evadit similis ille terminus, quarè hoc & non species esset activum principium; neg. itaque ant. Deinde ad 1. prob. consèq. instatur apertè: imago in speculo apparens evadit similis objecto ad sensum autem patet, quòd hoc nullam habet activam influentiam. Similiter ad 2. cùm sit de ratione agentis, quòd sit nobiliùs & præstantiùs patiente, signum id esse deberet, quòd id, quo effectus evadit inferior, esset agens, quod tamen manifestè est absurdum: quamvis ergo sit de ratione agentis assimilare sibi passum, non tamen è converso habet rationem agentis ex hoc præcisè, quòd terminus ipsi evadat similis, sicut patet de imagine ex sola præsentia, & sine ulla influètia causata in speculo.

216 Arg. 4. Quod se habet per modum formæ in aliquo ordine influit activè in operationes illius, cujus est forma; sed species se habet ut forma intellectus in ordine ad actum intelligendi: ergo. Min. ex terminis nota est, & maj. inductione patet; quia enim calor est forma calidi, activè influit in actum calefaciendi, & ita in reliquis patet. Resp. 1. dist. maj. Quod se habet per modum formæ informantis, mitto maj. Quod se habet per modum formæ tantùm intimè assistentis, neg. maj. & hoc modo se habet species; informare enim est sibi de materiali, ut jam diximus. 2. Influit in operationes illius, cujus est for-

forma, si tale habet operationes ab ejus influentia procedentes, mitto maj. Si tales operationes non habet, cuique patet, quòd id, quod se habet per modum formæ, non poterit coinfluere; tunc autem jam patuit, quòd intellectus nullam habet operationem, in quam activè influat. Itaque species per se & formaliter non forma est, sed modum habet formæ; quatenus nempè facit in actu, quodammodo perficit, & modum formæ habet; quatenus verò informare sibi omninò est de materiali, & ex propria ratione tantùm habet reddere in actu ex intima præsentia, sive ex quo facit objectum præsens, non propriè forma est, quarè non debet intellectui coinfluere, etiam dato, quòd influentiam ipse haberet. Per hæc poterit ad reliqua patere, si quæ objiciantur.

QUÆSTIO VII.
DE
VERBO MENTIS,
ET MEMORIA INTELLECTIVA,

ARTICULUS I.

Quid sit verbum mentis?

§. I.

Quibusdam præmissis probatur nostra sententia.

217 NB. D. in 1. dist. 27. q. 2. art. 1. cùm quæreret, an in Divinis propriè dicatur verbū? Pro expeditione præmittit, quòd ex hoc aliquid dicitur propriè tale, quia sibi competit propriè ratio illius; ratio autem alicujus ex duobus potest venari, nempè autex etymologia aut, ex significato, tunc autem ad propositum subjungit, quòd etymologia hujus vocis *verbum* duplex est: aut enim dicitur à verberando, quasi aerem, vel aurem verberans; aut dicitur

à

à vero, quasi verbum boans. Priori modo magis verbo vocali competit nomen & ratio verbi, posteriori magis verbo mentali; atverò juxta P. Aug. magis propriè accipitur verbum posteriori modo, nam lib. 13. de Trin. cap. 11. ita habet: *Verbum, quod foris sonat, signum est verbi, quod intus latet, cui magis verbi competit nomen*, & quasi rationē assignans cap. 15. ait: *At enim nec verbum dicendum est, quod verum non est; & cùm verum est verbum nostrum, tunc rectè verbum vocatur*: quia ergo à vero magis sumitur ratio verbi, verbum magis propriè dicitur de mentali, quàm de vocali.

Notat autem idem B. D. in Quodl. 5. q. 9. quòd ipsum interius, sive mentale verbum multipliciter accipitur: nam uno modo ipsa rei quidditas dicitur verbum ejus, quarè ait S. P. lib. 9. de Trin. cap. 10. quòd definitio & quid est res, hoc est verbum ejus; alio modo ipsa notitia verbum dicitur, idem enim S. P. in eodem cap. de hoc quærere incipit, an omnis notitia verbum sit, an tantùm amata notitia? Quarè supponit, quòd notitia verbum quodammodo est; 3. dicitur verbū imago quædam rei conceptæ, quam in cognoscendo format intellectus, & hoc posteriori modo magis propriè accipitur: quia verbum habitudinem importat non solùm ad id quod per verbum exprimitur, sed originis etiam ad intellectum à quo formatur; at verò priori modo, aut etiam posteriori non importat originem, quarè hoc tantum 3. modo accipitur verbum, de quo quærimus.

Hinc cit. Quòdl. q. 9. docet B. D. quòd verbum non est quo, aut per quod intellectus intelligit, sed in quo; quia verbum imaginem significat ab intellectu formatam, quæ se habet veluti speculum in quo objectum contemplatur, nempè ad hoc illa imago in memoria reponitur, quæ secundùm se species expressa dicitur, verbum verò prout originem importat; quarè concludit, quòd beati videndo Deum non formant inde verbum, quod sit aliud à Divina essentia, quia cùm Deus per se ipsum uniatur, intellectui, superfluit speculum, in quo contempletur, sed ipsa Divina essentia est ibi loco verbi. Hinc etiam in 1. dist. 32. q. 2. art. 1. docet, quòd Pater non est Sapiens Sapientia genita, sed magis actu, quo generat; nec dicitur se nosse filio, aut per filiū, sed in filio, qui proinde dicitur Sap. 7. *Speculum sine macula & imago bonitatis illius*. Hinc item verbum non nisi personaliter sumitur in Divinis, cùm notitia sumatur essentialiter, quia verbum originem importat, quem non importat notitia.

De

218 De hoc ergò verbo quæritur quid est in nobis, & tota difficultas ad hoc devolvitur, an ab intellectione realiter differat? Docet enim Prima sent. quòd intellectio est qualitas ab intellectu producta, quæ est verbum mentis, quarè solùm formaliter verbum ab intellectione differt, nempè illa qualitas ut ad productionem comparatur, quæ est dictio, verbum est; ut verò per illam qualitatem intellectus tendit in objectum, est intellectio. Hanc tenet Scot. quem Scotistę sequuntur apud Mast. disp. 6. q. 3. art. 1. & 2. ex alijs tenent Durand. Ocham. Gab: & communiter Nominales; tenet item P. Suar. tum in Met. disp. 28. sec. 2. tum 3. de An. cap. 5. Vazq. Arriag. & alij; hanc item esse sent. Resol. ait Elis. q. 4. art. 9. apud quem alij. 2. sent. docet, verbum mentis ab intellectione differre realiter, & eà formari. Hanc tenent communiter Thomistæ, & hęc est aperta sent. B. D. loc. sup. cit. quarè hanc tenent communiter Nostri Argent. Gerard. Lafos. Gavard. Manss. & alij.

219 Dicendum itaque, quòd verbum realiter differt ab intellectione, estque terminus ipsa intellectione formatus. Hæc apertissimè colligitur ex P. Aug. cit. lib. 15. de Trin. á cap. 11. usque ad 16. quibus latè de verbo differit, asseritque frequentissimè, quòd verbum nostrum gignitur de nostra scientia, ait itaque cap. 11. sub medium: *Perveniendum est ergo ad illud verbum hominis, ad verbum rationalis animantis, ad verbum non de Deo natum, sed a Deo factum imaginis Dei, quod neque prolativum est in sono, neque cogitativum in similitudine soni quod alicujus linguæ esse necesse sit, sed quod omnia, quibus significatur, signa præcedit, & gignitur de scientia, quę manet in animo, quando eadem scientia intus dicitur sicuti est: simillima est enim visio cogitationis visioni scientiæ. Nam quando per sonum dicitur, vel per aliquod corporale signum, non dicitur sicuti est, sed sicut potest videri, audiri ve per corpus.* En de conceptu loquitur S. P. rationalis animæ, quod à conceptu distinguit, quem de voce formamus, & hoc dicit cogitativum sive cogitationis; quarè de verbo loquitur proprie, & ut de eo quærimus, de quo tria notanda sunt: 1. quod asserit gigni de scientia; 2. quod ait eadem scientia intus dici; 3. quod ait simile esse de visione scientiæ quantùm ad gignere hoc verbum, ac de visione cogitationis quantùm ad gignere verbum vocale; ex quibus triplex deducitur ratio.

Prima sic potest formari: Eatenus verbum ab intellectione non differt, quatenus ipsa est qualitas ab intellectu producta, per

per quam pro posteriori tendens in objectum ipsum cognoscit; sed juxta S. P. non ita est: ergo. Prob. min. Si verbum esset qualitas illo modo producta, non gigneretur de scientia, imó sciētia de ipso quodammodo oriretur; at ait S. P. quòd verbum nostrum de nostra scientia gignitur, quod sæpissimè ibi repetit: ergo. Patet maj. tunc enim non quia intelligit verbum formaret, sed è contra, quia verbum produxit, eo tendens in objectum sciret atque intelligeret. 2. ratio hæc est: Verbum nostrum tunc gignitur scientia, quæ manet in anima, quando eadem scientia intus dicitur; at si non est qualitas distincta ab intellectione, & quæ sit terminus ejus, non scientia dicitur, sed dictione prius producitur, ut eo postea intellectus intelligat: ergo. Maj. expressè habetur in verbis S. P. & min. est communis sensus contrariæ sent. 3. ratio est: Simile est de verbo vocali relatè ad cogitationem, seu conceptum de voce, ac de verbo mentali relatè ad intellectionem, seu visionem scientiæ; sed præcedit cogitatio, seu conceptus de voce, cujus terminus est verbum vocale: ergo pariter.

220 Prob. 2. ratione, quam intendit B. D. tùm cit. Quodl. 5. q. 9. tùm in 1. dist. 25. q. 2. art. 2. Verbum mentis absolutè & per se significatur per verbum vocale; at per hoc non significatur intellectio, sed terminus ejus nempè conceptus, quem intellectione formamus: ergo. Maj. habet S. P. cit. lib. 15. de Trin. cap. 11. Min. autem de facili ostēditur; vocibus enim non motus animæ, quibus res percipimus, sed res ipsas á nobis perceptas intendimus significare. Conf. Si verbum non differt realiter ab intellectione tanquam terminus ipsa formatus, non est speculum in quo, sed per quod intelligimus; at non est per quod, sed in quo: ergo. Patet maj. quia tunc esset ipsa qualitas, per quam tendens in objectum intellectus intelligit. Min. item: si enim posset dici, quód verbo intelligimus, posset item dici, quòd Pater in Divinis intelligit se filio, & quòd est sapiens sapientia genita; hoc autem expressè negat P. Aug. lib. 7. de Trin. cap. 1. & ut supponit B. D. in 1. dist. 32. q. 1. art. 1. propositio est, quam retractavit S. P.

221 Prob. 3. Si verbum qualitas est dictione producta, qua intellectus tendens in objectum intelligit, formatio verbi non est per se & ex terminis vitalis motus; sed hoc est inconveniens: ergo. Min. patet, quia formatio verbi in Divinis est formaliter generatio. Maj. ostenditur: quia tunc formatio verbi per se & formaliter esset illa productio qualitatis, quæ intel-

tellectionem præcedit; at intellectus non nisi intellectione vivit: ergo. Conf. Si verbũ ab intellectione non differt realiter tanquã terminus ejus, intellectus nescièns formet verbum ut intelligat; sed hoc est apertè absurdum: ergo. Ostenditur maj. quia tunc producit qualitatem, ut ea tendens in objectum intelligat: non ergò intelligens, sed ut intelligat. Min. item: tùm quia apertè implicat, quòd nesciens dicat; tùm quia dici posset, quòd Pater nesciens generat filium, generat enim dicendo verbum.

§. II.
Solvuntur argumenta.

222 ARg. 1. ex P. Aug. lib. 9. de Trin. cap. 11. quo ait: *Formata quippè cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est, quod in corde dicimus*; & paucis interjectis concludit, quòd verbum est cum amore notitia: quibus locis ipsam notitiam, cogitationem, sive intellectionem verbum dicit; ut si verbum est qualitas intellectione formata, & terminus ejus, nullo legitimo sensu potest intellectio ipsa verbum dici, benè autem si verbum est ipsa qualitas, quæ est intellectio, ut dictum patet: ergo.

223 Resp. 1. quòd locus iste magis est contra producentem: in illa enim sent. non potest salvari intellectio sine verbo, & ita tenent illius sent. DD. oportet enim de necessitate ponere qualitatem, qua intellectus tendat, quæ est intellectio; hæc autem & ab intellectu de necessitate producitur, & sic producta dicitur verbum. Tunc autem legenti tex. illius cap. patet, quòd hoc intendit S.P. quòd non omnis intellectio verbum dici potest, sed formata tantum, ita enim incipit: *Rectè ergo quæritur: utrum omnis notitia verbum, an tantùm amata notitia?* Et cõcludit, quòd verbum est cum amore notitia; quod etiam habet lib. 15. cap. 15. quo docet, quòd cùm cogitando, & quasi inquirendo cogitamus de aliquo, illa est informis cogitatio, qua non formatur verbum, quoad usque scientia perveniat intellectus ad rem, de qua dubitat; quarè ait, quòd tantùm verbum est notitia formata ea re, quam novimus: non ergo juxta mẽtem S. P. verbum est qualitas, qua intellectus tendens in objectum intelligit, sed quæ est imago intellectione formata.

224 Resp. 2. directè neg. min. Sensus enim S. P. de plano patet, dicit enim notitiam formatam conceptum ipsum objectivum, non formalem, dicit autem formatam hanc notitiam, quo distinguat ab informi cogitatione, qua dubitando, aut inquirendo de re aliqua cogitamus:

quod

quod verò ait verbum esse amatam notitiam, seu cum amore, hoc intendit, quod ut alibi habet, quem locum art. 3. expendemus: *partum mentis sæpè præcedit inquisitio, eo fine quietura*: Quia ergò verbum mentis terminus est illius inquisitionis, quietem, seu complacentiam illò amore significat, quæ ad inquisitionem sequitur, cùm perveniatur ad id quod quærebatur.

225 Arg. 2. ratione, quam colligi ait Elis. ex P. Aug. lib. 15. de Trin. cap. 11. sic formatur: De ratione verbi est, quòd non maneat cessante actu intelligendi; sed ita se habet intellectiò, non verò quòd eà formatur, sive gignitur: ergo. In primis quod ad authoritatem attinet P. Aug. illo cap. agit de summo Dei verbo, & determinat, quòd sicut verbum vocale in nobis signum est, per quod innotescit mentale, quod prius erat ignotum, ita verbum Dei caro factum nobis quodammodo innotuit; ad intentum autem præsentis argumenti, ne verbum quidem toto illo cap. habet.

Ne autem videamur difficultatem dissimulare, habet non nihil cap. 15. ejusdem lib. quo intendit differentias aliquas, quæ sunt inter nostrum & Dei verbum; & altera est, quòd hoc sempiternum est, non autem nostrum, quo circa ita habet: *Id ergo, & siqua reperiuntur similia, in quibus imago Dei potius intuenda est, etiam si semper sciuntur, tamen quia non semper etiam cogitantur, quomodo de his dicatur verbum sempiternum, cùm verbum nostrum nostra cogitatione dicatur, invenire difficile est.* Quibus verbis supponit, quòd verbum nostrum trãsitorium est, sicut ipsa cogitatio: ergo est de ratione ejus non manere.

226 Resp. quòd hoc loco utique differentiam assignat S.P. verbi nostri à verbo Dei, quòd hoc sempiternum est, nostrum autem transitorium, ipsa autem verba satis apertè intentum arguentis excludunt; ait enim, quòd verbum nostrum nostra cogitatione dicitur: non ergo est ipsa cogitatio, sed terminus cogitatione formatus: patet enim, quod dicere est verbum formare, nec intelligi potest verbum formare, quod non sit dicere. Sensus itaque S. P. est, quòd possit alicui difficultatem facere, quòd anima nostra sempiterna est; at ipsa quandiu est se novit, cognoscit enim se per essentiam suam: saltim ergo hoc nostrum verbum erit sempiternum. Hanc difficultatem evacuat S. P. & ait, quòd hoc & similia etsi semper sciuntur, non tamen semper cogitantur; verbum autem cogitatione formatur: non ergo semper est tale verbum; quorum sensus est, quòd semper anima se novit in quodam habitu, ut ipse S. P. alibi

bi explicat, non autem semper se cogitat, hoc est, actu intelligit; hoc autem actu formatur verbum, quòd non tollit, quin ipsum de se sit imago permanens. Ad formam ergo neg. maj. verbum enim de se est imago manens, & quæ reservatur in memoria.

227 Arg. 3. alia ratione, quæ ex Phil. deducitur 9. Met. tex. 16. sic formatur: Ideo verbum ab intellectione distinguitur, quia est terminus eà productus; sed hoc est falsum: ergo. Prob. min. Illo tex. intendit Phil. eò differre actionem immanentem à transeunte, quòd ista habet terminum eà productum, in manens vero non alium habet nisi actionem ipsam; at intellectio actio est immanens: non ergo verbum est terminus eà productus.

228 Resp. 1. instando: quæcumque sit actio, qua verbum formatur, ea vitalis est & immanens: si ergo hæc nequit terminum habere, nullà poterit verbum formari. Resp. 2. directè neg. maj. non enim quia est terminus productus, alioqui ejus dictio esset actio transiens, sed quia est terminus formatus, emanans, seu procedens, ut art. 3. explicabimus. Deinde hoc sensu neg. min. Ad cujus prob. dicitur, quòd sensus Phil. sæpe in præcedentibus explicatus de facili patet, nempé intendit, quòd actio, quæ ponit terminum in alio est, nempè in eo, in quo terminus ponitur, qui omninò non potest in ipso esse producente, sed in passibili subjecto, ut calefactio non in calefaciente est, sed in ligno, in quo ponitur calor calefactione productus; at verò actio, quæ non habet terminum ponere, sed est ejus usus, & in ipso usu consistit, hæc in ipso manet agente. Verba tex. cap. 9. hæc sunt: *Cùm autem quorundam quidem ultimum sit usus, at visus visio, & nihil præter hanc aliud à visu fiat opus, à quibusdam verò fiat aliud ut ab ædificativa domus.* En non terminum negat immanenti, sed terminum, qui eà fiat, sive producatur; patet enim, quòd usus aliquo utitur, & visio aliquid videt, & speculatio aliquid speculatur.

229 Arg. 4. ratione, quam dicit Elis. fundamentalem: Cognitio est expressa similitudo objecti: ergo est species expressa, & verbum mentis. Resp. dist. ant. est similitudo objecti in facto esse, & per modum termini, quæ habeat modum passibilis qualitatis, neg. ant. Est similitudo objecti in fieri, per modum exercitij, & quæ magis habet modū passionis, cóc. ant. sed neg. hoc sensu cōseq. species enim expressa & verbū mētis imaginem dicunt manentem, & quæ est terminus, se habetque ut speculum, in quo intellectus contemplatur objectum. Nor-

aus

autem, quòd ipse Elis. speciem concedit intellectione productam, quam dicit memorativam, hanc enim unusquisque in se ipso experitur, quarè ea omninò negari non potest; ex hoc autem duo deduco: alterum, quòd inconsequenter ipse videtur procedere; fatetur enim, quòd actio, quæ terminum producit, transiens est: alterum, quòd in re significata per voces nobiscum tenet quantùm ad intentum præsentis art. & tantùm controversia relinquitur de voce, nempè illa species memorativa est imago objecti cognitione formata, & in ipso manens cognoscente tanquam speculum, in quo objectum contemplatur, hoc nos verbum dicimus, contendit autem ipse, quòd non hæc est verbum, sed cognitio, qua formatur, quæ magis loquutio est, qua verbum dicitur.

230 Arg. 5. ex N. Cælestin. Si verbum differt ab intellectione, aut eà prius, aut posterius est; sed neutrum dici potest: ergo non differt. Patet maj. nam eò tantùm poterit ab intellectione distinctum poni, aut quia quodammodo eam causat, & sic erit prius, aut quia est terminus ejus, & sic erit posterius. Ostenditur itaque min. quantum ad 1. quia verbum est terminus intelligentis; si autem est intellectione prius, non verbum, sed intellectio erit terminus. Rursus verbum formare est dicere; at nemo dicit ut intelligat, sed quia intelligit: non ergo verbum potest esse intellectione prius. Quātum ad 2. deinde prob. eadem min. Si verbum est intellectione posterius, id omninò superfluit: verbum enim generare est dicere; at superfluit omninò id sibi dicere, quod jam intelligit: ergo.

231 Resp. quòd verbum posterius est intellectione tanquàm terminus ejus. Ad rationem in contrarium neg. assumptum, ad cujus prob. dicitur, quòd fortè superflueret verbum alia posteriori actione productum, quia verò verbum est imago ex natura rei ad ipsam actionem cognoscendi sequuta, nempè ipsa perceptio objecti de necessitate imaginem ejus format, ideò ea non superfluit; dicitur autem, quòd fortè superflueret, si deberet alia actione formari; absolutè autem dicendum, quòd omninò non superfluit, quamvis enim intellectione perceperit objectum, quia tamen intellectio motus est, & exercitium de se transiens imaginem requirit in intellectus manentem, quam in memoria reponat, & hæc est verbum. Ad alia, si quæ sint, poterit ex his patere.

***
**

AR-

ARTICULUS II.

An in omni intellectione formetur verbum?

232 MInoris notæ dubiola quædam mittimus, quoniam ex dictis eorum decisio patet, ut 1. an Verbum sit conceptus objectivus, vel formalis? Qui verbum ab intellectione non distinguunt, consequenter asserunt, esse conceptum formalem; nobis patet, quòd est conceptus objectivus, ipse nempè terminus intellectionis, quæ est conceptus formalis. 2. an fit naturâ posterius intellectione? Ad quod item patet, est enim terminus ejus. 3. an fit medium *quo* vel in *quo*? DD. 1. sent. in art. præc. consequenter docent, quòd est medium *quo*, vel per *quod*, illa nempè qualitas, qua tendens in objectum intellectus intelligit; nobis dicendum, quòd est tantùm medium *in quo*; imago nempè in qua intellectus contemplatur objectum. Quamquam autem de eo, quod quæritur in præsenti art. posset item ex dictis patere, quia tamen amplius de hoc controvertitur, nec expressè adeo ex præcedenti conclusione deducitur, ideò seorsim id volumus examinare.

233 Videtur quidem consequens, ut si verbum ab intellectione non differt, dicatur in omni intellectione verbum formari: si enim ipsa intellectio verbum est, sicut intelligens de necessitate habet intellectionem, ita dicendum videtur habere verbum. Nihilominus contrariũ docet Mast. hîc q. 3. art. 2. ait enim, quòd duo requiruntur ut intellectio sit verbum: alterum, quòd sit verè genita & producta: alterum, quòd non liberè, sed per modum naturæ producatur. Defectu 1. conditionis air, quòd intellectio essentialis in Deo non est verbum, quia non est verè producta, sed emanatione quodam fit: defectu 2. conditionis visio beata non est verbum; quia non naturaliter, sed liberè causatur, cùm ad eam concurrat voluntas.

Sed in primis hæc utraque restrictio liberè adstruitur; ad finem enim cui verbum intellectui deservit, de materiali est, quòd producatur, vel non producatur: deinde: libertatem ipse intellectus non habet; quòd autem voluntas concurrat, in qualibet intellectione reperitur, & quod liberè applicet intellectum, quamvis non in omni, semper tamen, ac modo rationali, hoc est, ex advertentia & deliberatione de aliquo cogitamus, volentes cogitamus & liberè, cũ sit in nostra potestate intellectum ad aliud objectum applicare, aut ab isto avertere; & tamen non in omni tali formatur verbum,

ut

ut mox patebit. Deinde: quantum ad 1. conditionem, oppositum potius est de ratione verbi: si enim est de ratione ejus, quòd non transeunte, sed immanente & vitali actione formetur, est pariter de ratione ejus, quòd non factum sit aut productum, quod actione transeunte fit, sed genitum, formatum, emanans, aut procedens, quæ omnia sine productione intelliguntur. Præterea: verbum in Divinis proprijsimè dicitur; at est secundum fidem *genitum non factum*: ergo potius est de ratione verbi, quòd non fiat aut producatur.

Quantum ad 2. qua ratione dicatur ad visionem beatam cõcurrere voluntatem, eadem concurrit ad quamlibet aliam intellectionem; sicut enim in quavis alia objectum per speciem suam unitur & fit præsens intellectui, quo ipse intellectus fit in actu, ita in visione beata unitur essentia Divina, quæ est objectum per se ipsam: aut ergo in qualibet formatur verbum, seu potius quælibet est verbum, aut illa conditio est impertinens ad propositum. Præterea: posiquam intellectus objectum cognovit, & de eo verbum formavit, liberè supra illud reflectitur, & perfectiones ejus contemplatur, unusquisque enim in se experitur, quòd talem actum ponit potens non ponere; at tali intellectione, non obstante quod liberè exerceatur, non formatur verbum, superflueret enim verbum de eo, de quo jam verbum habet: ergo.

234 Magis ergo consequenter ad doctrinam præcedentis art. docet Elis. ex mente Resol. quòd in omni intellectione formatur verbum: Si enim verbum dicitur ab intellectione non differre, quia est similitudo objecti, quod de se ipsa habet intellectio; sicut quævis intellectio, est similitudo objecti, ita quælibet est verbum, & in qualibet verbum formatur. Hoc, inquam, magis consequenter dicitur, non autem magis verè: ut enim cætera mittam, intellectio essentialis in Deo verbum dici non potest, & tamen omnia habet, quæ sunt de ratione intellectionis, & consequenter quòd fit similitudo, si hoc quælibet de se habet.

Resp. ipse 1. quòd intellectio essentialis identificatur cum notionali, quæ est verbum, & hoc sufficit, ut ipsa essentialis verbum dici possit. 2. quòd intellectio essentialis dici non potest verbum personale; potest tamen dici verbum essentiale. Neutrum sufficit: non 1. quia illa identitas ad summum faceret, quòd in sensu reali & identico posset dici verbum; atverò intellectio essentialis in sensu formali, & prout accipitur præcisivè à notionali ea omnia habet, quæ sunt de ratione intellectionis: ergo. Non item 2. tùm quia verbum essentiale

tiale in Divinis est terminus hucusque inauditus, verbum enim nonnisi personaliter sumi omnes supponunt; tùm deinde, quia de ratione verbi est origo, ut ipse etiam supponit; at intellectio essentialis non importat originem, alioqui faceret personalem distinctionem: ergo.

235 Dicèdum ergo, quòd non in omni intellectione formatur verbum. Ita communiter ij omnes, qui tenent verbum ab intellectione distingui. Prob. 1. ex P. Aug. locis art. præc. adductis, quibus expræsse hanc sent. supponit, nam lib. 9. de Trin. cap. 10. incipit de hoc quærens, an omnis notitia verbum sit? Resp. autem negativè. Rursus: lib. 15. cap. 15. ait, quod *cùm dubitamus, nondùm est verbum de re, de qua dubitamus*; patet autem, quòd est de illa re intellectio. Præterea: ibi passim habet, quòd non quævis cogitatio, sed formata cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est: non ergo in qualibet intellectione reperitur verbum, aut quælibet verbum est.

236 Prob. 2. ratione: Verbum requiritur ut imago & speculum in quo intellectus habeat objectum sibi præsens; sed non in omni intellectione talis imago requiritur: ergo. Maj. ex ipsa verbi quidditate supponitur, tùm quia eò sibi dicit quidditatem, quam intelligit, tùm quia est quod in memoria reponitur, ut de objecto prius cognito cogitet, cùm sibi libuerit intellectus, quod utrumque specularem illam imaginem significat cognitione formatam. Min. ostenditur: quando objectum per se ipsum præsens est, nec potest intellectui deficere, nulla opus est imagine ab ipso intellectu formata; item quando in ipso verbo perfectione objecti prius cogniti contemplatur, non opus est imaginem formare, formatam quippè habet; rursus quando actu imperfecto objectũ cognoscit, ita quòd quidditatem ejus non percipit, ut quando dubitat, & inquirit, non potest imaginem ejus formare, ob id ait S. P. quòd formata cogitatio ab ea re, quam scimus, verbum est, & cùm ad eam rem pervenerit, de qua dubitat, tunc format ejus verbum: patet ergo, tùm quòd non in omni actu cognoscendi formatur verbum, tum in quo, & qua ratione formatur.

237 Arg. 1. Anima nostra in intelligendo se ipsam format verbum; at intelligit se per substantiam suam, & consequenter est sibi præsens, nec potest sibi deficere illa præsentia: ergo non tenet illa ratio. Maj. docet S. P. lib. 14 de Trin. cap. 10. quo ita concludit: *Ac per hoc quando ad se ipsam cognitione convertitur, fit trinitas, in qua jam & verbum pos-*

posit intelligi; formatur quippè ex ipsa, cognitio voluntate utrumque jungente: ibi ergo magis agnoscenda est imago, quam quærimus. Quibus verbis intendit S. P. quòd imago Trinitatis invenitur cùm anima se ipsam cognoscit, nempè cognoscens, & cognitum, & voluntas utrumque copulans; cognitum verò dicit verbum, quod tali cognitione formatur. Min. docet B. D. in Quodl. 2. q. 23. qua de hoc ipso quærit: an anima cognoscat se per substantiam suam? Resp. affirmativè ex P. Aug. eodem lib. 14. de Trin. cap. 4.

Conf. Quia essentia Divina sibi prestò est non minus in intellectione essentiali, quàm in notionali: non ergo ratio est quarè in illa non formetur, in hoc formetur Verbum. 2. In omni intellectione necesse est ponere terminum, quem ipsa attingat; sed verbum est terminus intellectionis, nec est de ratione ejus, quòd fiat aut producatur, imò fieri repugnat, alioqui actio, qua fieret esset transiens: ergo. Maj. nos ipsi posuimus supra. Min. autem ibi etiam supposuimus, & art. seq. ex instituto probabimus.

238 Resp. dist. min. Anima intelligit se per substantiam suam in quodam habitu, conc. min. In actu, neg. min. Itaque S. P. lib. 15. de Trin. cap. 15. cujus verba dedimus supra n. 225. ait, quòd anima semper se novit, non autem semper se cogitat, quod in cit. Quodl. 2. explicat B. D. quia anima se intelligit in quodam habitu, quarè semper se novit, eò quod sibi semper præstò est; quia tamen in actu non se intelligit per se ipsam, sed per species aliorum, non semper se cogitat. Deinde differentiam subjungit inter Angelum & animam nostram, quia Angelus se intelligit per substantiam suam in quodam habitu, qui magis habet de actualitate, anima verò in quodam habitu, qui magis habet de actualitate. Ratio verò hujus diversitatis est; quia substantia Angeli est intelligibilis in actu, quarè ut in actu se intelligat solùm requiritur intentio voluntatis specialiter convertens intellectū super substantiam suam; at verò anima est intelligibilis in potentia, tenet enim infimum gradum, quarè ut in actu se intellligat requiritur species à qua fiat intellectus in actu, ideò in actu se intelligit per species aliorum.

Hinc patet, quarè Angelus in intelligendo se ipsum non formet verbum, quia sibi præstò est, & ita in actu, quòd potest se per se ipsum in actu intelligere; anima verò in intelligendo se ipsam format verbum, quia licet sibi sit præsens, non autem ita in actu intelligibilis est, quòd posit actu per se ipsam se cog-

noscerè. Ad 1. Conf. dicitur, quòd intellectus Divinus format verbum non ex necessitate, sed ex fœcunditate, cum quo stat, quòd Verbum procedit per modum naturæ, quod latius expendere non est hujus loci. Ad 2. In omni intellectione reperitur terminus; non autem terminus intellectionis est verbum, nisi ut importat originem: tunc autem in cogitatione informi, qualis est dubitatio, terminus non importat originem, nondum enim est formata & originata imago objecti; in contemplatione verò, qua in ipso verbo objectum contemplatur, terminus ille originem importat, non autem relatè ad hunc actum, quarè verbum est, non verò hac cognitione formatum. Cætera argumenta ex eo desumuntur, quòd intellectio qualitas est, qua intellectus tendit in objectum, illa autem qualitas est Verbum. De quo cùm latè actum sit in præcedentibus, ea mitto.

***

tendit in objectum. Ita Scotistæ communiter apud Mast. hic, & alij, quia supra docent, verbum ab intellectione non differre; excepto Eliseo, qui quamvis verbum ab intellectione non distinguat, illud autem intellectione formari docet.

Secunda sent. docet, quòd verbum ipsa intellectione producitur, quarè ea simul est intellectio & dictio, intellectio nempè quatenus percipit objectum, dictio verò quatenus percipiendo producit imaginem ejus, quarè dictio formaliter tantùm ab intellectione differt, estque ipsa intellectione posterior. Ita communiter Thomistæ & nostri; hanc item tenet de mente Resol. Elis. 3. sent. docet, verbum ipsa intellectione formari sicut ponit 2. sent. negat verò ipsum produci, aut aliqua influentia & vera causalitate effectiva fieri, sed quadam emanatione procedere. Hæc est sent. B. D. pro qua.

240 Dicendum 1. Dictio non est actio realiter differens ab intellectione, quarè verbum ipsa intellectione procedit. Prob. 1. ex illo Math. cap. 9. *Dixerunt Pharisæi intra se: hic blasphemat*, quibus Xpus. D. reponit: *ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* En quod ipse tex. asserit fuisse internam dictionem, Xpus. D. supponit ipsam fuisse cogitationem. Idem ex alijs sac. scrip. locis colligitur, quibus pro eodem accipitur dicere internum, ac cogitare, ut Sap. 2. *Dixerunt cogitantes apud se non rectè*, & sæpè alibi.

241 Hunc tex. contra se objicit Mast. & resp. quòd duo fecerunt Pharisæi, alterum producere cogitationem, quod significatur per ly *dixerunt*; alterum verò ea cogitare, quod significatur per ly *hic blasphemat*: hoc 2. reprehendit Xpus. D. quarè ait: *ut quid cogitatis*. Sed in primis: ly *hic blasphemat* non est cogitare, sed cogitatum; at Xpus. D. ipsum cogitare reprehendit: non ergo genuina est illa expositio. Deinde: alter tex. omnem tollit ambiguitatem, ait enim, quòd *cogitantes dixerunt*, potius autè deberet dicere, quòd dicentes cogitaverunt, si vera esset illa sent. ad hoc enim intellectus dicit, & verbum producit, ut eo cogitet, illius nempè effectus est ipsum cogitare. Deinde: hunc utrumque locum in sensu nostræ conclusionis accipit, & exponit S. P. lib. 15. de Trin. cap. 10. cujus hæc sunt verba: *Unde illud est in lib. Sap. dixerunt apud se cogitantes non rectè. Expositio enim quid sit dixerunt apud se, cùm addidit, cogitantes. Huic simile est in Evang. quod quidam scribæ cùm audissent à Domino dictum paralytico, confide fili remittuntur tibi peccata, dixerunt intra se: hic blasphemat. Quid est enim, dixerunt intra se nisi cogitando.* Prob.

242 Prob. 2. ex P. Aug. & quidem clarissima sunt verba num. præc. adducta, sed alia nihilominus adducemus. Itaque in eodem cap. immediatè ante verba adducta, ita habet: *De his ergò nunc disserimus, quæ nota cogitamus, & nota sunt nobis, etiam si non cogitentur à nobis. Sed certè si ea dicere vellimus, nisi cogitata non possumus.* En non dicimus, ut cogitemus, sed cogitamus, ut dicamus, & non nisi cogitando dicimus. Rursus: in eodem lib. cap. 15. sub medium ita habet: *Sed quomodo est verbum, quod nondum in cogitationis visione formatum est? Quomodo erit simile scientiæ de qua nascitur, si non ejus habet formam, & ideo jam vocatur verbum, quia potest habere?* Quibus verbis apertissimè excludit sensum cõtrariæ sent. loquitur enim de his cujus notitiã anima apud se habet, non tamen de illis cogitat, an nempè dici possit verbum antequam cogitet? At quod negativè resp. quia verbum ipsa cogitatione formatur; at patet, quòd illa qualitate, dato quod eam intellectus producat, ex vi hujus productionis non cogitat, seu intelligit, sed potest: ergo.

Idem habet lib. 14. cap. 10. cujus verba supra dedimus, libet autem iterum adducere, sic itaque illud cap. concludit: *Ac per hoc quando ad se ipsam cognitione convertitur, sit trinitas, in qua jam & verbum possit intelligi; formatur quippè ex ipsa cognitio voluntate utrumque jungente. Ibi ergo magis agnoscenda est imago, quam quærimus.* En Trinitatem ex anima & verbo, ac voluntate jungente utrumque non nisi quando ipsa cognitione convertitur suprà se ipsam, & cognitione ipsa formatur. Deinde: quòd verbum nostrum de nostra scientia gignitur frequentissimè ibi habet; si autem verbum est qualitas dictione producta pro priori ad intellectionẽ, non de scientia gignitur, sed magis scientiam gignit, & causat, nempè ipsum intelligere est effectus ejus.

243 Prob. 3. á ratione. Dicere formaliter & ex terminis est innotescere, seu manifestare mentis conceptum ei, cui dicitur; sed intellectus sibi ipsi intellectione manifestat: ergo dictio ipsa est intellectio. Maj. docet S. P. cit. lib. 15. de Trin. toto cap. 10. quo hoc intendit, quòd dicere seu loqui non est verba formare, sed sive nutu, sive signo, sive quovis alio medio alteri manifestare, quod intenditur, quare sub finem ait: *nam & innuere quid est nisi quodammodo visibiliter dicere?* Quod ex sac. tex. pergit ostendere: dicere ergo de materiali & per accidens importat productionem seu formationem verbi, & ejus quidditas consistit formaliter in mani-

nifestatione, qua innotescit, id quod dicitur; quod autem intellectione ipsa innotescit intellectui objectum clarius est, quàm quòd probatione indigeat: illa ergo qualitatis productio priori ad intellectionem dictio esse non posset, nec qualitas illa esset verbum.

244 Prob. 4. Si dictio est actio distincta ab intellectione, ipsam præcedit; sed nequit intelligi dictio pro priori ad intellectionem: ergo neque quòd sit actio distincta. Maj. est sensus contrariæ sent. eò enim actio distincta ponitur, quia est, qua producitur qualitas, quæ est intellectio, cujus deinde effectus formalis est intelligere. Ostenditur itaque min. Si dictio aliquomodo præcedit intellectionem, intelligitur dicere ante intelligere; sed hoc est inconveniens: ergo. Patet hæc min. tunc enim intellectus diceret nesciens, nempè ut sciret & cognosceret. Præterea: verbum vocale essentialiter præsupponit præconceptionem illius quod dicitur: ergo multò magis verbum mentale. Hoc enim est propriè verbum, & vocale dicitur per analogiam ad illud, ut habet P. Aug. lib. 13. de Trin. cap. 11.

Conf. Si dictio intelligeretur esse pro priori ad intellectionem, generatio Verbi esset prior in Deo, quàm intelligere, & notionalia priora essent essentialibus; sed hoc utrumquè est inconveniens: ergo. Patet maj. quia processio Verbi est generatio, & consequenter actus notionalis. Patet item min. quia Pater generat intelligendo se, & essentialia absoluta sunt, quæ proinde debent ad quamlibet relationem præintelligi, & prædicatum notionale. 2. intelligere significat motum vitalem intelligentis, & si dictio est actio realiter distincta ab intellectione, non potest ita intelligi: ergo. Patet maj. nam intelligere formaliter & ex terminis est vivere & se movere. Patet item min. tunc enim dicere potest intelligi actio & motus ipsius intelligentis, at verò intelligere non erit motus ejus, sed effectus formalis qualitatis productę, effectus autem formalis juxta DD. illius sent. est ipsa forma subjecto communicata.

245 Dices ad principalem rationem: scire & intelligere duplex est, nempè in actu & in habitu; ut autem quis non dicatur nesciens, non oportet in actu intelligere, Geometra enim dicitur scire Geometriam etiam quando de Geometricis non cogitat, ut ipse ait S. P. ut ergo intellectus non dicatur nesciens dicere, sufficit in habitu scire, cùm dicit. Tunc autè: pro priori ad productionem illius qualitatis, sive ad actum dicendi, fit in actu per speciem intelligibilem, in qua habet objectum præsens, qua-

quare est sciens in habitu, quo procedit ad actum producendi illam qualitatem, qui est dicere, quo fit sciens in actu.

Sed contra: scire in habitu, aut significat quandam habilitatem ad actum sciendi, seu quandam aptitudinem, & hoc sensu accipit B. D. in Quodl. 2. q. 23. cùm ait, quòd anima se intelligit per substantiam suam in quodam habitu; aut scire in habitu significat ipsam notitiam habitualiter manentem, aut habitum in anima generatum, & hoc sensu Geometra dicitur sciens etiam quando non cogitat in actu; sed tantùm priori sensu potest intellectus dici sciens in habitu ex quo fit in actu per speciem, id verò non sufficit ut sciens dicat: ergo non tenet solutio. Patet min. quantùm ad 1. quidem, quia ex quo fit in actu per speciem intelligibilem, habet quidem quandam aptitudinem ut intelligat, nullomodo autem notitiam. Quantùm ad 2. item, quia ex illa aptitudine absolute & omninò dicitur nescire, ea quæ scire aptus est, ut habet S. P. adductus n. 242. Cõtra 2. Omninò requiritur, quòd dicens habeat actualem notitiam: ergo. Prob. ant. dicens ut tale præstantiùs est eo, cui dicit, aut saltim nequit imperfectiori modo nosse quod dicit; sed cui dicitur fit in actu sciens: ergo tale debet esse dicens.

§. II.

Probatur altera conclusio.

246 DIcendum 2. quòd dictio nõ est actio productiva, neq; verbum procedit ab intellectu influentiâ aliqua & vera causalitate effectiva, sed quadam emanatione. Hujus conclusionis probatio, tam ab authoritate, quàm à ratione potissimè ex eo desumitur, quod validissimum putatur argumentum in contrarium; nempè potissimè nititur communis sent. in illo P. Aug. loco ex quo desumitur vulgatum principium, quòd ab objecto & potentia paritur notitia, cujus expositionem sæpissimè ad hunc locum remissimus, nunc autem ipsa adducendo S. P. verba patebit, quod inde expressissimè nostra deducitur conclusio: deinde à ratione; in eo se fundat cõtraria sent. quòd actus quilibet intellectus est vitalis & immanẽs, & eò quod vitalis, habet ab ipso principio vivente oriri; eò autem quod immanens, habet in eo manere, à quo egreditur; hac item ratione nostram conclusionem potissimè probabimus.

247 Prob. ergo 1. nostra conclusio ex P. Aug. lib. 9. de Trin. cap. ultimo, ex quo illa verba desumuntur, locus autem sic habet, intendit S. P. explicare, cur quòd intellectu procedit,

dit, dicitur genitum, non autem quod voluntate; & circa finem ait: *Cur itaque amando se non genuisse dicatur amorem suum sicut cognoscendo se genuit notitiam suam? In eo quidem manifestè ostenditur hoc amoris esse principium, unde procedit, ab ipsa quidem mente procedit, quæ sibi est amabilis antequam se amet, atque ita principium est amoris sui, quo se amat. Sed ideò non rectè dicitur genitus ab ea, sicut notitia sui qua se novit, quia notitia jam inventum est, quod partum, vel repertum dicitur, quod sæpe præcedit inquisitio eo fine quietura. Nam inquisitio est appetitus inveniendi, quod idem valet si dicas reperiendi; quæ autem reperiuntur, quasi pariuntur, unde proli similima sunt, ubi, nisi in ipsa notitia? Ibi enim quasi expressa formantur.*

Et apertè quo sensu parta dicitur ab intellectu notitia; quòd autem nomine notitiæ ipsum significet verbum mentis, nullus relinquitur hæsitandi locus, tum quia de notitia loquitur, quæ dicitur genita, tum quia ait, quòd notitia est quæ cogitatione reperitur: patet ergò, quòd non ita paritur verbum ab intellectu, quasi producatur ab eo, sed quia in se formatum cogitatione seu perceptione reperit. Ne autem uno loco S. P. niti videamur, quamquam is satis est expressus, in eodem lib. cap. 9. illud versans Ps. 17. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*, quomodo iste partus debet intelligi, ita explicat: *Dolorem, vel laborem dicit concipi, cùm ea concipiuntur quæ nosse ac velle non sufficit, & inardescit, atque ægrotat animus indigentia, donec ad ea perveniat, & quasi pariat ea. Unde eleganter in latina lingua parta dicuntur & reperta, atque comperta, quæ verba quasi a partu ducta sonant.* Et iterum parere loquendo de conceptu mentis idem est, ac reperire.

Ulterius: lib. 15. cap. 15. ita habet: *nisi forte dicendum est ipsam possibilitatem cogitationis, quoniam id quod scitur, etiam quãdo non cogitatur, potest tamen veraciter cogitari, verbum esse tam perpetuum, quàm scientia ipsa perpetua est. Sed quomodo est verbum quod non cogitationis visione formatum est? Quomodo erit simile scientiæ, de qua nascitur; si ejus nondum formã habet, & ideo jam vocatur verbum, quia potest habere?* Quibus verbis, cùm sibi objiceret, quòd species ipsa, quæ reservatur in memoria, posset dici verbum, & ideò verbum esse perpetuum sicut ipsa anima, resp. quòd verbum non est nisi quatenus ipsa cogitatione formatur: non ergo procedit verbum quatenus producitur, sed quatenus perceptione formatur, & quasi reperitur. Idem posset ex alijs locis deduci, sed ad propo-

si-

situm hæc sufficiunt. Hoc ipsum ex B. D. ostenditur in Quodl. 5. q. 9. ubi ita ait: *Concipere enim idem sonat, quòd simul capere, vel simul apprehendere; mētis enim partus idem sonat, quòd à mente repertum.* Quibus verbis eundem S. P. sensum apertè intendit & ideó in illa q. docet, quòd ipsa Divina essentia percepta ab intellecta beati habet in eo rationem verbi.

248 Prob. 2. ratione: Dictio, qua procedit verbum, sive ipsa sit intellectio, sive actio distincta, est actio vitalis & immanens; sed talis nequit esse termini productiva: ergo. Maj. patet, verbum enim in ipso manet intellectu. Min. ostenditur ex sæpè cit. tex. Phil. ex 9. Met. in hoc enim apertè distinguit immanentem actionem à transeúnte, quòd transiens, non verò immanens terminum producit: si ergo actio verbi productiva terminum verè producit, non poterit esse immanens. Conf. In eo tex. ait Phil. quòd actio, quæ terminum ponit, non potest in agente esse, quia nempè terminus de necessitate ponitur in passo, quod aliud esse debet ab agente; sed dictio in ipso manet intellectu: ergo ea terminum non producit. De min. nullus dubitat. maj. autem ex ipso patet tex. cujus hæc sunt verba. *Quorumcumque itaque aliud quiddam præter usum est id, quod fit, horum actus in eo, quod fit, est ut ædificatio in eo, quod ædificatur, & contexio in eo, quod contexitur, similiter & de alijs, & omninò motus in moto; quorum verò non est aliud quoddam opus præter actionem, in ipsismet actio est, ut visio in vidente, & speculatio in speculante.*

249 Ad hanc rationem dici potest, quòd actio, qua formatur verbum, est quidem formaliter immanens, quia tamen est virtualiter transiens, potest terminum producere, ad modum quo actio creativa, quamvis immanens sit & vitalis, terminum producit, & est virtualiter transiens. Sed contra: omninò non posset esse immanens, sed formaliter, & antúm esset transiens, si haberet terminum producere: ergo. Prob. ant. Terminus, qui verè producitur, non potest in ipso manere producente; sed actio in eo est, in quo terminus ponitur: ergo. Patet min. quia actio est fieri termini, seu terminus ipse prout ab agente. Prob. maj. Terminus, qui verè producitur, per influentiam producentis ponitur in esse; sed influentia & effectiva causalitas nequit ad se ipsum terminari: ergo. Maj. patet, quia illa influentia est causalitas producentis, alioquí sublata influentia non producitur, sed emanat; & hoc tantúm intendit nostra conclusio, quòd non aliqua influentia intellectus for-

formatur verbum. Min. ijs omnibus patet, quibus in Phís. probatur, quòd omne quod movetur ab alio movetur, & quòd idem directè & secundum idem nequit esse effectivè agens, & passibile subjectum.

Nec paritas assumpta quid urget: 1. quia actio Dei est infinitæ virtutis, & ideò ejus velle est rebus volitis esse, quarè in Deo non oportet intelligere influentiam, ut intelligatur terminus produci, quod in nullo alio potest intelligi, quia quodlibet est finitæ virtutis. 2. quia actio Dei non ad intra & in ipso Deo, sed ad extra habet terminum ponere, quaré potest accipi virtualiter transiens & productiva; at verò actio, qua formatur verbum, in ipso intellectu manet, cujus est actio, quarè ea omninó non potest terminum producere, sed tantum attingere, & eo suo modo uti: non ergo poterit salvari, quòd verbum verè producatur ab intellectu, & simul quòd actio ejus sit immanens, quod si hoc 2. debet de necessitate salvari, dici debet, quòd verbum non producitur ab intellectu, sed tantúm quòd formatur, procedit, seu gignitur; quæ omnia sine effectiva causalitate intelliguntur.

250 Prob. 3. ratione Theologica, quæ tamen valdè est efficax: Si verbum vera causalitate producitur, non potest salvari processio Verbi in Divinis: ergo. Prob. ant. Processio Verbi non est effectiva causalitas, neque in Deo ad intra potest accipi vera productio; sed quantùm ad hoc eodem modo procedit verbum ab intellectu Patris, ac in nobis ab intellectu nostro: sicut ergo in Deo intelligitur verbum gigni per solam emanationem, & sine ulla effectiva causalitate, ita debet in nobis poni. Maj. patet, tmù ex symb. D. Athanas. quo dicitur, quòd verbum est *genitum non factum*, tùm, quia effectiva causalitas importat quidditativè influentiam producentis, & dependentiam producti, quod utrumque in Deo repugnat. Min. item patet, ex his enim, quæ in creatis cognoscimus, sublatis imperfectionibus, assurgimus ad concipiēda increata: hoc ergo capite potior est sent. nostra, quòd congruentissimè salvat ea, quæ de Divinis processionibus docet fides.

§. III.

Solvuntur Argumenta.

251 ARg. 1. contra 1. conclusionem: Verbū debet aliqua actione produci; sed ea nequit esse intellectio: ergo producitur dictione, quę sit actio distincta ab intellectione. Maj. prob. ijs argumentis, quæ infra adducemus

contra 2. conclusionem. Min. ostenditur: Intellectio est actio non de genere actionis, sed de genere qualitatis, quarè intelligere est actus operativus, non productivus; at dictio, qua verbum gignitur, productiva est: ergo. Conf. 1. à paritate in Divinis: nam ibi intellectio est ingenita, improducta, communis tribus Personis; at dictio est actio Patris, qua ex memoria fœcunda procedit Verbum: ergo. 2. Cùm actu intelligimus, aliquid est in nobis de genere qualitatis, quod solet appellari species expressa & verbum mentis; at hæc non est aliquid ingenitum & improductum: ergo aliqua actione producitur illa qualitas; at talis actio nequit esse ipsum intelligere: est ergo dicere, & sic actio diversa. Prob. hæc min. quia cùm illa qualitas producta sit ipsa notitia & intellectio, ea constituimur intelligentes, quarè intelligere est effectus ejus.

252 Resp. ad arg. missa maj. de qua in sequentibus, neg. min. Ad cujus prob. dicitur 1. quòd actio de genere qualitatis, est prorsus imperceptibilis: quatuor assignantur qualitatis species, habitus & dispositio, naturalis potentia vel impotentia, passio & passibilis qualitas, forma & circa eam constans figura; nullus vero hucusque actionem in prædicamento qualitatis agnovit: quodsi intendat, quòd qualitas est habens modum actionis, neque hoc etiam tenet; ex illis enim speciebus nulla est quæ modum actionis teneat. Præterea: si modum habet actionis, poterit habere modum productivæ, hoc enim actio significat, exercitium agendi & producendi. Dicitur 2. quòd in 2. conf. ait, quòd intelligere est effectus formalis qualitatis, nunc autem, quòd est actus operativus, quæ duo non benè cohærent; effectus enim formalis est ipsa forma, aut ad summum perfectum esse subjecti, operari autem non esse significat aut formam, sed viale exercitium. Directè dicitur, quòd intelligere est motus vitalis, quo intellectus percipit objectum, & sic percipiendo format similitudinem ejus, quæ est verbum, sive hoc formare sit vera productio, sive non.

Ad 1. Conf. Si ex Deo vult sumere paritatem, verbum ibi non producitur, sed procedit, emanat, seu gignitur. Deinde: intellectio est ingenita & improducta, hoc autem non tollit quin sit ipsa generatio, qua verbum formatur & procedit, quòd autem intellectio communis est, generatio autem verbi est specialis, seu notionalis actio Patris, non ex hoc arguitur, quòd est actio diversa, sed quòd eadem, ut sumitur essentialiter, communis est, neque verbum format aut gignit, sicut in nobis etiam

reperitur intellectio, quæ verbū non format, & in beatis ipsa visio Dei non format verbum; ut autem sumitur notionaliter est specialis actio Patris, qua Verbum gignitur.

Ad 2. Conf. missa pro nunc conseq. 1. syllogismi, neg. subsumpta. Ad prob. dicitur, quòd illa qualitas est notitia objectiva, non autem formalis, hæc enim habet esse transiens & per modum exercitij, illa autem qualitas habet esse permanens, quarè non ea constituimur intelligentes in actu, sed ad summum in quodam habitu; in actu verò constituimur intelligentes formali, sive actuali notitia, quæ est motus vitalis, & perceptio, qua intellectus illam objectivam notitiam format. Quòd verò ait intelligere esse effectum formalem illius qualitatis, ita accipit intelligere, sicut albare quod est effectus albedinis, & ipsam albedinem in se habere; at cuique patet, quòd intelligere est vivere, & vitaliter se movere: non ergo formam habere, sive perfectum esse ab ipsa, quare non sicut albare ad albedinem debet comparari intelligere ad intellectionem, sed magis sicut currere ad cursum: sicut ergo cursus ipsum significat actum currendi, & est ipsum currere, ita intellectio est formalissimè ipsum intelligere, & visio ipsum videre, & idem de quovis actu vitali.

253 Contra 2. conclusionem duo potissimè objiciuntur, ea nempè quibus illam probavimus, alterum quòd ab objecto & potentia paritur notitia, alterum, quòd actio, qua verbum formatur, vitalis est, quarè activè ab ipsa potentia vivente. De quibus sufficiēter patet, quòd à potentia sic paritur, quasi reperitur; actus verò vitalis non ab ipsa potentia, sed ab ipso est toto quod vivit, quarè his missis. Arg. Mast. ex P. Aug. lib. 9. de Trin. cap. 5. quo ait; *Conceptam rerum veracem notitiam tanquàm verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignimus.* Quibus veram verbi generationem supponit, quam dictionem dicit; at vera generatio est vera actio rei productiva: ergo. Conf. à paritate verbi vocalis, quod verè producitur per corporalem locutionem, quæ actio est distincta à mentali cognitione, cujus est expressio: ergo parirer. 2. à paritate Verbi in Divinis, quod non se ipso producitur a Patre, sed per veram actionem generativam: ergo.

254 Resp. ad locum S. P. quòd jam abundè in præcedentibus patuit mens ejus, vult itaque, quòd expressam speciem, seu notitiam objectivam dicēdo gignimus, dicimus autem concipiendo, ut ex eodem S. P. jam patuit: cùm autem subsumit, quòd generatio est vera actio productiva,

tiva, absolutè neg. min. absolutè enim tantùm est de ratione generationis, quòd sit origo viventis à vivente; & in sent. Phil. Mater non concurrit activè, & tamen ab utroque Parente verè generatur filius. Ad 1. Conf. neg. conseq. nam loquutio exterior non solùm est actio, sed actio transiens, nempè acris verberatione formatur verbum vocale; quarè nulla inde fit paritas ad formationem verbi mentalis, quæ est immanens actio. Ad 2. illa paritas magis pro nobis est, ut suprà patuit; sic enim à Patre procedit Verbum in Divinis, quòd non vera actione & causalitate effectiva, sed pura emanatione, cùm ex Symbolo constet, quòd verbum sic est genitum, quòd non factum: si ergo inde paritas sumitur, potius sequitur, quòd verbum in nobis sic formatur, quòd non fit, aut vera actione producitur.

255 Arg. 3. idem contra eandem 2. conclusionem: Per actionem, qua res accipit esse à sua causa, intelligimus relationem dependentiæ in fieri ab illa, quarè quando effectus ita essentialiter dependet in esse & fieri à causa sua, ut non potuerit ab alia procedere, nec alio modo, non habet relationem dependentiæ sibi accidentalem, & à se distinctam; quandò autem aut ab alia causa, aut alio potest modo procedere, procedit per dependentiam & actionem à se distinctam; at in proposito verbum potest ab alijs oriri principijs, potest enim à potentia cum habitu, vel sine illo, cum hac aut illa specie, atque item à solo Deo: ergo procedit per actionem distinctam. Not. quòd ipse in 2. conf. præc. argumenti contendit, quòd verbum non se ipso, sed vera actione generativa procedit à Patre, & inde argumentum sumit; at verbum neque dependentiam habet, neque ea data potuit ab alio principio esse: non ergo benè hoc arg. cum illa conf. coharet.

256 Resp. neg. maj. relatio enim nullius potest intelligi causalitas, cùm sit omninò iners. Præterea: prædicamenta sunt omninò diversa actio, & relatio, quarè habeant necesse est quidditates diversas: quamvis ergo possit intelligi, quòd ad actionem consequatur relatio, omninò verò est imperceptibile, quòd actio formaliter in ipsa relatione consistat. Rursus: in Deo ad intra veram actionem ipse agnoscit; at ibi non potest salvari vera dependentia: ergo. Ulterius: relatio ipsa, ut alia mittamus, à fundamento suo originatur, & ab eo dependet, & ita etiam, quòd potuerit ab alio fundamento oriri, potuit enim hæc similitudo in alia albedine fundari; at ad relationem non datur actio: non ergo nomine actionis illa dependen-

dentia significatur. Significatur itaque nomine actionis causaliter, & ex parte agentis ipsum agère, quod est influentia & activa causalitas ejus, formaliter verò ex parte rei factę ipsum ejus fieri prout ab agente, sive sub habitudine ad illam agentis influentiam: sine illa ergo influentia vera actio non reperitur; & quia in formatione verbi non reperitur talis influentia, dicitur id non vera actione fieri, sed tantùm formari emanatione quadam ab intellectu.

ARTICULUS IV.

An memoria intellectiva differat ab intellectu?

257 DE memoria intellectiva nihil ferè controvertitur, quamquàm enim dubitantur nonnulla, eadem est omnium sent. quarè ab hoc art. expediemur breviter; hujus modi autem determinatio quæstioni de verbo annectitur, quia munus & exercitium memorię est speciem conservare eorum, quæ intellectus percepit; illa autem species est verbum. Memoria itaque est facultas intellectivę partis retentiva, seu conservativa specierum; species enim, cùm habeat esse intentionale de se non mansivum, aut conservatur à præsentia objecti, aut facultatem requirit illius conservativam: pro priori ad actum intelligendi species conservantur in memoria sensitiva; quia tamen illa est facultas organica, & quæ tantùm species sensibiles conservat, alia requiritur facultas, quæ species conservet ex auct intelligendi relictas.

258 Negasse fertur Avicena memoriam intellectivam, contra quem ea communiter probatur ex ipsa experientia: videmus enim, nos recordari, non solùm rei prius intellectę, sed ipsius etiam actus intelligēdi, quamvis autem rei intellectæ species potuerit in memoria sensitiva conservari, seu potius ex specie, quæ ibi conservatur iterum causari; at species actus intelligendi non potest ex memoria sensitiva haberi: requiritur ergo alia memoria. Sed hæc ratio non adeò manifestè convincit: posset enim dici, quòd in specie, quæ reservatur in memoria sensitiva, relinquitur habitudo quædam ad speciem intelligibilem & actum intelligendi, quem prius causavit, & ex illa habitudine habet intellectus reminiscentiam prioris actus. Meliùs itaque ea probatur ex statu separationis: in eo enim non habet anima, quo species acquirat, quaré oportet acquisitas in hoc statu conservare; non autem habet memoriam sensitivam, cúm hæc sit facultas organica, quæ proinde cum corpore deficit: aliam ergo habet me-

mom oriam intellectivam, quæ tunc manet.

259 De proposita ergo dub. communis sent. docet memoriam intellectivam non esse potentiam ab intellectu passibili diversam. Elis. nonnihil à communi sent. recedit; docet enim, quòd memo ia, ut est facultas retentiva specierum, identifica tur cum intellectu agente, ut verò est præteritorum cogitativa identificatur cum intellectu possibili. Quantum ad hoc 2. nihil ponit speciale, illud autem 1. substineri omninò non potest: tū quia munus intellectus agentis tantùm est irradiare super phantasmata, & ipsum intellectum posibilem, quarè dicitur lumen intellectivæ partis; tùm deinde, quia intellectus agens non cognoscit, quarè species actu cognoscendi formata non in ipso recipitur: non ergo poterit ab eo conservari; neque enim species ab una in aliam potentiam migrat, sed ad summum à specie, quæ est in una causatur species in alia: cùm ergo memoria habeat ipsam speciem conservare, quæ actu intelligendi formatur, non potest cum intellectu agente idē tificari, sed est ipse intellectus cognoscens.

260 Dicendum ergo, quòd memoria intellectiva non est potentia distincta ab intellectu passibili. Hanc conclusionem ex instituto prob B. D. in 2. dist. 24. q. 2. art. 2. Prob. ex Phil. hic tex. 6. dicente, quòd anima est locus specierum, non tota, sed intellectiva; quo loco intendit, quòd illa determinatè vis animæ, qua est intellectiva, est locus specierum; patet autem tùm, quòd locus specierum est memoria, tùm, quòd vis intellectiva est intellectus. Prob. 2. à ratione: nam potētiæ distinguuntur aut ex subjecto, aut ex objecto, aut ex actu; ex objecto quidem distinguuntur, quia objectum unius non possit ab altera attingi; ex actu, quia actus habeant, q i eidem non possint convenire: ex subjecto verò tantùm distinguuntur potentiæ organicæ, quia in diverso sunt organo corporis; at patet, quòd nullo ex his capitibus oportet ponere memoriam ab intellectu distinctam: ergo. De subjecto quidem patet, quia memoria non est fa ultas organica. De objecto idem, quia de illo eodem sub eadem ratione est memoria, de quo est intellectus. De actu verò ostenditur: quia talis actus, aut esset reminisci, aut retinere speciem; at verò retinere speciem non actum aliquē dicit, cùm non sit motus, aut exercitium vitæ; reminisci verò est iterato intelligere, quarè quòd addit supra ipsum intelligere non est differentia actus, sed ex parte ejus, quod intelligitur se tenet, patet autem, quod non essentialis, sed accidentalis differentia est.

Hinc

Hinc patet ad argumentum, quod posset à paritate fieri; quòd nempè in parte sensitiva memoria est alia potentia á sensu cognoscente : ergo pariter in parte intellectiva. Neg. conseq. quia potentiæ in parte sensitiva sunt organicæ, & pro conservanda specie aliud requiritur organum, atque ex diversitate organi diversa est potentia; at veró in parte intellectiva potentiæ non sunt organicæ, quarè illa eadem, quæ objectum percipit, potest ejus speciem conservare. Mitto alias rationes, quas ad hoc idem habet B.D. quia de re, quæ à nemine negatur, superfluum est rationes multiplicare.

261 Dub. 2. an memoria sit precisè & tantùm pręteritorũ? Negat N. Alipius Reylof. lib. 5. cap. 2. §. 9. concluſ. 3. de mente P. Aug. & quidem locus S. P. quo se fundat, valdè est apparens: nam lib. 14. de Trin. cap. 11. de hoc ipso quærit, an tantùm præteritorum sit memoria, an etiam possit esse præsentium? Deinde quasi dubitãdo pro parte negativa ait, quòd non debet dici memoria, qua anima sui dicitur meminisse, eò nempè quia sibi semper est præsens. Adducit in confirmationem hujus partis, quòd Tullius, & alij Sapientes prudentiam in hæc tria divisèrunt, memoriam, intelligentiam, & providentiam; nempè de futuris providentiam, de præsentibus intelligentiam, de præteritis memoriam: non ergo de præsentibus memoria est, sed intelligentia.

Deinde pro contraria parte resolvit his verbis: *Sed qui dicit memori non esse præsentium, attẽdat quomodo in ipsis sæcularibus litteris, ubi majoris fuit curæ verborum integritas, quàm veritas rerum, dictum sit: Nec talia passus Vlisses, oblitus ve sui est Itacus discrimine tanto. Virgilius enim cùm sui non oblitum diceret Ulissem, quid aliud intelligi voluit, nisi quod meminerit sui? Cùm ergo sibi præsens esset nullomodo sui meminisset nisi ad res præsentes memoria pertineret.* En apertissimè statuit, quòd præsentium etiam memoria est, & authoritati Tullij Virgilij authoritatem oponit. Nihilominus mens S. P. clara est, subjungit enim: *Quapropter sicut in rebus pręteritis ea memoria dicitur, qua fit ut valeant recoli, & recordari; sic in re præsenti, quod sibi est mens, memoria sine absurditate dicenda est, qua sibi præsto est, ut sua cogitatione possit intelligi.* Intendit itaque, quòd ipsa anima, quatenus per se ipsam est sibi præsens, facit in ordine ad actum cogitandi, quod facit de præteritis memoria, quarè memoria quodammodo dici potest.

262 Dicendum ergo, quòd memoria tantùm est præ-

te-

teritorum. Aut enim ipsa potentia accipitur, aut actus ejus, & utroque modo de præsentibus est aliqua similitudo memoriæ, non verò propriè memoria. Accipiendo quidem potentiam, nomine memoriæ significatur, quæ speciem conservat intellectione formatam, ex qua iterum possit intellectus ad actum intelligendi reduci, at verò quia anima ipsa est per se ipsam sibi præsens, & se intelligit in quodam habitu, ex hoc quandam similitudinem habet cum memoria, quatenus ex ea potest informari acies cogitantis, & ad actum intelligendi reduci, non autem hoc propriè est retinere speciem rei intellectæ; imò sine memoriâ non potest anima se in actu intelligere, se intelligit enim ex illa præsentia tantúm in quodam habitu, in actu verò non nisi per species aliorum, quas oportet ex memoria accipere. Accipiendo autem memoriam pro ipso actu, cuique patet, quòd illud se intelligere non est ullomodo reminisci, & tantúm quandam similitudinem habet cum actu reminiscendi, in eo quod sicut reminiscens apud se habet speciem, qua uti tur pro libito, ita mens apud se habet sui præsentiam, qua potest uti; quarè quodammodo potest dici sui meminisse, & hoc tantùm intendit S. P.

263 Dub. 3. Quomodo fit túm oblivio, túm obliti reminiscentia? Res quidem est obscura admodùm, & difficilis adeò ut S. P. lib. 10. Confes. cap. 16. multum de ea dubitans concludat tandem, quòd modus quo id contingit, incomprehensibilis est & inexplicabilis: experimur enim, quòd de re prius nota aliquando debilis & confusa relinquitur notitia, ex qua si volumus rei illius recordari, non nisi magna diligentia & applicatione id assequimur, aliquando omninò non assequimur, & aliquando ita obliteratur species, ut nulla omninò relinquatur notitia, quam tamen postmodum sine ulla diligentia contingit assequi: cùm ergo memoria intellectiva non sit facultas organica nullos intelligi potest sinus habere, in quibus species illa recondatur, quæ tamen ibi est proculdubiò, cùm illam postea ibi inveniat intellectus: ubi ergo illa species occultabatur in potentia spirituali, indivisibili, & quæ tota simul patet, aut quomodo, quod in ea aliquandiù occultum non potuit inveniri, tandem aliquando detegitur, & invenitur?

264 Pro hujus aliquali expeditione not. quòd Phil. de mem. & reminisc. cap. 1. ait: *Quòd rerum intelligendarum memoria non sine imaginem notis paratur*, hoc est, sine concursu phantasmatis: itaque ut supra ex Phil. & B.D. diximus oportet in-

intelligentem phantasmata speculari, & intellectus noster pro hoc statu non intelligit sine conversione ad phantasmata; quia cùm species intelligibilis, eò quòd intentionalis, dependeat pro sui conservatione ab objecto ipso à quo causatur, quandam actualitatem consequitur ex collatione ad ipsum phantasma, à quo causata est, qua sufficienter fit in actu intellectus ut possit ipsam percipere. Quia itaque phantasma est in potentia corporali & organica, ex hujus indispositione contingit, ipsum phantasma aut obliterari omninò, aut debilitari præsentiam ejus, & quia sine phantasmate non intelligit intellectus noster pro hoc statu, ex hoc oblivio contingit, & quatenus diligenti applicatione aliquando detegitur species in phantasia, aliquando non, contingit reminisci, aut non reminisci.

Hujus duplex potest conjectura assignari: altera, quòd in anima separata non contingit oblivio, quia ea phantasmate non utitur: signum ergo est, quòd ex phantasia & ejus indispositione oblivio ortum ducit. Altera conjectura est, quòd videmus ex infirmitate, qua corporale organum læditur, memoriam omninò amitti: ergo ex dispositione, aut indispositione phantasiæ oritur facilitas aut difficultas memoriæ. Adde 3. quòd videmus ea quæ cerebrum desiccant memoriam juvare, quatenus nempè humiditas indisponit corporale organum, & ideò memoria excolendo augetur, quia assiduitate operationum vincitur illa humiditas, & organum meliùs disponitur: hęc omnia satis apertè indicant, actum memorandi ex ipsa pendere organi dispositione, & ex indispositione reddi difficiliorem. Multa quidem alia de memoria & actu reminiscendi habet S. P. cit. lib. 10. Confes. à cap. 8. usque ad 20. curiosa admodùm, quæ tamen mittimus, quia ad institutum nostrum dicta sufficiunt.

QUÆSTIO VIII.
DE VOLUNTATE.

ARTICULUS I.

Quomodo se habeat voluntas ad actum suum?

§. I.

Quid voluntas est, quid liberum arbitrium?

265 DIfficultatem aggredimur in toto philosophico processu nobis quidem præcipuam, & in qua sent. B. D. quamvis in textu ejus manifesta adeò, ut pateat vel lippis, ut ajunt, oculis legenti litteram, discipulos ejus deterret omninò, & ne in eam pondere consequentiæ cogantur incidere, sæpe in præcedentibus à mente ejus manifestè recedunt; & quidem meritò videntur hanc reformidare conclusionem, ea quippè primo aspectu videtur contraria manifestæ decisioni Tridentini, & catholicæ doctrinæ, ut opponit Oviedo: tenet doctrina catholica, & definitum est in Tridentino, quòd liberum hominis arbitrium non se habet merè passivè ad actus salutares, alioqui non salvatur libertas, & perit meritum nostrorũ actuum; atverò liberum arbitrium non alia potentia est à voluntate: ponere ergo, quòd voluntas omninò passivè se habet ad actum volendi, quæ est conclusio B. D. in præsenti articulo, non videtur benè cohærere cum doctrina catholica. Sed cohæret omninò, ut in prosequendo patebit, quarè lectorem in limine monitum velim, ne judicium de conclusione ferat utque ad plenam totius articuli lectionem.

266 Determinat ergó B. D. difficultatem præsentis art. in Quodl. 3. q. 15. in 2. dist. 25. q. unica ferè per totam, expresius autem art. 3. dub. 2. lat. & art. 6. dub. 1. & 2. & dist. 41. q. 2. art. 3. dub. lat. & sæpe alibi. Quę er-

ergo ad intentam conclusionem præmitti debent, quia nullam fere habent controversiam, prius expendemus. Dari in nobis appetitum rationalem à sensitivo distinctum, quamvis de mente P. Aug. negandum putaverit N. Nicolaus à S. Joan. Baptista, ex eo notum supposuimus disp. 2. quia dupplex est appetibile, & duplex cognitio illud nobis proponens: quandoquidem ergò appetitus est inclinatio sequens cognitionem, duplex fateri debet appetitus. Appetitus itaque rationalis, sivè sequens cognitionem rationalem proprio nomine dicitur voluntas, sensitivus verò, quia non habet nomen speciale, retinuit sibi commune, & absolutè dicitur appetitus.

267 Quantùm ad 1. ergo, de quo intenditur, voluntas est appetitus sequens cognitionem rationalem: & quia bonum est, quod omnia appetunt, ejus objectum est bonum, sive ens sub ratione boni, de quo seq. art. Bonum tripliciter dicitur: aut in se & absolutè bonum & perfectum, & hoc dicitur honestum; aut bonum respectivè & non ex perfectione, quam in se habet, sed ex congruentia ipsi appetēti, & hoc est duplex; aut enim congruit, quia aliquod affert ipsi cōmodum, & hoc dicitur utile; aut merè & tantùm quia placet, & hoc dicitur delectabile. Actus, quo amplectitur id quod cōgruit, aut bonum apparet, amor est; quo verò respuit & rejicit, quod sibi non apparet congruum, odiū sive nolitio: amor, qui terminatur ad objectum propter bonitatem absolutam dicitur amicitiæ, qui verò ad bonitatem terminatur respectivam ipsi appetenti, dicitur concupiscentiæ: quia verò ipsa voluntas non est potentia cognoscens, objectum respicit prout sibi proponitur ab intellectu, quarè non oportet, quòd objectum in se bonitatem habeat, sive absolutam sive respectivam, sed sufficit, quod ab intellectu apprehendatur illam habere, unde objectum ejus dicitur bonum reale, vel apparens.

Hinc ortum ducit commune, proloquium, quòd nihil volitum quin præcognitum; quia cùm voluntas sit potentia cæca, & quæ in omnibus sequitur ductum intellectus, non potest in actum suum progredi, nisi intellectu præeunte; non autem hoc ita accipi debet, quòd ipsa cogatur amplecti id, quod intellectus amplectendum judicat, experimur enim oppositum, quòd dictante intellectu hoc debere amplecti, ipsa voluntas pro suo libito amplectitur oppositum, & ita contingit in peccante ex malitia, qui videns & cognoscens contrarium debere sequi, ex mala affectione voluntatis sequitur hanc partem, unde est illud Prophani: *Video meliora, proboque; deteriora sequor.*

268 Quoniam itaque voluntas movetur à bono sive reali sive apparenti, sive honesto sive delectabili aut utili, & quodlibet potest amplecti, nec potest ab intellectu determinari ad alterum præ altero; tum quia intellectus solùm habet consiliari & proponere id quod objectum habet, aut apparet habere, tùm quia experimur, quòd contra judicium intellectùs ipsa voluntas procedit ad actum suum, oportet fateri, quòd ipsa de se vim habet determinandi alterum, quando objectum sub duplici ratione proponitur potente movere ipsam: puta proponitur auditio sacri, in cujus prosequutione est bonum honestum adimplēdi præceptum, in omissione autem est bonum delectabile, puta vitare laborem, aut lusui vacare, hoc utrumque proponit intellectus, & ab utroque movetur voluntas, nec potest ab intellectu ad alterum determinari; quamvis enim dictet intellectus, quòd magis est bonum adimplere præceptum, & quòd hoc debet amplecti, hoc non tollit, quin omissio sit delectabilis, & possit movere, & experimur, quòd intellectu ita judicante voluntas amplectitur oppositum: vim ergo ipsa habet & dominium determinandi, quod sibi magis libuerit.

269 Hinc jam alterum patet, de quo intenditur; nempè quid est liberum arbitrium. Ipsa ergo potestas determinandi alterutrum, & dominium supra actum suum est libertas, qua nēpè est sui juris, quod est liberum esse: liberum itaque albitrium non est alia potentia à voluntate, sed est ipsa voluntas secundùm quod habet illud dominium determinādi alterutrum; & quia determinatio indifferentiam supponit, & ab ea quodammodo dependet, ubi enim non est indifferentia, non est determinabile, & consequenter neque cadit determinatio, aut exercitium habet potestas determinandi, exercitium libertatis dependet ab indifferētia judicij: Libertas autem duplex est; altera à coactione; altera à necessitate: prior, quæ dicitur libertas essentialis, eò quod in omni actu voluntatis de necessitate reperitur, consistit in eo quòd voluntas non potest cogi ut invita vellit, sed quidquid vult volens vult, quarè quia quodammodo est sui juris quantùm ad hoc, illa voluptuositas, qua volens vult quidquid vult, dicitur libertas: altera libertas, quæ etiam dicitur libertas indifferentiæ, propria est liberi arbitrij, & consistit in potestate dominativa determinandi alterutrum.

Hæc item duplex est, contrarietatis, aut contradictionis: libertas contradictionis exercetur in ponendo vel non ponendo actum, quia enim ponere & non

non ponere sunt contradictoria, hæc libertas contradictionis dicitur : libertas contrarietatis, quæ etiam dicitur specificationis, exercetur in ponendo hunc actum vel illum, quia enim duplex actus oponitur contrariè, hæc libertas contrarietatis dicitur, & quia bonum & malum, sive hoc aut illud bonum sunt diversa specificativa, dicitur etiam libertas specificationis: patet ergo, quòd hæc libertas tantùm exercetur erga objectum sub indifferentia propositum, tunc enim tantùm potest voluntas alterum determinare; patet item, quòd non in ipsa indifferentia consistit libertas, sed in dominio determinandi; videmus enim, quòd materia v. g. de se indifferens est ad quamlibet formam, sed non proinde libertatem habet, quia non est in potestate ejus hanc aut illam determinare, quarè hæc indifferentia est omninò passiva, & quæ ab alio determinatur; libertas autem quoddammodo activè se habet, & non ab alio, sed ex se determinat alteram partem.

270 Dicitur autem quodammodo activa, & non absolutè activa, quia ut ait B.D. cit. dist. 25. art. 6. dub. 2. lat. activum dicitur ab eo quod est actum causare; illa autem determinatio non causat actum, ut magis patebit in sequentibus, sed tantùm causa est quarè objectum sub hac, vel sub illa ratione actum causet : postquam enim objectum sub indifferentia proponitur, ab utraque parte allicitur voluntas, puta ab honesto ut prosequatur, & à delectabili ut omittat; quandiu sic allicitur, à neutra parte potest sufficienter moveri, & in actu fieri, si enim ab ista allicitur, ad altera retrahitur, & allicitur in contrarium; quarè ut altera sufficienter moveat, debet sola movere; & quia voluntas non potest actum suscipere nisi volens & pro libito suo, ipsa est quæ debet determinare utra ex illis partibus debeat actum causare; ipsa ergo quatenus magis pro libito suo inclinatur in hanc partem, avertit se ab altera, seu alteri non attendit, quo facto hæc, quia jam sola movet, sufficienter movet, & illi consentit voluntas, seu finit se ab illa trahi; in quo duo est advertere, quòd voluntas avertit se ab uno, quod est negativè consentire alteri, & quòd finit se trahi, quod est consentire positivè; quo circa verba D. Amb. adducit B.D. quibus ait: *Consentire est tacere cùm possis redarguere, & errorè adulando fovere*; in quibus utrumque ponit, & tacere, quod est negativè consentire, & fovere, quod est consentire positive.

In primis itaque patet, quòd determinatio non dicit actum aliquem; determinatio enim ne-

ga-

gativa potius est carentia ejus, & ut ait B. D. desistere ab actu; determinatio verò positiva non dicit actum à voluntate causatum, sed magis actum recipere ab objecto pro libito suo: se habet ergo liberum arbitrium activè, non quidem simpliciter, quatenus aliquid agat, aut actum causet, sed secundum *quid* & quodammodo, quatenus sui juris est, & ex se determinat, non verò ab alio determinatur. Quãvis ergo volũtas & liberum arbitrium sint una potentia, actus tamen ejus diversus est, ut est volũtas, & ut est liberum arbitrium: nam ut est liberum arbitriũ actus ejus & exercitium est determinare alteram partem, ut verò est voluntas, actus ejus est velle & amplecti partem, quam determinavit; illa determinatio est electio, hoc amplecti est velle, quarè dicitur, quòd voluntas est finis, electio eorum, quæ sunt ad finem, nempè ut voluntas respicit bonum precisè qua tale est, ut autem est liberum arbitrium respicit bonum indifferens.

271 Hinc deinde patet, quòd conclusio B.D. de eo quod voluntas passivè se habet ad actum suum, sartam relinquit, & tectam determinationẽ Concil. & catholicam doctrinam de libertate. Determinatio Concil. sess. 6. canon. 4. de Justif. ita habet: *Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, merè que passivè se habere, anathema sit.* Quibus verbis, ut vides, de libero arbitrio determinatur, quod nos fatemur activè se habere, & alteram partem determinare, quo Deo vocanti cooperatur, si vocationem determinat sequi, aut vocationi dissentit, si determinat alteram partem; cùm quo fiat, quòd post determinationem, ipsum velle & amplecti partem, quam determinavit, non fit activè se habere & aliquem impulsũ producere, qui fit amor, ut ponit communis sent. sed tantùm modo suo recipere actum, hoc enim tantùm significat amplecti.

Neque proinde putes, duos actus esse velle & amplecti, aut duplex exercitium; est enim unus & idem motus vitalis voluntatis, in quo illa duo sunt, & quod alteram partem determinat, & quod determinatam amplectitur, & illa determinatio, sive per consensum negativum, sive per positivum, tantùm est velle interpretativè & inchoatũ, quod completur ipsa amplexione, qua partem determinatam recipit, in qua formaliter consistit vel-

velle. Ad intentum ergò præsentis art. communis sent. docet, quòd voluntas ad actum suum se habet activè, & quòd velle est producere impulsum quendam, qui est amor, & quo voluntas ad rem amatam fertur. Hanc omnes uno ore tenent, quarè superfluum est AA. referre. Docet B. D. locis sup. cit. quòd voluntas ad actum suum se habet omnino passivè, & quòd velle formaliter est recipere modo suo, sive voluntariè amplecti activationem causatam ab ojecto; ubi notes vellim, quòd sicut in actu intelligendi aliud est recipere speciem intelligibilem, quod est fieri in actu 1. aliud verò objectum in specie repræsentatum percipere, & hoc est intelligere, ita in actu volendi aliud est fieri in actu per speciem objecti ab intellectu propositam, aliud verò objectum in ea repræsentatum amplecti, & hoc 2. est velle, in quo voluntas vitaliter exercetur, & quod est passio de 3. specie qualitatis, ut de intellectione dictum est, illud autem 1. reducitur ad prædicamentum passionis. Hanc B. D. sent. ex discipulis ejus unus, quòd sciam, tenet Argent in 2. dist. 25. q. un. art. 1.

****

§. II.

Proponitur & probatur conclusio B. D.

272 DIcendum ergo, quòd voluntas ad actum volēdi se habet omninò passivè. Hæc conclusio, quoniam à discipulis B. D. communiter non tenetur, ex ipso potissimè ostendenda est. Prob. ergo 1. ex Quodl. 3. q. 15 qua quærit B. D. an voluntas possit movere se ipsam? Pro resolutione præmittit, quòd aliquid movere se ipsum potest dupliciter intelligi; aut indirectè & movendo aliud, à quo moveatur, & hoc modo, ait, non est difficile intelligere quomodo voluntas movet se ipsam; quia facta in actu per amorem finis movet intellectum, ut inquirat de his, quæ sunt ad finem, & per intellectum ad ea movetur: movet ergò se movendo intellectum, sed de hoc non est quæstio, subjungit ipse D. sed an voluntas moveat se ipsam, & quomodo respectu sui ipsius dicatur agens, nempè, an directè possit se ipsam movere?

Alio ergo modo movere se ipsum intelligitur directè, ita quòd à se ipso inse ipso immediatè causatur motus, & quia motus non intelligitur sine termino, est enim vialis acquisitio ejus, id tantùm di-

directè poterit se ipsum movere, quod poterit aliquid causare in se ipso. Hoc sensu §. *Secundùm autem hæc tria* ita concludit: *Secundùm hunc autem movendi modum benè dictum est, quòd sicut voluntas movetur à fine, sic movetur à quolibet alio, quia finis & ea, quæ sunt ad finem, actuant voluntatem; numquam enim voluntas per se & directè actuat se ipsam, sed bonum apprehensum est quod causat volitionem in voluntate, & quod actuat eam.* Rursus ad argumenta in contrarium ita habet: *Ad argumenta autem in contrarium dicendum. Nam cùm objicitur, quòd voluntas est potentia passiva, verum est quantùm ad actuationem, quia non potest se ipsam actuare; facta autem in actu per finem, & volendo considerare de his, quæ sunt ad finem, non se habet omninò ut potentia passiva, sed se habet aliquomodo ut dominativa, in quantùm potest se determinare modo quo dictum est*: Id ipsum sæpissimè habet tota illa q. quòd volũtas dominium habet determinandi alteram partem, non autem aliquid in se ipsa causat.

273 Prob. 2. ex eodem in 2. dist. 25. q. 1. art. 3. dub. 2. lat. quo idem quærit, an voluntas à se ipsa moveri possit? Resolutio ita habet: *Conclusio est affirmativa: movet enim se determinando se ipsam ad motum per intellectum; & per se ipsam non contradicendo motui, & consentiendo; sed non activatur à se, sed ab objecto, ut in prima, & secunda dubitatione sexti articuli patebit.* En quo sensu voluntas movet se, quatenus determinat à quo debet moveri, non autem quatenus aliquid in se ipsa causat. Resolutionem sic orditur: *Dicendum, quòd dictum nostrum multi calumniantur, quia istud se determinare videtur dicere aliquem actum: erit ergo oppositum in objecto, quòd voluntas determinat se, & non activet se, vel quod voluntas moveat se determinando, & non se activet. Sciendum ergo, quòd voluntas potest comparari ad intellectum, ad objectum, & ad actum, & omnibus istis modis potest se movere non activando.*

Progreditur deinde per singula ostendere, quòd voluntas ex dominio suæ libertatis habet se determinare, nullomodo autem actum in se ipsa causare; & quantùm ad 1. ita concludit: *Quandiù ergo voluntas est indeterminata non movetur, sed potest movere intellectum ad determinandam se ipsam. Sed propter hoc non activabit se ipsam, sed activabitur à bono apprehenso ab intellectu.* Quantum ad 2. sic ait: *Non ergo oportet, quòd istud determinare sit actus, sed sufficit quòd sit desistere ab actu: desistendo enim ab uno objecto determinabit se ad aliud objectum, ad*

quod

quod determinata movebitur & activabitur ab illo. Quantum ad 3. sic ostendit: *Nam actus volantatis est velle; & istud velle operatur in ea bonum apprehensum, quia ab eo movetur & activatur ut velit.* Posset autem quis dicere, quòd intendit B. D. voluntatem non activare se, sed activari ab objecto quantùm ad actum 1. quo facta in actu producit actum 2. sed hoc mera tergiversatio est: producere enim actum 2. est causare in se aliquem actum, & consequenter se activare; ipse autem totus est in probando, quòd nullo modo potest se activare.

Quod ut magis pateat §. *Triplicitèr ergo* ita habet: *Triplicitèr ergo voluntas movet se non activando se: primò determinando se ad alterum bonum: secundò non contradicendo, & in hoc consentiendo negativè illi alteri bono: tertiò consentiendo illi bono.* En non de activatione ab objecto, qua fit in actu 1. sed de exercitio ipso voluntatis loquitur. Deinde quantùm ad 3. ex illis tribus, quod proculdubiò est cõsensus positivus & ipsum velle, ita habet: *Sed quando movet se consentiendo motui affirmativè qui consensus est permittere se moveri, utrum istud permittere sit actus, quod si est actus: ergo movet se activando se.* En activare se, de quo in precedentibus negavit voluntatem se activare, non de actu 1. sed de ipso actu 2. accipitur; ex hoc enim contra se arguit.

Ad illam autem dubitationem, ex qua arguit contra se, sic respondet. *Ad quod dici potest, quòd hoc non dicit rem aliam quàm actum, sed solùm dicit modum recipiendi actum: nam omne quod recipitur in aliquo, recipitur secundum modum rei recipientis: quidquid ergo recipitur in voluntate, recipitur voluntariè. Activatur ergo ab objecto & suus actus est velle objectum. Activatur ergo objectum volendo; tamen, quia voluntariè activatur, & voluntariè movetur, ex hoc ipso quod sic movetur potest dici se movere.* En velle & positivè consentire est voluntariè recipere motionem ab objecto; & paucis interjectis ita recolligit dicta: *Consensus autem affirmativus non dicit actum, sed modum recipiendi actum. Nam eo ipso quòd voluntas non potest invita moveri, & eo ipso quòd voluntariè dicitur se permittere moveri, dicitur consentire motui, vel actui quasi affirmativè, qui consensus affirmativus, si benè considerentur jam dicta, magis dicit modum recipiendi motum, vel modum recipiendi actum, quàm ipsum actum. Amor verò dicit ipsam activationem, vel ipsum actum voluntatis non à se, sed ab objecto.*

274 Prob. 3. ex eodem ibidem cit. art. 6. ad quem se remittit: ibi ergo dub. 1. quærit, an voluntas se ipsam infinem movere possit? In resol. ita habet: *Voluntas ergò potest movere se determinando se, & istud se determinare non est se activare, sed desistere ab activatione unius, quod faciendo determinat se ad activationem alterius: voluntas enim potentia passiva est, & movetur & activatur ab alio, ut ab objecto.* Rursus §. sequenti ita ait: *Sic etiam dicere possumus, quòd consentire est quasi affirmare; & permittere se moveri non dicit ipsam activationem, sed dicit quendam activationis modum: voluntas enim, ut sæpe dictum est, non activatur nisi ab objecto vel ab eo, quod offertur ut objectum; quia hoc est sua activatio velle objectum, vel velle id, quod sibi offertur ut objectum.* En totus est in explicando, quòd voluntas non movet se causando in se aliquem actum, sed tantúm determinando se ad actum, qui debet ipsam activare, & quòd velle non dicit aliquid ab ipsa voluntate causatũ, sed modum recipiendi activationem, nempè voluntariè consentire, recipere, seu amplecti hanc partem.

Rursus: ibidem dub. 2. quærit, an voluntas activetur ab objecto? Et §. *propter quod* ita habet: *Propter quod sciendum quòd voluntas non debet dici activare se ipsam: quia actus vel activatio sumuntur per comparationem ad agens; agens autem in voluntatem non est ipsa voluntas, cùm sit potentia passiva, sed hujusmodi agens est ipsum objectum.* Idem habet dist. 41. ad quam ibi se remittit. Patet ergò, quòd non uno aut altero loco, aut obiter hoc attingens, sed sæpissimè & data opera de hoc quærens statuit, quòd voluntas non habet aliquid in se ipsa causare, quod velle est suo modo recipere activationem ab objecto, quod tantum habet se determinare, & ideò quantúm ad hoc non est passiva, quarè nulla relinquitur dubitandi ratio de mente ejus: oportuit autem loca latius expendere, quia Nostri communiter à sent. ejus recedunt adeò, ut cum P. Oviedo contra hanc B.D. conclusionem arguat. N. Vill. B. D. nititur vindicare ab impostura, & ostendere, quòd non tenet voluntatem se habere passivè ad actum volendi, quòd qua ratione potuerit intendere ego non video, cùm loca B. D. quibus id docet, frequentia sint adeò & clara.

N. Bonher. hîc dub. 2. conceptis verbis conclusionem B. D. tenendam assumit, quòd nẽpè voluntas se movet ad actus suos non se activando, sed se determinando. De cætero autem in toto processu contendit sen-

sum

sum communiter sent. quòd voluntas activatur ab objecto per intellectum proposito, sed facta in actu 1. ipsa producit impulsum, qui est amor & actus 2. volendi. Hæc autem duo omninò cohærere non possunt: nam impulsus ille actus est, quem voluntas in se ipsa causat: si ergo hunc ipsa causat, non tantùm se determinat, sed se etiam activat, & actum in se causat; aut si tantùm habet se determinare, non verò se activare, non potest in se ipsa talem actum causare.

275 Prob. 4. à ratione ijs omnibus, quibus in præcedentibus ostensum est de intellectu, quòd passivè se habet ad actum intelligendi, omnes enim de voluntate tenent, ex quibus duas tantùm assumit ad propositum N. Arg. quibus sufficienter putat conclusionem ostendi, per hæc verba: quia si voluntas propriè esset activa respectu sui ipsius, activè scilicèt suum actum eliciendo in se ipsa, tunc ipsa voluntas necessariò differret à se ipsa; cùm potentia activa sit transmutativa alterius secundũ quod alterum, ut patet 5. Met. tex. 17. Et conf. quia inter activum & passivum est relatio realis, cujus extrema sunt realiter distincta: igitur si voluntas propriè activaret se ipsam, tunc necessariò voluntas differret à se ipsa, quod est absurdum: His sufficienter putat Arg. illam conclus. ostendi, & quidem ratio est valde efficax; ant. enim est expressa sent. Phil. quæ ab omnibus admittitur.

Deinde: velle ex terminis non significat agere, sed amplecti volitum, & illi consentire; hoc autem non aliquid producere, sed magis modum importat se habendi ad actum, qui in se causatur. Præterea: Si velle est producere illum impulsum, quid est desiderare, gaudere, quid item nolle; proculdubiò enim ista motum vitalẽ voluntatis significant? Nolle ergò erit non producere impulsum, si velle est illum producere; & quomodo tunc vitaliter exercetur voluntas? Neque dicas: velle esse per illum impulsum ferri in objectum, quarè nolle est ab illo recedere. In primis est prorsus imperceptibile hoc ferri, aut recedere; non enim passibus corporis, aut locali motu accedit, vel recedit voluntas. Deinde: neque intelligitur, quòd in nolendo alium impulsum causet; est enim ille impulsus ex allicientia, qua ab objecto attrahitur, neque eodem impulsu potest ferri & recedere. Deinde: si velle est illo impulsu ferri, gaudere est quiescere in bono adepto; desiderare item erit nondum in objectum ferri; quomodo autem in illa quiete gaudij exercetur vitalitas? Congruentiùs ergò

dicitur, quòd ista omnia dicunt modum se habendi voluntatis ad activationem ab objecto causatam, & quòd velle, nolle, gaudere, aut desiderare dicunt modum, quo voluntas illam activationem recipit; tunc autem vitalitatem ipsa anima exercet, quatenus ipsa movet per intellectum proponendo objectum, & ipsa movetur per voluntatem sic, vel sic recipiendo activationem ejus.

Ulterius: titulo superfluitatis impulsus ille à voluntate activè productus rejicitur: 1. quia non illo impulsu, sed motu suo voluntas fertur; objectum autem à quo allicitur, & in quod fertur, proponitur ab intellectu: secluso ergò hoc impulsu ipsa voluntas poterit motu suo tendere in objectum, quod ipsam allicit; quòd si iste impulsus ponitur quasi ipsam pellens. In primis hoc non benè cùm libertate cohæret; agitur enim illo impulsu. Deinde: non ab ipsa voluntate debet impulsus iste produci, sed ab objecto, cujus bonitas ipsam allicit voluntatem. 2. aut titulo libertatis, aut vitalitatis producti hujus impulsus ponitur requiri; ex neutro autem cap. requiritur: superfluit ergo. Quātùm ad 1. eò patet min. quia libertas in dominio consistit determinandi alterutrum; patet autem, quòd determinatio sine ulla productione salvatur. Quantùm ad 2. ex eo quòd vivere et se movere, seu quòd idem subjectum uno motu sit movens & motum; hoc autem jam item patuit, quòd sine ulla productione intelligitur, imò in nulla potest productione salvari, quia in se ipso nullum agens potest aliquid producere, aut ad se ipsum influentiam habere directè & immediatè. Mitto alia, quoniam ex his potest sufficienter patere conclusio.

§. III.

Solvuntur argumenta.

276 ARg. 1. ex loco Conc. sup. adducto, quo in hæreticis damnatur, quòd voluntatem passivam ponebant, & quod non agit, sed agitur; & quidem cum hoc quod est passivè se habere, directissimè opponitur liberum esse; se habere enim passivè est agi, & alteri subjici, atque ab eo dominari, cùm liberum esse dicat ex terminis esse sui juris, quod est nulli subjici, seu dominium habere: si ergò ponitur, voluntatem passivè se habere ad actum suum, non poterit salvari libertas ejus, quæ tamen catholicè salvanda est. Hoc potissimū est & ferè unicum, quod omnes movet.

277 Resp. quòd tex. Concil. supra explicuimus n. 271. Debet utique salvari libertas volun-

luntatis, & quòd ea non merè & omninò passivè se habet ad id, quod ipsam movet, sed cooperatur, & quodammodo se habet activè, & hoc intendit Concil. hoc item supponit nostra conclusio; aliud enim est dicere, quòd voluntas se habet omninò passivè, aliud verò, quòd ad actum volendi contradistinguendo ad actum determinandi; illud 1. excludit libertatem; hoc 2. ponit nostra conclusio. Itaque quòd aliud est determinare alteram partem, aliud verò velle & amplecti partem determinatam nullus poterit negare; ipsa enim communis sent. supponit, quòd voluntas indeterminata non potest actum volendi producere, & quòd prius est ipsam ex dominio suæ libertatis alterum determinare, deinde, quòd impulsum producat, quo hanc partem vult & in eam fertur: quantùm ergò ad illud 1. intactam relinquimus catholicam doctrinam, & eam totis viribus amplectimur; quantùm verò ad hoc 2. dicimus contra communem sent. quòd velle & amplecti partem, quam determinavit non est producere impulsum, quo feratur, sed tantùm voluntariè recipere activationem ab objecto secundùm hanc partem, quam ipsa determinavit.

278 Arg. 2. ex Ap. ad Rom. cap. 7. ubi ait: *Nam velle mihi ad jacet, perficere autem bonum non invenio.* Quo in loco de ipso velle loquitur Ap. & ait sibi adjacere, hoc est voluntatem illud ex se habere; at si voluntas se habet passivè, non illud ex se habet, patet enim, quòd ex se non competit alicui id, quod ab alio causatur: ergo. Resp. quòd sensus Ap. planus est, intendit enim, quòd volenti benè operari obstat concupiscentia, & mala pronitas voluntatis ex 1. peccato relicta. Ad formam itaque neg. min. quamvis enim ab alio causetur, nempè ab objecto, est autem in potestate voluntatis determinare ipsum, ut jam abundè explicatum est.

279 Arg. 3. à ratione ex paritate in Divinis: In Deo velle notionale actus est, quo procedit Sp. S. at si voluntas se habet passivè ad actum volendi, ita quòd velle nihil sit aliud, quàm voluntariè recipere activationē ab objecto, non potest intelligi, quòd ex actu volēdi aliquid procedat: non ergo passivè se habet, sed activè producendo impulsum. Min ex terminis patet, & paritatem nos debemus admittere; siquidem q. præcedenti ex ipsa arguebamus, quòd verbum in nobis non est aliquid productum ab intellectu nostro, quia Verbum in Divinis non activè producitur ab intellectu Patris.

280 Resp. 1. quòd instantia ex ipsa paritate deducitur, sicut suprà dictum est de verbo men-

mentis: non enim in Deo sic procedit Sp. S. quòd sit impulsus à voluntate productus, sed per voluntatē procedit ut quid emanans, vel originatum: si ergo inde paritas sumitur, potiùs deduci debet, quòd voluntas nostra in actu amandi non se habet activè producendo impulsum, sed ad summum, quòd amplexione illa, qua modo suo recipit activationē ab objecto, formatur, emanat, sive originatur aliquid, quod quia non habet speciale nomen, quo significetur, & aliunde quia ipsum velle quædam transformatio est affectiva amātis in amatum, impulsus dicitur; hoc verum est, sed stat sine ulla activitate productiva.

Resp. 2. directè neg. min. Sicut enim cum hoc quòd intellectus passivè se habet in actu intelligendi stat, quòd actu suo similitudinem format, quæ est verbum, non tamen illam producit sed magis ab objecto ipso, seu specie ejus in genere causæ *ad quam* causatur, quia tamen non habet rationem verbi, nisi quatenus perceptione intellectus formatur, dicitur intellectu formari, & ab ipso emanat; ita in voluntate ab objecto per intellectum proposito causatur eodem modo activatio voluntatis, quæ, ut ab ipsa voluntate recipitur, & actu suo amplectitur, dicitur impulsus ab ipsa, seu potius per ipsam procedens, quarè prin cipium activum Divinarum processionum etiam *quo* & immediatum in nostra sent. non ipsa potentia est, sed magis natura Divina per modum objecti

281 Arg. 4. N. Manf. lib. 2. q. 7. §. 2. quòd de voluntate est specialis ratio, ut ea sit potentia activa: quia nempè est potentia libera; at de ratione liberi non solùm est agere, sed agere cum dominio suorum actuum: ergo. Resp. 1. dist. maj. Voluntas est potentia libera ut est voluntas, sive precisè ad actum, qui est velle, neg. maj. Vt est liberum arbitrium, sive ad actum, qui est eligere, conc. maj. & missa hoc sensu min. neg. cons. procedit enim conclusio de voluntate ut est voluntas, sive contra distinguendo à se ipsa ut est liberum arbitrium, nempè de actu loquimur, qui est velle precisivè ab eo quod est determinare alteram partem. Resp. 2. dist. min. De ratione liberi est agere in actu imperato à libertate, mitt. min. In ipso formaliter actu libertatis, neg. min. In hoc enim non agit, sed determinat tantùm quid agendum est; in determinando autem licèt se habeat activè quodammodo, quatenus non alteri subjicitur, non autem activè simpliciter, prout dicitur ab eo quod est agere & actum producere, quia ut vidimus ex B. D. determinatio nro

dicit

dicit actum, sed cessare ab actu, aut modum recipiendi actum. Adde quod ipse Manso singulariter propugnat libertatem passivam, quarè in sent. ejus non est absolutè verum, quòd de ratione liberi sit agere.

282 Arg. 5. ex eodem: Voluntas est potentia affectiva, quæ fertur ad res; at fertur producendo impulsum, & per amorem objecti apprehensi, qui est pondus, quo fertur, juxta illud P. Aug. *amor meus pondus meum, eò ferror, quocumque ferror*: ergo. Resp. neg. min. tum quia non productione, sed impulsu ipso fertur, ad quod de materiali est, quod ipsa impulsum producat, quamvis enim ab objecto inrelligatur causari impulsus ille, illum recipiens voluntas benè intelligitur in se habere pondus, quo feratur; tùm deinde, quia illud ferri non est phisicè tendere, aut locali motu accedere: Quatenus itaque voluntas amplectitur objectum voluntariè, in bonitate ejus cõplacet, & ex hoc dicitur amor natura sua transformativus; quia ex illa complacentia vult quantùm potest illi intimè uniri, quia verò ex hoc sequitur in potentijs executivis inclinatio ad illud bonum assequendum, hoc sensu amor ipse dicitur pondus, quo tota anima nititur in objectum, & hoc intendit S. P.

Quod autem dicitur communiter, quòd voluntas fertur ad res, seu ut loquitur B. D. quód motus in intelligendo est a rebus ad animam, in volendo autem ab anima ad res, hunc habet sensum; intellectus percipit objectum non secundúm modum, quem in re habet, sed ut est quid, & abstrahendo a conditionibus existendi in re; & quia hoc modo tantúm habet esse in ipso intellectu à quo abstrahitur, dicitur ad se trahere, quatenus modo suo percipit, & à rebus ad animam motum intelligendi fieri, quatenus ab ipso objecto in re existente movetur intellectus & fit in actu, quarè à re ipsa motus ille incipit; è contra voluntas, quamvis illi proponatur objectum ab intellectu, & consequenter ut est quid & secundum esse abstractum, non illud amat secundum illud esse, sed secundum esse, quod in re habet, quarè dicitur ad res ferri, quia verò fit in actu à specie per intellectum proposita, ait B. D. quòd motus in volendo est ab anima ad res. Cætera argumenta mittimus, quia eadem sunt, quæ in præcedentibus soluta manent de intellectu.

***

ARTICULUS II.

Quodnam sit objectum voluntatis?

§. I.

An sub eadem ratione moveatur voluntas ac intellectus?

283 DE objecto voluntatis multa dubitantur, quæ autem ad institutum nostrum pertinent, ad tria possunt reduci: nempe de ratione *sub qua* movetur voluntas; an possit movere quod non proponitur sub aliqua ratione boni? Et an possit voluntas aliquid amare sub ratione boni ab ipsa sibi præfixi? Quantum ad 1. N. Gerardus Sen. in 1. dist. 1. q. 3. art. 3. de hoc quærens ait, quòd communis opinio ponit sub diversa ratione moveri voluntatem, ac intellectum, non tamen sub diversa realiter, sed formaliter & per rationem. Hujus fundamenta hæc proponit: 1. quòd sicut duplex potētia nequit habere unum actum, ita neque idem objectum; at objectum non est idem, aut aliud per rationem materialem *quæ*, sed per rationem formalem *sub qua*: ergo cùm intellectus & voluntas sint diversæ potentiæ, diversa esse debet ratio *sub qua* utriusque. 2. non tanta requiritur diversitas in principijs, quanta in principiatis: ergo licèt principiata, ut sunt actus, differant realiter, sufficit quòd objecta differant ratione.

284 Contra hanc opinionem tria ipse objicit. 1. Objectum per rationem *sub qua* movet potentiam ad actus reales ipsius; sed quod movet ad actum realem debet realiter movere, & sic per rationem realē: ergo realis debet esse ratio *sub qua* utriusq̄ potētiæ; non autem talis est, vi sola ratione differt. 2. ratio *sub qua* in objectó debet præcedere actum potentiæ; sed si sola ratione differunt, ea non præcedit: ergo. Patet maj. quia talis ratio est causa actus. Patet item min. quia si sola ratione differunt, per actum intellectus constituuntur; ergo non præcedunt in objectum.

Tertiò. Ilæ rationes aut *ita* se habent, quód una continetur in altera, aut ita, quod ambę in 3. continentur; aut omnino disparatè; sed quodlibet implicat: ergo. Prob. min. quantum ad 1. Quia intellectus & voluntas sunt potentiæ ęquè universales; ita quód una non continetur sub altera, sed quidquid intellectus intelligit potest voluntas velle: ergo rationes objectivę utriusque non possunt una sub altera contineri. Quantum ad 2. Quia túnc ab illa 3. ratione, sub qua contineretur ratio utriusque, moveretur utraque potentia, & sic non essent dis-

diversæ. Quantum ad 3. Quia si disparatè se habent, tunc non quod intellectus intelligit hoc potest voluntas velle, quod est falsum. Prob. sequela: quidquid quælibet potentia attingit, attingit sub ratione sui objecti; at ratio cujuslibet non contineretur sub ratione alterius: ergo.

285 Propter hoc proponit ipse 2. opinionem, quam esse ait Gotifredi, quòd ab eodem sub eadem ratione movetur voluntas, ac intellectus, & ideò quod voluntas vult hoc intellectus intelligit, & è converso; diversitas autem actuum est ex diversitate potentiæ, & proprio modo attingendi cujuslibet. Quia non implicat, quòd causa æquivoca per eandem rationem in diversis diversa causet; at objectum ad potentiam comparatur ut causa æquivoca: ergo. Contra hanc ipse opponit: quòd tunc, non different specie actus intelligendi & volendi; specificantur enim actus ex objectis.

286 Proponit deinde 3. opinionem, quam dicit Scoti, quæ docet, utriusque potentiæ rationem differre realiter, non verò realiter simpliciter, sed formaliter ex natura rei, quo vitat inconvenientia adducta contra 1. opinionem. Sed tunc non quidquid intellectus intelligit, vult voluntas, & è contra: quia illud ex natura rei differens proprium cujuslibet potentiæ, quidquid hoc sit, altera potentia non attingit. Mast. disp. 5. q. 5. ait, quòd Scot. non determinat alteram partem, sed dubius ubiq; est; sive ad 2. sent. quærens sub ratione entis ponit objectum utriusque potentiæ, sive ad 1. quæ ponit per rationem veri ad intellectum, & per rationem boni determinari ad voluntatem, quarè etiam ipse sub dubio relinquit.

287 Tandem propriam sent. duplici conclusione proponit N. Gerardus: 1. est, quòd idem motivum habet utraque potentia, sive ab eodem sub eadem ratione movetur: 2. quod sub diversa ratione terminat. Primam conclusionem probat. Quia quoties aliquod movens duo movet, ita quód unum mediantè alio, per eandem rationem debet movere utrumque; sed objectum apprehensum movet voluntatem medio intellectu: ergo. Patet maj. Si enim per aliam rationem moveat 2. tunc non mediante primo, sed immediatè movet. Alteram conclusionem probat communi ratione: quòd actus specificantur ab objecto ad quod terminantur, quarè si diversi sunt actus, diversum esse debet objectum terminativum utriusque potentiæ.

288 In primis displicet hæc N. Gerardi distinctio: tùm quia non alia ratione movet ac terminat actum objectum cujuslibet potentiæ, movere enim est ip-

ipsam potentiam facere in actu 1. patet autem, quòd illa eadem actualitas, qua potentia fit in actu, & quæ ab ea percipitur: tùm deinde, quia specificativum est potissimè objectū motivú, terminat etiam enim objectum secūdarium, quod non specificat: si ergo motivum est idem utriusque potentiæ, non poterunt actus distingui. Deinde: ratio qua nititur æquivocatione fundatur: quod enim duó movet unum mediante alio tanquam ratione movendi, tunc per eandem rationem movet; atverò ens non movet hoc modo voluntatem medio intellectu; se habet enim intellectus ad voluntatem quantum ad hoc ut mera conditio, proponit nempè & ostendit id, quod debet movere, quarè non oportet, quòd per eandem rationem moveatutr amque potentiam.

289 Dicendum ergo cum communi sent. quòd sub diversa ratione formali pertinet ens ad intellectum, & voluntatem sive quantùm ad movere, sive quantùm ad terminare, nempè ad intellectum sub ratione veri, quippè consistit veritas objectiva in adæquatione ad causas & principia sui esse, ad voluntatem verò sub ratione boni, seu convenientis. Not. verò pro solutione eorum, quæ in contrarium objicit N. Gerardus, quód istæ duæ rationes non differunt quidditativè in ipso objecto, aut ab ipso, aut inter se, ita quod una excludat aliam, sed sunt diversæ expressiones, & acceptiones ipsius objecti transcendentes ipsum; patet enim, quòd se ipso intransitivè ad quamlibet rationem superadditam quodlibet ens habet, aut non habet adæquationem ad prædicata suæ quidditatis, aut convenit vel non convenit, quarè istæ rationes dicuntur relationes secundum *dici* transcendentales.

290 Ad 1. ergo N. Gerardi resp. neg. subsumptum; sunt enim reipsa in objecto tam adæquatio ad sua prædicata, qua movet intellectum, quàm convenientia, qua movet voluntatem, imò non aliud sunt quàm ipsum objectum, quia tamen in re non sunt aliud & aliud, sola ratio facit distinctionem. Quo patet ad 2. nempè falsa est min. quamvis enim præcedant in objecto, non sunt aliud & aliud, quia neque aliud sunt, quàm ipsa objecti entitas. Ad 3. dicitur, quòd nullo ex illis modis se habent rationes objectivæ intellectus & voluntatis, si enim essent aliquid quidditativè superadditum, deberent inter se quidditate sua differre, & tunc aut ordinem haberent, aut se haberent disparatè, & se mutuò excluderent; at verò non aliquam rationē quidditativam dicunt supra ens, ut in Met. dicetur, sed sunt ipsa entitas aliter & alitet acceptibilis, quarè se mutuo transcen-

dunt,

dunt, ita quod adæquatio ad prædicata suæ quidditatis congruit, aut non congruit voluntati, & è contra, ipsa congruentia suam habet utcumque rationem, cui adæquatur vel non adæquatur, quarè ipsa ratio intellectus potest movere voluntatem, & è converso.

§. II.

An possit movere voluntatem quod non proponitur sub aliqua ratione boni?

291 NOminales, ut communiter fertur, docent, quod potest voluntas amare malum sub ratione mali propositum, & odisse bonum. Pro hac sent. cit. Ocham, Maj. Almain, & alij: contendunt autem multi Nominalium sent. non aliud intendere, quàm quód objectum voluntatis est ens sub ratione entis, quod multi alij docent, in quibus Mast. §. præc. citatus. Sed quę communiter adducûtur fundamenta Nominalium, directè intendunt, quòd potest voluntas diligere malum ut tale. Citatur deinde à multis Scotus pro sent. asserente, quód potest voluntas diligere objectum quod sibi sub nulla ratione boni proponitur. Merin. disp. 6. q. 3. contendit, longè aliam esse Scoti mentem; pro cujus explicatione adducit Fabrum in 1. dist. 13. cap. 7. quo sent. Scoti ita explicat, quòd amore amicitiæ potest voluntas objectum diligere, in quo nulla sibi proponatur ratio boni, non verò amore concupiscentiæ.

Ipse Merin. aliter distinguendum docet, nempè aliud est bonum essentiale, quod in se ipso bonum est, & hujus bonitas consistit in ipsa perfectione & integritate rei intrinseca & entitativa; aliud verò est bonum accidentale & secundarium, quod tantum relativè bonum est, & hujus bonitas consistit inconvenientia, quarè dicitur bonum alteri. Tunc ait, quód si sermo sit de bono accidentali potest voluntas amore amicitiæ ferri in objectum, in quo nulla sibi proponatur ratio hujus boni, non autem amore concupiscentiæ; si autem sermo sit de bono essentiali, potest volûtas amore concupiscentiæ objectum amare, in quo nulla appareat ratio talis boni; de amore verò amicitiæ nulla est sive ratio, sive authoritas, quæ cogat in alteram partem, quarè problematicè & sub dubio relinquit utrumque.

292 Sed quantum ad 1. distinctionem Fabri, jam eà concedit, quòd potest voluntas aliquo actu suo amare objectum, quod sub nulla ratione boni proponitur; deinde non facilè percipitur quarè magis amor concupiscentiæ, quàm amicitiæ non

nisi ad bonum possit terminari. Quantùm ad 2. ipsius Merin. amor amicitiæ terminatur de se ad objectum propter bonitatem, quam in se habet: quarè huic est de materiali bonitas accidentalis; similiter amor concupiscentiæ terminatur ad id, quod bonum est ipsi amanti, quarè sibi accidit omninò, quòd objectum in se habeat vel non habeat bonitatem essentialem: est ergò inutilis illa distinctio. Quantùm ad id verò, quòd ait de amore amicitiæ comparativè ad bonitatem essentialem, problematicè saltim incidit in sent. Fabri; concedit enim, quòd amor concupiscentiæ haberi non potest sine bonitate accidentali, quæ sola sibi competit, amor verò amicitiæ cùm solam respiciat essentialem bonitatem, si quidem ad hoc problematicè se habet, hoc solum sent. ejus addit, quòd problematicè docet aut communem sent. aut illam, quam esse de mente Scoti intendit Faber.

293 Communis ergò sent. docet, quòd nequit voluntas amare objectum, nisi quatenus sibi sub aliqua ratione boni proponitur, nempè amore amicitiæ, quod non sibi proponitur ut in se ipso bonum, amore verò concupiscentiæ quod non sibi proponitur ut bonum sibi; nec refert, quòd objectum tale sit in re, sed quòd tale esse proponatur; est enim voluntas potentia non cognoscens, quarè quantùm ad hoc sequitur ductum intellectus, & ideo habet commune proloquium, quod nihil volitum quin præcognitum, quod ex P. Aug. desumitur in lib. Confes. dicente: *Nullus itaque amat incognita etiam cùm appetit scire quod nescit.*

294 Prob. 1. ex illo D. Dyonis. cap. 4. de Divin. nom. *nemo respiciens ad malum operatur*, seu ut alij habent: *Nemo proposito sibi malo facit*; quo apertè significatur, quòd voluntas non nisi intendens aliquod bonum exercetur. 2. ex P. Aug. lib. 2. Confes. cap. 4. & sequentibus, quibus refert puerilem pomorum furtum, & latè inquirit, quid in eo fuerit amplexata voluntas? Neque enim, inquit, ipsa poma erant ulla ratione appetibilia; neque illorum usum appetebat, projecit namque; neque insuper actio furandi placebat; quarè concludit, quòd ipsa tantùm aliorum societas potuit tunc ejus voluntatem movere: supponit ergo, quòd non potest voluntatem movere, nisi quod sub aliqua ratione boni apprehenditur, eò enim ab illis rationibus supponit non potuisse tunc moveri, quia nullomodo bona apprehendebat. 3. ex Phil. 1. Ethic. cap. 2. quo approbat definitionem boni, quæ etiam ex D. Dyonis. loc. cit. desumitur, quòd nempè bonum est, quod omnia ap-

appetunt : ergo malum nemo potest appetere.

295 Prob. 4. à ratione: velle est inclinatio voluntatis ad volitum; sed inclinatio est de necessitate ad bonum : ergo non nisi ad id, quòd sub aliqua ratione boni proponitur, potest terminati actus voluntatis Patet maj. quia voluntas est appetitus rationalis, appetitus autem est inclinatio. Min. de facili ostenditur, quia cuique naturalissimum est appetere proprium esse & ejus cõservationem; at malum, qua ratione tale est, est contra naturam, & sic illi inclinationi contrarium : non ergo potest inclinatio terminari ad malum ut

296 Arg. 1. Proposito per intellectum summo bono potest adhuc voluntas mereri & demereri : ergo libera est erga illud; at non stat libertas sine indifferentia : ergo indifferentiam habet, saltim amandi & non amandi. Si autem potest non amare summum bonum, potest amare oppositum, neque enim hoc sibi propositum non amat, nisi quia amat oppositum; at opositum summo bono malum est proculdubiò : ergo. Resp. Merin. quòd ad meritum non requiritur libertas specificationis, sed sufficit libertas exercitij, quarè ut voluntas mereatur indiligendo summum bonum non requiritur, quòd possit oppositum diligere, sed sufficit quòd possit actũ dilectionis suspendere. Hæc solutio non sufficit: tùm, quia peccans apertè amat oppositum summo bono; tum quia ut voluntas mereatur actu dilectionis sufficit quidem, quod possit ipsum suspendere, tunc autem ipsam suspensionẽ potest eligere & amare; ad intentum autem arguentis hoc sufficit, quia quidquid est extra & præter summum bonum, malum est, & idcó Deus clarè visus necessitat volũtatem quoad specificationem & exercitium.

297 Resp. itaque dist ant. Proposito summo bono plenè sive visione aperta, potest voluntas mereri, neg. ant. Proposito semi plenè & cognitione abstractiva, conc. ant. tunc autem dist. sublumptum : oppositum summo bono clarè viso est de necessitate malum, conc. min. Summo bono proposito per cognitionem abstractivam, subdist. Est de necessitate malum in se, sive bonitate essentiali, conc. min. respectivè sive bonitate accidentali, neg. min. Itaque summum bonum est omne bonum, quarè quidquid est extra illud, aut præter, itaquod sit illi oppositum, malum est; sed voluntatem non movet qnod est, sed quod esse apprehenditur, & cognitione proponitur: quia ergo in visione aperta non potest errare cognitio proponens, nihil potest tunc bonum apparere, & potest movere voluntatem; atverò in cognitione abs-

abstractiva non accipitur illa bonitas ut in se est sed juxtra capacitatem accipientis, & quia hujus modi cognitio potest deficere, potest aliquid apprehendere & proponere, non quidem quod magis sit bonum, sed quod magis placeat, sive quod possit ipsa voluntas præponere, & ita contingit in peccante.

298 Arg. 2. Multi appetunt non vivere, sicut qui desperant, aut etiam non esse, sicut damnati; at in his nihil est, quòd posit movere voluntatem nisi malum: ergo. Patet min. in ipso enim non esse seu non vivere, tantúm intelligitur carentia bonitatis. Resp. neg. min. cum sua probatione; in illis enim appetit voluntas liberari à miseria, quarè non esse, seu non vivere non ut finem appetit, sed ut medium, quo illam liberationem intendit.

299 Arg. 3. Qui odio habet alterum, vult illi malum precisè ut malum illi est: ergo tunc voluntas amat malum ut malum. Conf. Sæpe diligimus id, quod scimus amico placere, quod tamen nobis nulla ratione placet, aut bonum apparet: ergo. Resp. neg. conseq. tunc enim voluntas amat delectabile bonum, quod in damno alterius apprehendit. Quo ad Conf. pariter neg. conseq. est enim tunc voluntati delectabile amico placere, quarè licèt bonũ, quod est materiale objectum, omninò non sit bonum sibi, sed alteri, ipsum placere alteri bonum sibi est.

300 Arg. 4. Merin. Quod authoritates & rationes, quæ pro communi sent. adducuntur, tantúm procedunt de bono accidentali, quarè de bono essentiali, & in se tali nulla est sive authoritas, sive ratio, quæ cogat in alteram partem. Ant. eò notum supponit, quia bonum essentiale non est quod omnia appetunt, & quod intendens operatur unumquodque, patet enim quòd unumquodque intendit bonum sibi, & hoc omnia appetunt. Resp. neg. ant. cum sua probatione: quod enim ad authoritates attinet, quamvis locus S. P. quia est de particulari casu, de bono accidentali loquatur, inde tamen benè infertur intentum, quia quærens quodnam bonum in illo objecto amplectebatur voluntas, supponit non nisi bonum potuisse amplecti; locus autem D. Dyonis. absolutè negat, voluntatem posse malum amplecti, quarè de omni actu debet accipi; quod autem in probationem assumit apertè falsum est, quamvis enim per accidens ex conditione hujus status voluntas nostra semper ex se habeat se quærere & quod sibi placet, hoc non tollit, quin per se & ex natura rei debeat præponere quod in se & absolutè bonum est, quia magis hoc bonum est.

§. II.

§. III.

De bono præfixo.

301 PRæsuppositò quòd non nisi à bono potest moveri voluntas, sivè verum id sit bonum, sive apparens, docet ad hoc sent. Scoti, quòd potest voluntas amare objectum, quod sub nulla ratione boni sibi proponitur, sive quod proponitur ut malum, quam sent. sic explicant Scotistæ: cúm volnntati proponitur objectum ut malum & disconveniens, siquidem aliunde bonitas in alio objecto ostendi tur voluntati, potest voluntas hanc bonitatem illi objecto malo attribuere, & ratione ejus illud amare, & quia hanc bonitatem neque habet objectum, neque habere apprehenditur, sed illam sibi præfigit voluntas, dici tur bonitas præfixa. Ita de mente Scoti tenent frequenter RR. quòs citat & sequitur Mast. tum in Phis. disp. 5. q. 8. art. 2. tũ hic disp. item 7. q. 5. addit tamen, quòd Scotus in locis unde hæc sent. deducitur dubitativè videtur procedere, quarè tantùm probabile hoc est de mente ejus, tenẽt tamen cõmuniter Scotistæ.

302 Dicendum, quòd voluntas non potest amare objectum ratione bonitatis sibi ab ipsa præfixæ. Prob. Quia objectum non potest amari nisi ratione bonitatis, quæ illi convenire proponitur, sive quæ proponitur ut bonitas illius; sed bonitas illa præfixa non potest voluntati proponi ut bonitas hujus objecti: ergo. Patet maj. amatur enim quatenns amabile est: si ergo tantúm amabile est ratione bonitatis, ut ad præsens supponitur, in tantúm hæc bonitas proponitur ut amabilitas hujus objecti, in quantùm proponitur ut bonitas ejus, seu illi conveniens. Ostenditur itaque min. Intellectus non proponit hanc bonitatem huic objecto convenire; sed aliunde ipsa voluntas non potest id sibi proponere: ergo. Patet maj. Si enim id proponit intellectus, non jam præfixam bonitatem, sed bonum apparens amat voluntas, sive quod apprehensione erronea concipitur habere bonitatem, quam non habet. Ostenditur min. Quia proponere hanc bonitatem huic objecto convenire, est apprehendere & concipere hoc objectum ut hac bonitate amabile; at voluntas non cognoscit: non ergò ipsa potest sibi proponere hanc bonitatem huic objecto convenire, aut illud ratione hujus bonitatis esse amabile.

Conf. Amare hoc objectum ratione hujus bonitatis præsupponit de necessitate cognoscere hoc objectum ratione hujus bonitatis amabile esse; sed intellectus in casu, licèt cognoscat hanc bonitatem, & hoc objectum,

tum, non tamen cognoscit hoc objectum hac bonitate esse amabile: aliunde voluntas non potest id cognoscere, quia non est cognoscitiva: ergo non potest hoc objectum ratione hujus bonitatis amare. Min. ex terminis patet, & maj ostenditur: tùm quia ex communi principio nihil volitum, quin præcognitum: si ergo voluntas amat objectum hac amabilitate, præcognosci debet hac amabilitate amabile: tũ deinde: quia sicut amabile præcognosci prius est, & præsupponitur ad actu amari, ita amabile esse hac amabilitate ad amari ratione ipsius.

303 Resp. Mast. verum utique esse, quòd nihil volitum quin præcognitum; tunc autem præcognoscitur utrumque, & objectum, & bonitas, quare potest voluntas utrumque copulare. Sed contra: complexum ex utroque objectum est longè aliud, ac partes seorsim acceptæ; patet enim quòd aliud est corvus albus, ac corvus & albedo, illud quippe 1. est objectum repugnans, cum hoc 2. sit objectum in re existens: non ergo sufficit, quòd præcognoscantur partes, quia tunc objectum aliud, quod complexione utriusque resultat, ignotum relinquitur. Præterea: partes copulare soli competit potentiæ cognoscenti: si ergo voluntati non competit cognoscere, illi non potest competere illa copulatio. Patet ant. est enim sive judicare, sive apprehendere quòd hoc est hoc, aut quòd hoc illi convenit.

304 Argumenta in contrarium loco citato Phis. hoc tantùm habet Mast. Quòd voluntas ex libertate sua potest hãc bonitatem illi objecto attribuere: ergo poterit illud ratione hujus amare. In primis mirum, quòd conclusionem in schola Scoti singularem debili adeò fundamento relinquat. Deinde: qua libertate id ipse asserit, eàdem neg. ant. Libertati enim non competit attribuere, quod cognoscere est, sed tantùm ex duplici extremo alterum determinare; oportet autem quòd utrumque sibi ostendatur, quia ipsa est potentia cęca, & tunc poterit hoc amplecti, aut illud, vel etiam, si malueris, utrumque, non autem ex utroque unum facere, aut accipere hoc illi convenire, quia accipere, ipsa non potest aliter quàm sibi proponitur. Quando itaque intelligis hanc bonitatem illi objecto attribuere, aut intelligis attribuere ut illius objecti propriã, aut ut alienam, & sicut proponit intellectus: Si hoc 2. non potest objectum ratione hujus amare, quia hæc ad objectum omnino non pertinet, & se habet tanquam si non esset: Si autem ut propriam, & hoc est apprehendere, quod omninò voluntati non competit, & hoc erat pro-

prio-

priori pēnitùs ignotum, quarè amat incognitum.

305 Deinde hîc loco supra cit. in appendice de bono præfixo latissimè contra Poncium differit de mente Scoti, & solutionibus suis ad arg. Poncij. in quo nihil reperio, quod in probationem possit adduci conclusionis suæ, nisi hoc tantùm, quod ex propositione quadam Scoti deduci potest in 2. dist. 6. q. 1. ad 3. quòd nempè intellectus cognoscens corvũ & albedinem potest velle albedinem corvo: ergo poterit voluntas velle hanc bonitatem huic objecto, & postea illud ratione hujus bonitatis amare.

306 Resp. neg. conseq. aliud enim est velle hanc bonitatem huic objecto, aliud verò hoc objectum ratione hujus bonitatis: ex quo intellectus utrũque cognoscit & proponit voluntati, poterit voluntas hoc illi velle, quod non est ipsum objectum amare, sed disiderare illi bonitatem; ex quo autem ita bonitatem illi vult, omninò non potest ulteriori actu illud ratione hujus bonitatis diligere, nisi prius aliquis actus intellectus illud proponat hac bonitate diligibile; non enim objectum ullomodo afficit illa bonitas, aut voluntati ostenditur afficere ex eo precisè, quod affectu inefficaci illam ei desideret voluntas; eò autem quòd ipsa est potentia cæca non potest objectum attingere nisi ratione illius, quod habere & sibi convenire ostenditur ab intellectu; nec libertas, qua potissimè illa imaginatio nititur, potest se extendere ad id, quod omnino volunrati non competit, quale est objecto attribuere, quòd non sibi convenire proponit ipse intellectus.

ARTICULUS III.

Unde sit libertas in voluntate?

§. I.

Quibusdam præmissis probatur Nostra sententia.

307 SUb alio titulo communiter solet hæc dubitatio proponi, an nempè indifferentia judicij sit ratio á priori libertatis? Sub hoc tamen proponimus, tùm quia illam hoc titulo disputat B. D. in Quodl. 4. q. 21. tùm quia sub hoc duas comprehendit difficultates, quæ de hoc moventur, quamquam altera plenè Theologica est, & quam proinde nolumus in præsenti determinare, de quo infra: Libertas itaque uno modo sumitur pro immunitate; hoc sensu accipit Mag. in 2. dist. 25. & assignat tres modos libertatis, nempe à coactione, à miseria, & à peccato, quos B. D. ibidem q. unic. art. 6. per varios hominis status accommodat: ex his sola libertas à coactione considerat

á Scholasticis, & consistit in illa spontaneitate, qua quidquid vult non nisi volens amplectitur voluntas; quarè hæc libertas dicitur essentialis, quia apertè implicat, quód aliquid velit voluntas nolens, seu invita; hac libertate docent Scotistæ, Spiritum S. liberè procedere; quod, nisi controversia sit de voce, nullus poterit negare.

Alio modo sumitur libertas pro eo quod est esse sui juris, & sic propriè convenit libero arbitrio: consistit hæc in dominio potestativo determinandi alterutrum, non verò in indifferentia ipsa, ex quo fortè ortum ducit tota hujus art. difficultas; ut enim art. 1. latè explicuimus, quælibet causa indifferentiam habet ad plures actus & effectus suos, & materia ipsa, cujus potentia imperfectissima est, de se & seclusis dispositionibus, quibus ad aliquam formam determinatur, indifferentiam habet ad quamlibet, non autem proinde libertatem: libertas ergo indifferentiã supponit, & in dominio potestativo cõsistit determinãdi, ex hoc enim dominio sui juris est determinans, quod est liberũ esse.

308 De hac ergo libertate quæritur, unde ortum ducat? Prior sensus esse potest de radice extrinseca, an nempè efficacia Divinæ voluntatis, an potius Divina libertas sit radix & ratio à priori libertatis nostræ? Primum Thomistæ, alterum Scotistę communiter docent. Hoc sensu Theologica est difficultas, quã proinde relinquimus suo loco pro dignitate expendendam. Alter sensus est de radice intrinseca, an nempè indifferentia judicij sit radix & ratio a priori libertatis? Quo sensu affirmat communis Thomistarũ sent. quam latè propugnat D. Cõplut. Garcia de los Rios tractatu, quem inscripsit de judicio indifferenti dub. 1. §. 2. negant verò reliqui docentes, quòd indifferentia judicij tantùm conditio est ad exercitium libertatis requisita, non verò radix aut ratio à priori ejus.

309 Dicendum, quòd indifferentia judicij non est radix & ratio à priori libertatis, sed conditio tantúm ad exercitium ejus requisita, quarè libertas tanquã ex radice intrinseca oritur ex ipsa animæ quidditate. Hanc conclusionem probat B. D. cit Quodl. 4. q. 21. Quia ex quidditate sua habet anima, quòd possit omnes operationes suas in finem dirigere, & consequenter, quòd aliqua potentia ejus habeat dominium se & reliquas in finem dirigendi; sed libertas in illo dominio consistit: ergo hæc non aliam habet radicem, quàm ipsam animæ quidditatem, quamvis exercitium tanquam rationem *sine qua non* præsupponat indifferentiam judicij. Patet maj. ex eo enim alijs finis ab authore naturæ præs-

præstituitur, quia ipsa non habent cognitionem, qua se possint dirigere. Patet item min quia in illo dominio consistit, quod agēs sit sui juris, quòd est liberum esse.

310 Prob. 2. ratione à priori: Libertas consistit formaliter in dominio potestativo determinandi utrumlibet; sed hoc dominium non oritur tanquam à radice & ratione à priori ab indifferentia judicij, sed ex ipsa animæ quidditate convenit voluntatati: ergo. Maj. ex jam dictis patet, indifferentia enim communissimè convenit omni causæ, indifferentia verò specialis voluntatis hoc tantúm addit, quód sit dominativa, seu potestatem habeat determinandi. Min. item patet, quia indifferentia illa judicij materia est determinabilis, quæ præsupponitur quidem & necessariò prærequiritur, ut voluntas exerceat illud dominium, non autem causa est quare illud habeat, nisi tantúm *sine qua non*, sed causa & radix hæc tantùm est, quod anima, eò quòd spiritualis substantia, & rationalis debet aliquam habere potentiam, cui competat se & alias in finem dirigere, & hoc competit appetitivæ.

311 Dices: Se in finem dirigere convenit animæ, eò quòd rationalis est & cognoscitiva: ergo illa directio cognitionis est, & sic radix & ratio à priori est judicium. Patet consq. illi enim competit dirigere, cui competit cognoscere quid vitandum, aut prosequendum est. Resp. negconseq. Ad prob. dicitur, quòd consiliari & dirigere per modum consilij & ostendendo, competit potentiæ cognoscenti; at verò imperare, determinare, & eligere competit appetenti, cujus est velle & amplectere; & quia ita habet dirigere potentia cognoscens, ipsa libertas & dominium determinandi præsupponit cognitionem & judicium regulativum, non autem proinde ipsum judicium causa est, quare voluntas habeat illud dominium, sed conditio tantùm.

312 Prob. 3. Si indifferentia judicij esset causa & ratio à priori libertatis, determinatio judicij esset causa & ratio determinationis; sed non est: ergo Maj. patet ex communi principio, sicut simpliciter ad simpliciter, ita secundum quid ad secundum quid; quare si, quod judicium indifferenter proponat causa est & ratio quare voluntas indifferens sit & libera, quod judicium magis determinet hanc partem esse sequendam, causa esse debet, quare voluntas hanc partem determinaret. Min. de facili ostenditur: 1. manifesta experientia, videmus enim, quòd dictante intellectu, quòd honestum deberet amplecti, voluntas amplectitur delectabile: 2. ratione, tunc enim non voluntas, sed intel-

tellectus haberet libertatem & dominium in regno animæ.

313 Prob. 4. Si judicium indifferens est ratio à priori libertatis, aut quatenus dictat hoc faciendum esse, aut quatenus simpliciter proponit objectum indifferens; sed neutro modo: ergo. Patet maj. hoc enim tantùm habet intellectus proponere objectum, & dictare quid magis expedit. Ostenditur min. Quantùm ad 1. quidem: quia tunc non intellecto tali judicio non posset intelligi libertas; at nullo habito dictamine de eo quod magis expedit ex sola objecti indifferentis præsentia intelligitur voluntas potens determinare, quod sibi magis placuerit: ergo. Quantùm ad 2. item: quia simplex manifestatio objecti indifferentis sola est applicatio quæ nullam vim confert potestati determinandi utrumlibet. Conf. Mast. Quia in Deo non possumus concipere judicium indifferens, cùm hoc summæ perfectioni infinitæ scientiæ repugnet; at in Deo perfectissimè concipimus libertatem: ergo.

§. II.
Solvuntur argumenta.

314 ARg. 1. cit. D. Rios: Causa aut quasi causa libertatis est radix illius; sed judicium indifferens est causa, aut quasi causa libertatis: ergo. Probat min. Quia indifferentia judicij est ratio à priori indifferentiæ formalis voluntatis; at hæc indifferentia est ipsa libertas: ergo. Maj. principalem latè probat, probationes autem mitto, quia non opus habemus ipsam maj. examinare. Min. ferè ipse supponit ex 2. not. quo tantùm probat, quòd indifferentia rationis non est formaliter ipsa libertas, sed indifferentia voluntatis; adducit autem tex. Ap. 1. ad Cor. cap. 7. *potestatem habens suæ voluntatis*, quo libertas non in indifferentia, sed in potestate & dominio collocatur.

315 Resp. missa maj. neg. min. Ad prob. 1. neg. maj. non enim causalitatem aliquam habet indifferentia judicij supra indifferentiam voluntatis, aut hæc ab illa dependet, nisi tantùm tamquam à conditione, nempè quasi materiam ministrat judicium proponendo objectum indifferens. 2 missa maj. neg min. non enim indifferentia, sed dominiũ potestativum determinandi est formaliter libertas, ex hoc enim est sui juris, quia dominium habet sui actus: & ex ipsa patet ejus probatione; eo enim ipse probat, quòd non indifferentia judicij, sed voluntatis est formaliter libertas, quia ex D. Th. actus libertatis est eligere, quod non intellectui, sed voluntati competit; at patet, quòd eligere est determinare non consiliativè, sed imper-

perativè & dominando, & hoc est quod intellectus non habet, sed sola voluntas: ergo.

316 Arg. 2. idem: Radix intrinseca libertatis illa est, qua tanquam causa respondemus interroganti quarè voluntas est libera; sed talis est indifferentia judicij: ergo. Prob. min. Interrogans, quarè voluntas est libera, quiescit omninò si respondeatur, quia regulatur judicio indifferēti; at solùm potest quiescere assignata causa illius, quod interrogat: ergo. Prob. maj. Interrogans, quarè motus indeliberatus non est liber, quiescit omninò, si respondeatur, quia non regulatur judicio indifferenti: ergo à contrario. Patet conseq. quia contrariorum contrariæ sunt rationes & causæ: si ergo causa quarè hic non sit liber, est quia non regulatur judicio indifferenti, causa quarè ille sit liber debet esse contrarium, nempè quòd judicio indifferenti regulatur.

317 Resp. neg. min. Ad prob. 1. neg. ant. quia non ex hoc, quòd ita regulatur, habetur quòd sit sui juris, quarè non benè quiesceret, qui interrogans, quarè liber est, quod est sui juris esse, hoc tantùm quiesceret, sed veram deberet causam quærere, quia nempè in hoc actu dominium habet determinandi, & illud exercet. Resp. 2. misso ant. neg. conseq. quia malum ex quocumque defectu, quarè, ut exerceatur libertas non solùm causa, sed conditio etiam requiritur, ut verò ea non possit exerceri sufficit cujuslibet defectus; & quia deficiente judicio deficit conditio requisita, sufficiens ratio est quarè aliquis actus non sit liber, quòd illud judicium deficiat, non verò inde sequitur, quòd sit ratio libertatis tanquam causa ejus. Ad prob. dicitur, quòd contrariorū contrarie sunt rationes eodem modo, ut si defectus judicij ratio est quare actus non sit liber, tanquam defectus conditionis requisitæ, judicium indifferens ratio erit, quarè actus sit liber, tantùm ut conditio requisita.

318 Arg. 3 idem & est replica contra præcedentem solutionem: Id, à quo speciem sumit libertas non est mera conditio, sed ratio à priori, & vera causa ejus; sed indifferentia judicij est id, à quo libertas speciem sumit: ergo. Prob. maj. Quia id, à quo speciem sumit actus, est specificativum ejus, quod magis forma est & ratio suæ quidditatis, quàm conditio requisita. Prob. deinde min. Quia judicium indifferens non sumitur subjectivè pro actu proponente, sed objectivè pro indifferentia ipsa objecti propositi; sed talis specificativum est libertatis: ergo. Prob. hæc min. Libertas, sivè indifferentia voluntatis aliquod ha-

habet specificativum; sed hoc nihil aliud esse potest, nisi indifferentia objecti prout stat sub judicio proponente: ergo. Patet hæc min. quia tale specificativum esse non potest aut objectum non indifferens, aut indifferens non propositum: erit ergo indifferens ut stat sub propositione.

319 Resp. 1. Quòd ipse arguens, ut videbis seq. arg. cõtendit, quòd radix libertatis est quod est ejus regulativum; patet autem, quòd regulativum non indifferentia objectiva est, sed subjectiva ipsius intellectus, & hæc non specificat. Resp. 2. quòd propositum, vel non propositum de materiali est ad rationem specificativi: sicut enim ad intellectum se habet quòd objectum in specie repræsentetur, ita ad voluntatem, quòd ab intellectu proponatur, nempè utrobique est potentiæ fieri præsens id quod objectum habet, & quod debet ipsam movere: si ergo ratio à priori libertatis est specificativum, ratio & causa, quarè voluntas sit libera, erit objectum ipsum secundum se; quod esse absurdum nemo non videt. Resp. 3. directè neg. maj. Ad prob. dicitur, quòd specificativum non erit quidem conditio, est autem forma extrinseca, quæ nequit esse ratio à priori. Resp. 4. neg. min. Ad prob. neg. maj. non enim de objecto exteriori, sed de regulativo intrinseco potest dubitari, an sit ratio à priori & causa libertatis, hoc autem patet, quòd non est specificativum, sed tantum conditio requisita ad exercitium.

320 Arg. 4. idem: Regulativum libertatis est causa ejus; sed indifferentia judicij est regulativum omnis libertatis: ergo. Prob. maj. Regulativum libertatis se habet veluti directio artis respectu artificiati; sed directio artis se habet ut causa respectu artificiati: ergo. Prob. deinde principalis min. Judicium regulare voluntatem est ipsi proponere objectum indifferens ut liberè operetur; sed ita proponit non solùm quoad specificationẽ, sed etiam quoad exercitium: ergo. Probationes hujus min. mitto, quia ipsa min. vera est. In hac ratione contendit non objectum, seu indifferentiam objectivam, sed actum regulantem esse rationem à priori,

321 Resp. neg. maj. patet enim ferè ex ipsis terminis, quòd proponere & ostendere voluntati objectum indifferens, ut ipsa eligat & determinet pro libito suo, non aliud est, quàm veluti applicare sibi materiam, determinationem autem & potestatem determinandi ipsa ex se habet. Ad prob. dicitur, quòd quamvis quodammodo se habeat illa directio sicut directio artis respectu artificiati, at verò voluntas non se habet respectu illius di-

directionis sicut artificiatum respectu directionis artis, nempè artificiatum planè subjicitur & passivè se habet, quarè potest effectus dici, voluntas autem, si ita se haberet non esset libera & domina, sed magis dominaretur ab illa directione: post ipsam ergo directionem & regulationem judicij voluntas sui juris manet, & dominium habet determinandi, in quo libertas consistit; quarè hujus nullomodo ratio est aut causa illud judicium. Radix itaq; difficultatis in hoc tota hæret, quòd sent. Thomistica pro libertate non attendit dominium, sed indifferentiam tantùm, quod autem non intellecto illo dominio non intelligitur libertas, patet ex dictis, sicut etiam, quòd hoc dominium non oritur ut à radice à judicio indifferenti.

ARTICVLVS IV.

An voluntas sit potentia nobilior intellectu?

§. I.

Relatis sententijs Nostra probatur:

322 NObilitas & excessus unicus ad alterum in perfectione multipliciter accipitur: nam 1. potest accipi in perfectione simpliciter, aut secundùm quid: priori modo excedit, quod secundum se & ex quidditate sua nobilius est altero; posteriori verò quod aliqua particulari ratione, vel quoad aliquem actum. De hoc 2. non est controversia, nulli enim dubium, quin secundùm quid utraque potentia alterum excedat, ut si perfectissimus actus unius cum imperfectissimo alterius comparetur. Deinde potest excessus accipi in linea moris, aut in linea physica: hoc 2. modo accipitur secundùm perfectionem utriusque entitativam in se spectatam; priori autem secundùm appreciabilitatem & existimationem. Neque item dubium est de excessu in linea moris; patet enim, quòd voluntati competit moveri: est ergo controversia de perfectione simpliciter in linea physica.

323 Tres potissimè versatur sent. Prima asserit, intellectum esse simpliciter nobiliorem voluntate. Hanc tenet D. Thom. 1. p. q. 82. art. 3. & sequuntur communiter Thomistæ; ex alijs Durand. Vazq. Suar. Conimb. Rub. & alij apud istos; ex nostris Palud. & Venet. Secunda sent. æquè celebris docet per oppositum voluntatem esse simpliciter nobiliorem. Hanc tenet Scot. in 4. dist. 49. q. 4. sequuntur communiter discipuli apud Mast. disp. 7. q. 8. ex alijs Alb. Magn. D. Bonav. Henriq. Alens. Gab. & alij. Hanc tenet B. D. mul-

multis in locis expresse autem in Quodl. 3. q. 19. sequuntur nostri communiter Arg. in 4. dist. 49. q. 3. art. 2. Tolet. Bonher. Gavard. Mans. & alij. Tertia sent. quodammodo media docet, utramque potentiam esse æqualem; ad quam etiam ij revocari possunt, qui utramque præcedentem sent. æque probabilem dicunt. Hanc sent. tenet N. Lus. de Beat. form. lib. 4. q. 8. & 10. illam verò Avers. q. 58. sec. 7.

324 Sed hæc in primis 3. sent. communiter rejicitur: quia species sunt sicut numeri, quod jam disp. 1. ostendimus, sicut nempè est impossibile, quòd numerus sit duplex, quin inæqualiter distet ab unitate; si enim distat æqualiter non erit duplex in ratione numeri, sed materialiter tantúm sive ratione materiæ, in ratione verò numeri uterque idem erit, & erit duplex ternarius aut quaternarius, ita impossibile est, quòd species & quidditas sit duplex, quin inæqualiter distet à primo, & inæqualiter participet perfectionem ejus; si enim æqualiter participat, tantùm ratione materiæ diversificatur illa duplex quidditas, cùm non habeat gradum quidditatis inferiorem, quo diversificetur, quæ autem tantúm ratione materiæ differunt, non specie & quidditate differunt, sed individualiter differunt: si ergo negari non potest, quin intellectus & voluntas quidditate differant, supponi debet, quòd non sunt in perfectione quidditativa æquales, sed altera excedit. Nec refert, quòd sunt in eodem gradu immaterialitatis: ex hoc enim conceptus genericus habetur, quem utraque per differentiam quidditativam determinat, & in his est de necessitate inæqualitas. Neque item refert, quòd conceptus ipse genericus æqualis est, & in eodem gradu perfectionis in utraque: quia hoc ipso non duplex est, sed eadem quidditas de se, quæ in utraque diversificatur & fit duplex per differentias quidditativas, quas cùm non habeat species ipsa, nequit duplex concipi, & in eodem gradu perfectionis.

325 Dicendum ergo, quòd voluntas est potentia simpliciter nobilior intellectu. Prob. 1. ex B. D. cit. Quodl. 3. q. 19. qua cùm statuat, quòd beatitudo nostra formalis est principaliter in actu voluntatis, erat argumentum in contrarium, quòd intellectus est potentia nobilior quàm voluntas, cùm moveat & dirigat voluntatem, quarè magis in actu ejus debet consistere beatitudo, respondet: *Ad argumentum in contrarium dicendum, quòd intellectus nec dirigit, nec movet, voluntatem imperando sed solùm movet, ei finem ostendendo; sed voluntas movet intellectum imo*

imperando, & omnia opera nostra sunt subjecta voluntati tanquam ejus imperio: ideò ex hoc non habetur, quòd intellectus sit altior potentia, quàm voluntas, imò magis est è contrario.

326 A ratione autem ex quinque capitibus possunt argumenta desumi: nam 1. considerantur potentiæ unaquæque ex propria quidditate sua; 2. comparativè ad animam, ex qua originantur; 3. comparativè ad se invicem; 4. ad actum; & 5. ad objectum. Prob. ergo 2. ex 1. capite, & est potissima ratio, quã proinde verbis cit. innuit B. D. & ea utuntur nostri Arg. loco cit. Tolet. in 1. dist. 3. q. 1. art. 2. & cæteri, ea sic formatur: Sola voluntas est formaliter libera: ergo ea est intellectu & cæteris omnibus nobilior in regno animæ. Ant. ab omnibus supponitur, & conseq. sic patet: Potentia formaliter libera habet dominium supra reliquas omnes; sed conditio dominantis nobilior est his quibus dominatur: ergo quãdoquidem ex quidditate sua habet voluntas illud dominium & libertatem, quidditativè & simpliciter nobilior est. Maj. patet, quia dominium est formaliter libertas, ut jam patuit, & experimur, quòd potentiæ omnes imperio voluntatis subjiciuntur, & ad nutum ejus exercentur.

327 Ad hanc rationem resp. 1. quòd libertas arguit præstantiam voluntatis in genere moris, non autem in genere physico. Sed contra 1. Ex præstantia in genere moris benè deducitur præstantia in genere physico, quia moralis estimabilitas supra ipsum esse physicum fundatur, & eò prudenti judicio magis est estimabilis, in quo consistit moralis præstantia, quia ejus quidditas & ipsa entitas nobilior est, alioqui judicium appreciativum non erit prudens, si anteponit quod minus est nobile. Contra 2. libertas præstantiam arguit in ipsa entitate & natura cujuslibet: ergo non solùm in genere moris, sed etiam in genere physico. Prob. ant. Libertas arguit, imò formaliter est, quod hoc ex natura sua reliquis dominatur, & alia huic subjiciuntur; sed subjici est inferius esse: ergo si in ipsa natura & entitate sua hoc habent, in linea physica & entitativa præstat voluntas.

328 Resp. 2 ad eandem rationem, quòd voluntas suam libertatem ab intellectu originatam habet: si ergo ex libertate nobilitas voluntatis deducitur, potiori jure præstat intellectus; quia propter quod unumquodque est tale, & illud magis. Sed contra: 1. quia magis deberet esse liber intellectus, quod ipsi non concedunt. Si enim ex dominio deducitur præstantia voluntatis, ut hac ratione potior sit præstantia intellectus, magis deberet

beret dominari, quod experientia constat esse falsum. Contra 2. falsum assumit solutio, ut patuit art. præc. libertas enim in dominio consistit, quod nullo modo habet voluntas ab intellectu, imò intellectus illi omninò subjicitur.

329 Prob. 3. ex comparatione utriusque potentiæ ad animam, quam rationem innuit B. D. Quodl. 5. q. 5. §. *tertia quidem via*, sic formatur: Quod origine & in exercitio prius est, electione posterius est, & consequenter nobilitate & perfectione; sed intellectus prius origine & in executione fluit ab essentia animæ, quàm voluntas: ergo perfectione potior est volnntas. Min. ab omnibus conceditur, & maj. est commune principium, quod ex Phil. deducitur lib. 9. Met. cap. 9. quo sic incipit: *At vero substantia etiam, primò quidem; quia, quæ generatione posteriora, specie & substantia priora sunt.* Item ex P. Aug. in 12. Confes. & sæpe alibi dicente, *quòd saltim origine semper informe præcedit formatum.* Deinde ratione: naturalissimus enim processus est de imperfecto ad perfectum, de perfecto vero ad imperfectum omninò repugnans: si ergo à natura prius fluit executione intellectus, quàm voluntas, perfectior hæc est naturâ est entitate sua.

330 Prob. 4. ex comparatione utriusque potentiæ ad se invicem: Voluntas comparatur ad intellectum ut movens simpliciter ad actum intelligendi, intellectus verò ad voluntatem non ut movens, sed ut conditio, nempè ut applicans id, quòd movere debet, scilicet, bonum; sed conditio moventis, cæteris paribus, nobilior est: ergo. Min. ex ipsis terminis nota est. Maj. ostenditur: Quantùm ad 1. in præcedentibus patuit ex P. Aug. & ratione, quòd voluntas habet movere & applicare intellectum, & conjungere ad speciem veluti parentem proli, ut S. P. loquitur. Deinde: unusquisque in se experitur, quòd pro nutu voluntatis applicatur intellectus ad cogitandum de hoc aut illo objecto: movet ergo ipsa voluntas & applicat intellectum ad actum suum. Quàtùm ad 2. deinde: tùm, quia ut ait Com. movens ut agens, est forma in anima, movens ut finis, est forma in re extra: sive ergo ut agens, sive ut finis, non intellectus, sed forma apprehensa movet voluntatem: tùm deinde, quia intellectus solùm habet ostendere & proponere.

331 Ad hanc rationem resp. Thomistæ, quòd potior est modus, quo intellectus movet voluntatem, quàm è converso: 1. quia imperium formale est actus intellectùs: 2. quia voluntas movet in genere effectivo; intellec-

lectus verò movet in genere objectivo & finali. Sed contra: 1. manifestissima experientia patet, quòd postquam intellectus dictat hoc esse faciendum, relinquitur voluntati dominium amplectendi oppositum, & ita contingit in peccante, quòd cognoscens honestum debere amplecti, & hoc dictante intellectu, oppositum nihilominus voluntas determinat sive ex malitia, sive ex passione, & hoc amplectitur: non ergo imperium, sed merum consilium est illud dictamen intellectus. Contra 2. Intellectus non movet, sed condictio est moventi deserviens, non enim finis est, ipsa cognitio, aut aliter ad finem pertinens, quàm ut ostendens ipsum: non ergo ex hoc ulla præstantia intellectùs deduci potest, cùm aliunde ipsa voluntas moveat & applicet intellectum.

332 Prob. 5. ex comparatione ad actum, quam rationem cit. Quodl. 5. q. 5. latè prosequitur B. D. & N. Toletan. ubi suprà; Illa potentia est simpliciter nobilior, cujus perfectissimus actus perfectior est perfectissimo actu alterius; sed perfectissimus actus voluntatis perfectior est perfectissimo actu intellectùs: ergo. Patet maj. per actus enim exercet potentia perfectionem suam, & perfectissimo actu suo indicat summum gradū suæ perfectionis, & ultimum quod potest: si ergo perfectissimus actus hujus superat perfectissimum illius, patet, quòd supremus gradus entitativæ perfectionis hujus superat supremum gradum illius. Min. ostēditur: quia perfectissimus actus intellectùs est visio Dei, perfectissimus actus volūtatis est ejus amor; sed perfectior est amor Dei visione ejusdem: ergo. Patet maj. quia perfectissimus actus cujuslibet potentiæ est perfectissimo modo quo potest attingere perfectissimum objectum.

Min. 1. patet ex tex. Ap. 1. ad Cor. 13. *Major horum est charitas.* Deinde illam deducit N. Toletan. ex D. Th. in 1. p. q. 82. art. 3. ubi ita habet: *Actio intellectus consistit in hoc, quòd ratio rei intellectæ est in intelligente; actus verò voluntatis perficitur ex eo, quòd voluntas inclinatur ad ipsam rem prout est in se: quando igitur res, in qua est bonum, est nobilior ipsa anima, in qua est ratio intellecta, per comparationem ad talem rem voluntas est altior intellectu, quando verò res, in qua est bonum, est infra animam, tùnc etiam in comparatione ad talem rem intellectus est altior voluntate. Unde melior est amor Dei, quàm cognitio.* Intendit quidem ibi D. Th. quòd intellectus simpliciter præstat voluntati, propositionem verò, quam intendimus, expressè habet, & rationem ejus, qua etiam utitur B. D. loco citato.

333 Ad hanc rationem resp. Thomistæ, quòd ea probat præstantiam voluntatis secundùm quid, & quantùm ad aliquem actum, non verò simpliciter. Sed contra: ratio ipsa argumenti satis ostendit deduci inde perfectionem simpliciter; si enim ultimus gradus ad quem attingit perfectio hujus entitatis altior est ultimo gradu, ad quem attingit perfectio illius, patet, quòd hæc entitas simpliciter & absolutè altior est illa. Deinde contra illã solutionem arguit N. Tolet. Potentia, quæ per comparationem ad Deum præstat, & nobiliori modo se habet, simpliciter & absolutè perfectior est; sed ita se habet voluntas, ut solutio concedit: ergo. Maj. patet, tùm quia illa perfectiori modo se habet ad nobilius objectum; tùm quia ad quid aliud poterit deservire nobilitas & perfectio, quæ ad Deum attingendum non deservit?

Resp. adhuc ad hanc instantiam, quòd illa præstantia unius actus ad alium non est ex ipsa ratione objectiva veri & boni, sed ex re, in qua sunt illæ rationes, quia nempe sunt in Deo; hoc autem de materiali se habet ad propositum. Ratio maj. est, quia si in alijs rebus accipiatur veritas & bonitas, non potior est actus voluntatis, sed è contra. Ratio autem min. quia ex quo res, in qua est sonus nobilior sit re, in qua est color, non licèt inferre, aut quòd sonus sit simpliciter nobilior colore, aut quòd auditus visu. Contra 1. arg. N. Lusitan. res in qua est sonus aut color non est ipse sonus aut color, quarè ex præstantia illius rei non arguitur præstantia in ipsa ratione soni; at verò res, in qua est veritas aut bonitas est ipsa veritas aut bonitas, quarè ex præstantia hujus rei arguitur præstantia in ipsa ratione objectiva. Contra 2. ex quocumque oriatur nobilitas, non tollit, quód perfectissimus actus potentiæ exprimit supremum gradum perfectionis ipsius potentiæ: non ergo tollit solutio, quin supremus gradus perfectionis entitativæ, quam habet intellectus, inferior sit supremo gradu voluntatis, & sic quòd voluntas sit entitate sua nobilior.

334 Prob. 6. ex comparatione ad objectum, & hæc ratio ad hominem procedit, quatenus nempè ipsi ponunt potentias specificari ab objectis, sic formatur: Illa potentia est nobilior, quæ nobilius objectum habet in ratione objecti; sed ita est voluntas: ergo. Prob. min. Id quod ex propria ratione præscindit à perfecto & imperfecto minus est nobile in rali ratione, quàm id quod pro formali importat perfectum esse; sed objectum intellectùs ex propria ratione præscindit à perfecto & imper-

fec-

fecto, objectum verò voluntatis ex propria ratione importat perfectum esse: ergo. Patet maj. quia quod ita præscindit cum hoc quod est esse imperfectum compatitur habere proprijsimè rationem objecti. Patet item min. quia objectū intellectus est quid, & æquè intelligit intellectus perfectum & imperfectum; objectum verò voluntatis est bonum, quod idem est ac perfectum, quarè non amat voluntas aut impefectum, aut à perfectione præscidens, sed tantùm quod bonum & perfectum esse sibi proponitur, ea ratione, qua debet amare, nempè aut bonum in se, aut bonum sibi.

335 Ad hanc rationem resp. Thomistæ; licèt in ratione entis præscindat à perfecto & imperfecto objectum intellectus, esse tamen in ratione objecti nobiliús & perfectiús objecto voluntatis; quia magis habet esse abstractum, cúm objectum voluntatis sit bonum ut est in re existens, objectum verò intellectùs illud ipsum, ut habet esse in anima. Sed contra: 1. falsum est, quòd magis habeat esse abstractum objectum intellectus, quàm voluntatis: & si enim amore concupiscentiæ non amet voluntas nisi reale bonum sibi possibile consequi; at verò amor simpliciter, sive complacentia, quę ad bonum terminatur, ut in se est bonum, ab existentia præscindit, & in ipsa perfectione quidditativè accepta, ut sibi proponitur ab intellectu, complacet voluntas: non magis ergò abstrahit objectum voluntatis, quàm intellectús. Contra 2. licèt objectum terminativum voluntatis non abstrahat, motivum autem æquè abstrahit; at specificat objectū motivum: ergo. Patet maj. tùm quia movetur volūtas ab objecto, ut sibi ab intellectu proponitur, tùm quia ut ait Com. movens ut agēs est forma in anima. Contra 3. Illa abstractio non ad rationem objecti pertinet, sed ad modum quo ipsa potentia immutatur: ergo ex tali abstractione non arguitur nobilitas in ratione objecti. Patet ant. Si enim ad rationem objecti pertineret, ea, à quibus abstrahit, essent extra rationem objecti, & nullomodo posset intellectus illa percipere; quòd patet esse falsum.

Contra 4. Quod est ex imperfectione intellectus nostri non arguit nobilitatem ejus; sed illa abstractio est ex imperfectione intellectus nostri: ergo. Prob. min. quia id oritur ex eo, quòd intellectus noster pura potentia est, & tenet infimum gradum in ordine intelligendi; quod 1. patet, quia in perfectissimo actu suo, nempè cognitione intuitiva, non ita abstrahit à conditionibus essendi; tùm item, quia intellectus Angelicus non requirit illam abstractionem in objecto suo:

ergo ea est ex imperfectione intellectus nostri. Ex quo tandem illa solutio rejicitur: Si objectum intellectùs nostri nobiliùs est in ratione objecti, quia habet esse magis abstractum, quàm objectum voluntatis, sequitur, quòd objectum intellectus nostri nobiliús est in ratione objecti, quàm objectum intellectus Angelici; sed hoc consequens absurdum est: ergo. Patet hæc min. maximè in sent. eorum ponente potentias ab objectis specificari. Prob. sequela maj. Quia objectum intellectùs Angelici non abstrahit à conditionibus essendi, à quibus abstrahit intellectus noster, alioqui non posset Angelus cognoscere singulare existens. Multa alia possent adduci in confirmationem nostræ sent. quę inter solvendum argumenta poterunt attingi.

§. II.

Solvuntur argumenta.

336 Argumenta Thomistarum ex eisdem capitibus desumuntur, quia tamen apud ipsos potentiæ ab objectis specificantur, principale fundamentum ex objecto desumunt. Arg. itaque 1. Perfectio potentiæ desumitur ex objecto; sed objectum intellectús nobiliùs est in ratione objecti, quàm objectum voluntatis: ergo. Prob. min. Perfectiùs est in ratione objecti quod simpliciùs est & magis abstractum; sed ita se habet objectum intellectùs: ergo. Maj. ipsi supponunt, & min. eò probant, quia objectum intellectùs est ipsum quid abstrahens à conditionibus individuantibus, objectum verò voluntatis est bonum ut in re existens. Conf. Objectum intellectus simpliciori modo immutat: ergo est simplicius in ratione objecti. Patet cóseq. quia in ratione objecti attenditur penès modum immutandi potentiam. Ostenditur ant. Quia objectum intellectús sic immutat, quòd potest intellectus penetrarè ad omnes formalitates, quæ sunt in objecto; quod non habet voluntas, quia terminatur ad bonum reale existens.

337 Hoc multipliciter instatum est n. prec. Directè resp. 1. neg. maj. Quia potentias ab objectis non specificari probavimus suprà Resp. 2. neg. min. Ad prob. dist. maj. Quod magis est abstractum abstractione totali, sive rationis communis à contrahentibus ipsam, conc. maj. Abstractione formali, sive quidditatis à conditionibus essendi, neg. maj. & eodem sensu min. Itaque abstractio duplex est: altera, qua ratio communis accipitur sine determinantibus ipsam; & quia illa ratio sic abstracta est quoddã totum, hanc dicimus totalem: alia abstractio est, qua accipitur qui-

id-

quidditas sinè conditionibus essendi ; & quia materializatur quidditas his conditionibus, ea sic abstracta habet modũ formę, quare hanc abstractionem dicimus formalem. In priori abstractione , quod magis abstrahit, universaliùs est , & majorem arguit potentiæ latitudinem,& consequenter quòd ea sit perfectior; atverò hoc sensu patet, quòd non magis abstrahit objectum intellectus , æquè enim utraque potentia se extendit ad totam entis latitudinem : In posteriori abstractione non arguitur major perfectio potentiæ , alioqui perfectior esset intellectus noster, quàm Angelicus , cùm iste ita non abstrahat : quamvis ergo hoc modo magis abstrahat objectum intellectus nostri , non inde arguitur major perfectio ejus. Posset 3. resp. data hac maj. neg. min. Jam enim patuit suprà , quòd voluntas amore simplici sive cõplacentia attingit ipsum quid sub ratione boni & perfecti.

Ad Conf. 1.neg. conseq. non enim ex modo , quo immutat, sed ex ratione sub qua immutat attenditur latitudo & perfectio objecti in ratione objecti.2. neg. ant. Ad prob. dicitur , quòd quamcumque formalitatem potest intellectus concipere eandẽ potest voluntati proponere , & ipsam potest amare voluntas, alioqui non esset ejusdem latitudinis , quod tamen omnes supponunt , cùm utraque se extendat ad totam entis latitudinem.

338 Arg. 2. ex comparatione utriusque potentiæ ad essentiam animæ : Illa potentia est nobilior simpliciter , quæ dimanat ab essentia animæ ut illi propinquior ; sed ita se habet intellectus : ergo. Patet maj. quia quod magis accedit ad principium suæ perfectionis magis perfectum est; anima autem est principium perfectionis , sicut ipsius esse potentiarum. Ostenditur min. 1. quia priùs est intelligere quàm velle ; at idem est ordo inter potentias, ac inter actus: ergo. 2. quia volitivum probatur ex intellectivo , & ita probat D. Th. in 1. p. q. 19. art. 1. dari in Deo voluntatem , quia in Deo datur intellectus.

339 Resp. 1. instando: Quod magis accedit ad maximè tale est magis tale ; sed anima comparatur ad potentias ut subjectum perfectibile per ipsas : ergo quod magis ad ipsam accedit, magis erit potentiale & perfectibile. Rursus : in per se ordinatis quod se habet ut ultimum, perfectius est , quia naturalis processus vadit semper de imperfecto ad perfectum ; sed per se ordinantur intellectus & voluntas : ergo. 3. intellectivum in Deo probatur ex immateriali juxta ipsos Thomistas: ergo perfectius erit immateriale ex natura rei , quam intellectivum ; at hoc

hoc cõsequẽ nõ est contra ipsos Thomistas, qui ponunt intellectivum esse constitutivũ Dei: ergo non tenet illa ratio.

Resp. 2. directè neg. min. æquè enim immediatè utraque potentia fundatur in essentia animæ. Ad prob. dicitur, quòd prius executione oritur intellectus, & quia connexionem habet intellectivum cum volitivo, benè hoc ex illo probatur quodammodo à priori; sed ex hac prioritate non probatur major perfectio; tùm, quia quod est prius executione est posterius electione & perfectione; tùm, quia prius intelliguntur originari ab essentia animæ gradus vegetandi & sentiendi, qui hoc ipso imperfectiones sunt; tùm tandem, quia illa prioritas non est causæ formalis, sed magis materialis; quodammodo enim perficitur & cõpletur intellectivum ipso volitivo.

340 Arg. 3. Modus operandi intellectus perfectior est simpliciter, quàm modus operandi voluntatis: ergo intellectus est simpliciter, perfectior. Prob. ant. Perfectius est trahere, quàm trahi; sed modus intellectus est trahere res ad se, modus voluntatis est trahi à rebus: ergo. Conf. Intellectus ex proprio modo operationis suæ habet rem percipere possidendo & tenendo eam in se, voluntas autem habet eam quærendo & intendendo; sed perfectius est habere & possidere quã quærere & extra se tẽdere, quãvis per accidens possit perfectius esse hoc tendere, quando objectum perfectius esse habet in se ipso, quàm in intelligente; ergo.

341 Resp. neg. ant. Ad prob. dist. maj. Perfectius est trahere propriè loquendo, & ut accipitur in motu locali, conc. maj. quia trahere est agere, trahi verò est pati: Impropriè accipiendo & quadam tantùm analogia, ut accipitur in proposito, neg. maj. Itaque æquè intellectus ac voluntas passivè se habent ad objectum suum & ab eo moventur; quaré illud trahere non est activè se habere, aut aliquid operari, sicut neque hoc trahi est se habere passivè; sed dicitur intellectus res ad se trahere, quia eas percipit secundùm modum, quẽ in ipso intellectu habent, ut jam supra explicuimus. Quo ad Conf. neg. maj. tùm, quia sicut voluntas habet inquirere & desiderare, ita intellectus habet dubitare; & sicut intellectus quodammodo possidet actu, quo percipit, ita voluntas actu, quo amat, & in objecto amato complacet; tùm deinde, quia illud possidere nihil est aliud, quàm objectum sibi in specie repræsentari, quod pariter habet voluntas, quæ aliunde habet dominium sui actus, quod non habet intellectus.

Arg.

342 Arg. 4. Illa potentia est nobilior, cujus nobilissimus actus perfectior est nobilissimo actu alterius; sed ita se habet intellectus: ergo. Prob. min. Præstantissimus actus intellectùs est visio Dei, voluntatis autem amor ejus; sed visio Dei perfectior est amore: ergo. Hanc min. multis probant: 1. Ille actus est perfectior, in quo consistit beatitudo; sed consistit in visione: ergo. 2. Ille actus est perfectior, qui immediatiùs assequitur Deú; sed ita est visio, cùm amor non attingat nisi media cognitione: ergo. 3. Ille actus est perfectior, qui magis excludit imperfectionem viæ, & magis requirit elevationem Patriæ; sed ita est visio: ergo. Patet min. quia visio non nisi in Patria haberi potest, cùm amor etiam in via habeatur. 4. Actus intellectus regula est actús voluntatis: ergo est eo perfectior. Patet conseq. tùm, quia regulatum inferius est & dependet à regulante; tùm, quia si voluntas ab intellectu regulatur, eò benè vult, quia benè regulatur. 5. Actus intellectus minus dependet ab actu voluntatis, quàm è contra: ergo. Patet ant. quia intellectus sibi facit objectum præsens, voluntati autem fit præsens ab intellectu. 6. Ille actus perfectior est, qui transiens super objectum suum non vilificatur ab eo; sed ita est actus intellectus: ergo. Patet min. quia intelligere imperfecta non est imperfectiò, benè autem ea velle. 7. Pessimus actus voluntatis prior est pessimo actu intellectus: ergo & ipsa voluntas inferior est intellectu. Patet ant. quia pessimus actus voluntatis est odium Dei, quod pejus est quocumque actu intellectus. 8. Illud est melius cujus carentia est pejor; sed carentia visionis est pœna damni, qua nihil est pejus: ergo.

343 Mirum sanè quanta adducunt ad probandam propositionem, quæ expressè est contra D. Th. ipse enim S. D. cujus verba dedimus n. 332. asserit, quòd melior est amor Dei; & rationem assignat, quia in his quæ perfectius esse habent in se ipsis, quàm in intellectu, præstat amor cognitioni. Resp. itaque neg. min. Ad prob. neg. min. ad cujus 1. prob. neg. min. quia beatitudo in sent. B. D. non in visione, sed in amore consistit. Posset item neg. maj. ad beatitudinem enim de materiali est, quòd sit perfectior, vel imperfectior, & tantúm attenditur quòd sit formalis assequutio Dei sub ratione finis & boni, qua est beatitudo objectiva. Ad 2. prob. 1. instatur: quia etiam in via non nisi media cognitione attingit Deum voluntas: ergo etiam in via perfectior erit cognitio Dei, quàm amor, quod ipsi non admittunt. Deinde directè neg. min. nó enim media cognitione,

sed immediatè æquè ac intellectus Deum attingit voluntas, siquidem cognitio non ut medium, sed ut conditio proponens præreqniritur. Adde, quòd sicut voluntas non nisi præcedente actu intellectus attingit objectum, ita intellectus non nisi præcedéte actu sensûs, à quo speciem recipit; nec tamen inde sequitur, aut quòd medio sensu attingat, aut quòd sensus sit perfectior.

Ad 3. prob. N. Arg. instat ad oppositum: quia in transitu de statu viæ ad statum Patriæ magis perficitur quod imperfectius erat; sed si visio perfectior est, magis perficitur intellectus: erat ergo imperfectior. Directè neg. min. amor enim perfectus & consummatus æquè ac visio excludit imperfectionem viæ, & requirit elevationem Patriæ; patet autē, quòd de hoc debet fieri paritas ad visionem. Ad 4. pariter instatur 1. Quod per se alteri famulatur, & actui ejus desservit, eo inferius est; at ita se habet illud regulare, est enim objectum proponere prout vult, & imperat ipsa voluntas: ergo. 2. Sicut voluntas ab intellectu dependet proponente sibi objectum, ita intellectus à sensu, non enim nisi per sensum habet speciem objecti; sed ex hoc nulla præstantia deducitur sensûs ad intellectum: ergo. Direè neg. conseq. Ad 1. prob. dicitur, quòd ipsum regulatum dominium habet, non solùm suprà actum regulandi, sed etiam supra omnes alios, quarè nulla inde inferioritas deducitur, sed magis quod sibi famulatur regulans. Quo ad aliud patet, quòd non eo benè vult voluntas, quia benè regulatur, imo à contrario, eò quòd ipsa dominium habet potest intellectui imperare quód sic vel sic proponat, & postquam sic proponit & bene regulat; potest ipsa velle oppositum, ut sæpè contingit.

Ad 5. prob. neg. ant. imó oppositum supra patuit; intellectus enim non habet movere ipsam voluntatem, sed tantúm proponere quod eam movet; atverò voluntas ipsum intellectum movet & applicat. Deinde: sicut voluntas à propositione intellectus speciem accipit, ita intellectus à phantasmate. Quod autem dicitur, quòd intellectus facit sibi objectum præsens, falsum id est, imo magis ad hoc concurrit voluntas, quàm è contra; ut enim de intellectu Angeli docet B. D. & de speciebus, quas nos in memoria habemus, manifestum est, quòd hæc aut illa fiat determinatè præsens, & hanc intellectus in actu percipiat, non ex ipso est intellectu, sed quia per intentionem voluntatis ad hanc vel illam applicatur.

Ad 6. N. Toletan. instat ad oppositum: Ille actus perfectior est, quid transiens super objectum suum dignificatur & perficiat,

tur ex perfectione ejus; sed ita est actus voluntatis, non verò intellectus: ergo. Maj. patet per eandem argumenti rationem, & min. etiam; velle enim perfecta perfectio est, non autem ea cognoscere. Directè dist. maj. Perfectior est in linea moris, conc. maj. In linea phisica, neg. maj. velle enim vilia & imperfecta imperfectio est moralis. Ad 7. pariter instatur: 1. Quia juxta Phil. pessimum est contrarium optimo; sed pessimum est odium Dei: ergo optimum erit amor. 2. Illud est optimum, cujus corruptio est pessima; sed præ infidelitate, quæ est corruptio cognitionis, pessimum est odium Dei, quod est corruptio amoris: ergo. Directè resp. sicut ad præcedens; odium enim in linea moris pejus est. Ad 8. pariter probat in linea moris; ulterius autem, pœna damni non solam dicit carentiam visionis, sed amoris etiã, est nempè privari adeptione objecti beatifici; imò magis in carentia amoris: si enim per impossibile poneretur summus Dei amor sine visione, ille magis esset beatus, quàm damnatus, possideret enim amore objectum beatificum; è contra vero, si imaginetur visio Dei conjuncta cum ejus odio, non beatitudo, sed magis damnatio est, quia videre quod non delectat, ut ait S. P. magis cruciat.

344 Arg. 5 Illa potentia est nobilior simpliciter, quæ nobiliori habitu perficitur; sed ita se habet intellectus: ergo. Patet maj. operatur enim potentia per habitum, quarè quæ perfectiorem habitum habet, perfectiùs operatur, & consequenter perfectior est. Prob. min. 1. ex Phil. in 1. Met. & 6. Ethic. dicente, quòd sapientia est nobilissimus habitus. 2. ratione: Lumen gloriæ perfectius est charitate; sed isti sunt nobilissimi habitus utriusque potentiæ: ergo. Prob. maj. Perfectius est, quod ratione suæ distinguit perfectum ab imperfecto, quàm quod commune est utrique; sed lumen gloriæ distinguit beatum à viatore, charitas autem utrique cõmunis est: ergo. Hoc arg. æquè fit ad oppositum: potentia enim, quæ nobiliori habitu perficitur, magis est perfectibilis, magis autem perfectibile minus perfectum est.

345 Resp. quòd arg. eandem difficultatẽ habet, ac præc. quarè eodem modo resp. quòd perfectissimus habitus est charitas. Ad prob. in contrariũ dicendũ, quòd Phil. non loquitur de sapientia comparativè ad habitus, qui sunt in voluntate, sed comparativè ad alios habitus intellectuales; deinde habitus supernaturales ipse non agnovit; est autem in his specialis ratio, quam innuit S. Th. quia Deus, qui est objectum his habitibus attractum perfec-

tiori modo habet esse in se ipso, quarè perfectiori modo attingitur voluntate, quàm intellectu; & consequenter perfectior est habitus supernaturalis pertinens ad voluntatem. Ad 2. prob. dicitur, quòd eque charitas consummata & lumen gloriæ distinguunt beatum à viatore; debet autem comparatio fieri ad charitatem consummatam: nulla ergo inde deducitur præstantia.

Resp. 2. neg. maj. Quamvis enim habitus sit perfectior, poterit aliunde potentia habere altiorem modum operandi, & ita est in proposito, habet enim voluntas dominium in regno animæ. Ad aliud, quatenús potest contra nos adduci, quòd si perfectior est habitus charitatis, magis erit perfectibilis ipsa voluntas, resp. quòd esse magis perfectibile quãtum ad esse, arguit imperfectionem, nempè minus habere de perfectione, seu magis de potentialitate passiva; esse autem magis perfectibile quantúm ad operari, arguit majorem virtutem operativam, & consequenter magis perfectum esse; ita autem est in proposito, habitu enim perficitur potentia, ut operetur.

346 Arg. 6. Potentia cognoscitiva perfectior est nõ cognoscitiva sed intellectus est potentia cognoscitiva, non verò voluntas: ergo Maj. patet, quia cognoscere est perfectio simpliciter, & consequenter, quæ melior est, quàm non ipsa. Rursus: non cognoscens est potentia ipsa, quę sequitur ductum alterius; cæcitas est imperfectio: ergo. Conf. Perfectius est rationale per essentiã, quàm per participationem; sed intellectus est rationalis per essentiam, voluntas verò per participationẽ: ergo. Conf. 2. Cognoscitivum ex genere suo perfectius est appetitivo: ergo. Prob. ant. appetitivum ex terminis dicit inclinationem quandam in centrum; at hæc ex terminis non dicit perfectionem specialem, cùm in quolibet ente reperiatur: ergo.

347 Resp. 1. instando: tùm, quia sensus est potentia cognoscẽs v.g. visus: ergo si cognoscitivum est perfectius nõ cognoscitivo, perfectior potentia erit visus, quàm voluntas. Nec refert, quòd inferioris gradùs, sit; hoc enim non tollit, quin habeat cognoscere, quod voluntas omninò non habet: tum deinde, quia potentia libera perfectior est non libera, cùm libertas sit perfectio simplex, & quæ melior est ipsa, quàm non ipsa. Resp. 2. directè neg. maj. Ad prob. dicitur, quòd cognoscere est perfectio, sed etiam velle & liberum esse; hanc perfectionem non habere imperfectio est in potentia, cui competit illam habere, non verò in alijs; quarè sicut intellectus non est imperfectus ex quo nõ habeat amare, quamvis amare

sit

ut perfectio, quæ proinde in Deo reperitur, quia nempè amare non competit intellectui, ita voluntas non est imperfecta ex quo non habeat cognoscere. Quo patet ad aliam prob. cæcum esse est imperfectio si sumatur privativè, hoc est, in subjecto capaci, in voluntate autem non privativè, sed negativè sumitur.

Ad 1. Conf. eodem modo instatur: perfectius enim est liberum per essentiam suam, quàm liberum per participationem; at voluntas est per se & formaliter libera, intellectus verò non nisi per participationem: ergo. Directè neg. maj. quamvis enim potentia cognoscens in hoc præstet alteri, quòd est formaliter rationalis & cognoscitiva, altera illi præstat in hoc, quod est formaliter libera, quarè ut videatur quæ potentia simpliciter præstat, non debet comparari cognoscere & non cognoscere, esse & non esse formaliter rationale, sed cognoscere, aut rationale esse formaliter cum hoc quod est esse liberum, quæ est utriusque perfectio quidditativa; & tunc jam patuit, quòd præstat liberum esse, quia est esse sui juris, & dominium habere. Ad 2. conf. neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd appetitivum, de quo est controversia, non solam dicit inclinationem, sed inclinationem liberam, & cum dominio, quæ perfectio est specialis, & summa, quæ reperitur in creatura rationali.

348 Arg. 7. Illa perfectior est potentia, penès quam potissimè attèditur in nobis dignitas & perfectio; sed hæc est intellectus: ergo. Prob. min. 1. quia differentia hominis est rationalitas. 2. quia non dicitur quis perfectus ex quo habeat bonam voluntatem, benè autem ex quo habeat bonum intellectum. Si instes: quòd non dicitur homo bonus ex quo benè intelligat, sed ex quo benè velit. Resp. quod hæc bonitas pertinet ad genus moris; quare non benè inde N. Mans. nostram cōclusionem probat, quòd nempè id perfectiùs est, quod potius quis eligeret, magis autem eligeret bonam voluntatē. Hæc ratio, præterquam quod valdè est dubium quid potius quis eligeret, probat tantùm præstantiam in genere moris.

349 Resp. neg. min. quia potius attèditur dignitas & præstantia rationalis creaturæ ex hoc, quòd est liberam esse & dominium se determinandi ad utrumlibet; ex eo autem quod habeat bonum intellectum ad summum accipitur perfectio accidentalis & præstantia unius individui ad aliud. Ad 1. prob. dicitur, quòd differentia hominis est rationalitas non formalis & quę est ipse intellectus, sed radicalis, & quę est gradus animæ, hæc autem æquè radicat intellectum & volun-

luntatem, imò inde deducitur præstantia voluntatis, quia prius ordine executionis oritur intellectus. Ad 2. quòd illa perfectio, qua quis perfectus dicitur, ex quo habet bonum intellectum, non est quidditativa & speciei, sed accidentalis, & individui, potiòr autem perfectio est, qua dicitur perfectus ex quo libertatem habet, hæc enim est perfectio quidditativa & speciei.

350 Arg. 8. Major perfectio in Angelis ex intellectu accipitur: ergo intellectus est potētia nobilior. Patet ant. quia eò superior est Angelus, quia intelligit per species universaliores. Patet item conseq. quia id perfectius est ex quo sumitur præstantia unius ad alterum. Resp. neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd quamvis accipiatur superioritas Angeli ex majori universalitate specierum, non proinde ex ipso intellectu, per eadem enim, per quas intellectus intelligit, regulatur & vult voluntas; quare in eodem gradu universalitatis sūt, & præstantia unius potentiæ ad alteram aliunde debet accipi. Posset 2. resp. neg. conseq. quāvis enim ex intellectu sumeretur præstantia, hoc solùm arguit quòd intellectus Angelorum sunt inter se inæquales, non verò voluntates, quod nihil refert ad comparationem intellectus cum voluntate. Ad prob. neg. assumptum, non enim ex eo, quod præstantius est in unoquoque, sed ex eo quod inæquale est, & majus aut perfectius in isto, quàm in illo, præstantia debet sumi unius ad alterum.

351 Arg. 9. Illa potentia in nobis perfectior est, ex qua sumitur constitutivum in Deo; sed talis est intellectus, non autem voluntas: ergo. Prob. maj. 1. quia perfectio creata, Dei participatio est: id ergo in creatura præstat, quod perfectius prædicatum participat; tale autem concipimus id ex quo sumitur constitutivum. 2. quia Deum concipimus ex creaturis: si ergo intelligere ponimus ut constitutivum, signum hoc est, quòd hoc in creatis concipimus perfectius. Min. eò patet, quia constitutivum Dei nullus assignat in voluntate; est autem probabilissima sent. inter Theologos, quòd constitutivum Dei est intelligere.

352 Resp. 1. quod hoc arg. in illa tantùm sent. quid probat, qui enim constitutivum Dei in alio prædicato ponit, non cogitur concipere intelligere perfectius, quàm velle; sent. autem B. D. ponit constitutivum Dei esse à se, imo tantùm communis est illa sent. inter Thomistas, quia tamen eam alij defendunt. Resp. 2. neg. maj. quia in Deo nullum prædicatum concipimus ut perfectius, quare constitutivum ponimus, quod concipimus 1. per modum radicis cæterorum, quare

ad

ad 1. probationem neg. min. Ad 2. dicitur, quòd quamvis Deum ex perfectionibus creatis concipiamus, non proinde quod perfectius concipimus in creaturis ponimus constitutivum in Deo, sed quod accipimus primũ; cùm enim in Deo nihil possimus concipere 1. prędicatum, hoc accipimus ut radicem cæterorum, quarè concipimus per modum naturę. Adde, quòd illa sent. ipsum actuale intelligere ponit cõstitutivum Dei: tunc autem, nostra actualis intellectio est participatio prædicati, quod est constitutivum Dei; voluntas autem est participatio attributi: ipsa ergo actualis intellectio perfectior erit potentia volitiva; at hæc conseq. est absurda: nihil ergo illa ratio probat. Cætera, si quæ sint argumenta, ex his poterunt solvi.

353 Solet insuper de voluntate quæri, quomodo movet alias potentias, an nempè per qualitatem fluidam ipsis impressam? Ad hoc autem patet ex dictis in Phis. de modo, quo agens principale movet & applicat instrumentum, eadem enim hic est difficultas. Item, an omissio libera importet de necessitate actum voluntatis? De hoc latè agunt Theologi; ex dictis autem constat, quòd exercitium libertatis in determinatione consistit, quæ nullum actum dicit, sed desistere ab opposito. Tandem quæ de anima in statu separationis disputantur, plenè spectant ad Theologiam in tract. de Beatitudine, quare dicta sufficiãt de quæstione ista & toto tractatu de Anima.

TRAC-

TRACTATUS DE ENTE ET PASSIONIBUS EJUS, SIVE DISPUTATIONES IN LIBROS METHAPHISICÆ.

Cæteris omnibus dignitate & universalitate præstat Metaphisica, quippè de objecto universaliori, & sub ratione magis abstracta agit; communis tamen scholæ methodus omnia ferè, quæ in Metaphisica tractanda erant, in præcedentibus interserit sive in Phisica, sive in Logica, quo fit ut tractatus iste aut prætermittatur omninò, aut valdè breviter pertranseatur: consuetudini quidem obsecuti multa in præcedentibus determinavimus; quia tamen non nulla supersunt, quæ in præcedentibus locum non habent, pro eorum determinatione tractatum instituimus.

De proemialibus quidem ex habitis in Logica satis potest constare, quòd Metaphisica est speculativa simpliciter; scientia valdè communis, quippè de communissimo agit subjecto, imò potiùs sapientia, non enim per specialia principia, sed per prima procedit, & veritates omnes reducit ad altissimas & primas causas; nulli subalternatur, neque ali-

quam habet sibi propriè subalternam: subalterna enim de eodem agit subjecto addendo passionē extraneam, ut Arithmeticæ subalternatur Musica, quia de numero agit ut est sonorus, quarè ad numerum, qui est Arithmeticę subjectum, addit passionem sonori; de ente autem, de quo est Metaphisica, nulla alia scientia agit.

De subjecto tantùm non nihil controvertitur. Ponunt aliqui, subjectum Metaphisicæ esse ens in eo quod ens, & videtur sent. B. D. quippè lib. 1. q. 5. de subjecto quærens determinat, quòd est ens secundùm quod ens. Sed B. D. non rationem *sub qua* per illam reduplicationem determinat, sed tātùm latitudinem ipsius rationis *quæ*; quęrebatur enim ibi, an Deus sit speciale subjectum Metaphisicæ? Resp. aut quòd nō Deus, sed ens secùndum quod ens, quarè tantùm intēdit, quòd ratio *quæ* non est aliquod speciale subjectū. Determinavimus autem trac. prec. quòd subjectum intellectus nequit esse ens secūdùm quod ens, sed quod debet aliqua ratione *sub qua* determinari, distinguente objectum intellectus nostri, tùm ab objecto voluntatis, tùm ab objecto intellectus Divini & Angelici; quodsi aliqua ratione determinari debet objectum intellectus, potiùs objectum Metaphisicæ.

Alij ponunt, quòd idem sub eadem ratione est objectum Metaphisicę, ac intellectūs: quia intellectus circa objectum suum in tota latitudine sua aliquo habitu debet adjuvari; at Metaphisica communissima est & universalissima facultas: ea ergo ad totam latitudinē objecti sui adjuvatur intellectus. Sed tunc superflueret quævis alia scientia: sicut enim sub illa ratione non alia potentia attingit ens, quia ad hoc sufficit intellectus, ita ad totam latitudinem illius rationis *sub qua* se extenderet Metaphisica, quarè non alia requireretur facultas. Quòd autem ad totam latitudinem objecti sui debet intellectus adjuvari & facilitari, verum est, sed non uno habitu adjuvatur, sed multiplici facultate.

Dicendum ergo, quòd objectum Metaphisicæ est ens in

tota

tota sua latitudine secundum quod reducibile est ad causas altissimas, & ad principia prima. Scilicet, objectum intellectus est ens prout reducibile ad causas & principia sui esse ut sic & communiter; facultas specialis est de speciali ente ut ad specialia principia reducitur; Metaphisica verò est de ipso ente ut reducitur ad prima principia simpliciter, & quæ ex ipso esse & ratione entis desumuntur, ut *quodlibet est vel non est, de quolibet est affirmatio aut negatio vera*, & similia, quæ se ipsis faciunt fidem, & eis assentitur intellectus non virtute alicujus prioris veritatis, ad quam reducatur, sed sola explicatione terminorum, quarè ea non scientia sed sapientia dicitur, & facultas communis. Conclusio sola explicatione sufficienter patet, quarè superfluum est in ejus probatione immorari.

Ens itaque, de quo est Methaphisica, æquivocè dividitur in reale & rationis; si quidem ens rationis, omninò esse non habet, sed propter esse, quod illi tribuit intellectus quando ipsum ad modum entis concipit, nomen entis habet; quia tamen facultas non solùm de subjecto suo habet naturam explicare per partes & passiones suas, sed ea etiam, quæ sunt veluti defectus & derivatio à propria ejus ratione, non solùm de ente reali, sed de ente etiam rationis determinat Metaphisica: deinde ens reale duas habet acceptiones; aut enim sumitur nominaliter, prout ipsum esse quidditatis significat, cui competit in re existere; aut participialiter, prout significat ipsum existere, sive actualitatem, vi cujus in re est. Has ergo tres partes habet iste tractatus nam 1. determinatur de ente sumpto nominaliter; deinde de eo sumto participialiter; & 3. de ente rationis.

DISPVTATIO. PRIMA DE ENTE REALI SUMPTO NOMINALITER.

DE UNOQUOQUE INTENDIT FAculcas quidditatem explicare per partes & paſsiones ſuas, quarè de ente hæc tria in præſenti diſp. explicanda ſunt; quæ ad conceptum ejus pertinent; diviſiones, & quaſi ſpecies ejus; & paſsiones: quæ ad ſpecies, vel quaſi ſpecies entis pertinent, abundè determinata manent in præcedentibus, quarè quædam tantùm, quæ ſuperſunt de diviſione in ſubſtantiam & accidens, ſive de communi utriuſque ratione attingenda reſtant: tres ergo habet quæſtiones diſputatio præſens, de ente, de ſubſtantia & accidente, de paſsionibus entis.

QUÆS-

QUÆSTIO I.
DE
ENTE
SECUNDUM SE.

ARTICVLVS I.

De divisionibus entis.

1 DE hoc latè multi, quia tamen in eo non multum est utilitatis, quę necessaria videbuntur breviter attingemus, vide si placet Mast. disp. 7. q. 1. Prima itaque entis divisio, quæ tamen æquivoca est, & solius nominis, non verò rei significatæ, est in reale & rationis; ens enim rationis nullum esse habet, sed apprehenditur ab intellectu ac si haberet. Ad hanc reduci potest divisio entis in reale & intentionale; & si enim intentionale non sit ens rationis, quia tamen non aliquod esse significat, sed intentionem, sive repræsentationem entis, ad ens rationis poterit reduci. His ergo missis.

2 Ens reale, de quo potissimè intendit Metaphisicus, primò dividitur secundùm causam & causatum in ens à se & ab alio; causa enim simpliciter dicitur ut extremè opponitur causato, seu ut sic est causa, quod non causatum. Quòd autem hæc sit 1. entis realis divisio inde patet: quia habitudo ad causam prius intelligitur, quàm ipsum esse, quamvis noster intellectus non nisi à posteriori ex ipso esse talem habitudinem agnoscat; patet enim, quòd prius est à causa sua originari, quam in se esse hoc aliquid. Præterea: prius est esse, quàm hoc aut illud esse; quævis autem alia divisio ex determinatione accipitur qua unum ens ab alio differt. Hæc divisio est analogi in analogata, ut art. 4. probabimus: licèt enim causatum, sive ab alio in se entitatem habeat, & esse aliquod, quarè non solius nominis divisio est, tamen non dicitur ens propter entitatem illam in se acceptam, sed alteri attributam, nempè quatenus est quędam participatio pri-

primi entis. Ad hanc divisionem aliæ reducuntur secundùm finitũ & infinitũ, dependens & indepen-dẽs, necessariũ, & cõtingens, prout necessarium dicit, quod est necesse esse, contingens verò quod potest esse & nõ esse: omnes enim istæ divisiones idem significant in utroque extremo sola expressione, sive ratione ratiocinante differens, quidquid comminiscatur Mast. cautè id accipiendum; quippè non aliam formalitatem dicit aut conceptum objectivum sive in Deo à se esse, & infinitam perfectionem habere, independentem, & æternam, sive quæ sit necesse esse; sive in creatura esse ab alio, ac habere esse finitum, dependens, & ex se defectibile.

3 Deinde ens reale creatum dividitur secundùm actum & potentiam. Hæc divisio duos sensus potest habere: aut enim dividitur ens in id quod est actu, & quod est potentia; aut id quod est dividitur in actum & potentiam: priori sensu ens in actu est id, quod in re habet esse; ens verò in potentia, quod potest illud habere, sive id sit possibile esse, sive futurum, ad præsens enim hæc non differunt: posteriori modo actus est determinatio, qua id, quod in re est, est hoc aliquid; potentia verò id, quo aliquid potest. De priori divisione quæritur quid est ens in potentia, sive per quid constituitur possibile? Ex quo alterum dependet, an divisio sit æquivoca, vel analoga? Si enim possibile aliquod esse significat, divisio erit analoga, æquivoca verò, si nullum esse significat; quia verò de hoc latè controvertitur, id relinquimus art. seq. examinandum.

4 Potentia, missis divisionibus ejus in formalem & radicalem, proximam & remotam, mediatam & immediatam, quæ ex ipsis patent terminis, & de quibus nihil occurrit speciale, dividitur in objectivam, & subjectivam: non enim placet explicatio Mast. dividit nempè 1. potentiã in activã & passivã, & deinde passivã in objectivam & subjectivam, quarè potentiam subjectivam dicit, qua aliquid est in potentia ad recipiendum actum, quæ eò subjectiva dicitur, quia subjectum est ipsius actus, quem recipit; & potentiam subjectivam dicit accipi contra actum formalem, objectivam verò contra actum entitativum. Hæc inquam explicatio non placet; ipsa enim potentia activa, qua agens potest actum inducere, non objectiva est, sed subjectiva: quamvis ergò potentia objectiva semper sit passiva, potentia subjectiva potest activa esse, quarè hæc non est subdivisio potentiæ passivæ, sed potius potentia subjectiva, subdividitur deinde in activam & passivam: dicitur itaque potentia subjectiva, qua aliquid

quid subjectivè in se ipso est potens aliquid agere vel pati, quarè æquè subjectiva est potentia, qua materia potest formam suscipere, & qua agens potest illam inducere; potentia verò objectiva ipsa possibilitas, qua tantúm potest objectum esse potentiæ producentis.

5 Deinde potentia subjectiva subdividitur in activam & passivam: activa est, qua subjectum potest aliquid agere, seu in alio causare, quarè definitur à Philosopho, potentia transmutandi aliud in quantùm aliud, semper enim ad aliud est sive effectiva sit, sive formalis; passiva verò est, qua potest aliquid recipere, sive quomodolibet pati. Circa hanc divisionem quæritur, an ea sit adæquata, sive an detur potentia neutra, quæ nempè neque activa sit neque passiva? De quo gravis est controversia inter Thomistas, & Scotistas, isti affirmant, illi negant dari potentiam neutram. Nobis dicendum, quòd propriè loquēdo datur potētia neutra, hoc est, quæ proprié & in rigore neque activa sit, neq; passiva: talis est potentia finis in ordine ad finalizandum; allicere enim non est aliquid causare, aut activè inducere, quamvis præsupponat actum in voluntate causari; siquidem aliud est ab objecto, media propositione intellectus, actum in voluntate causari, quod pertinet ad genus causæ *ad quam*; aliud verò, quòd bonitate hujus objecti alliciatur voluntas, & hoc est formaliter causalitas finis, quæ omninò non est passiva, propriè autē nihil agit, aut activè causat.

Idem dici potest de ipsa causalitate causæ *ad quam*; patet enim, quòd corpus speculo præsens non aliquid agit in causādo imaginem illam, quæ in speculo resultat; pariter fundamentum in causando relationem; quamvis enim hæc posset dici potentia passiva, quatenus relatio in ipso recipitur aut quasi recipitur, aliud est relationem in se quasi recipere, aliud verò illam originare, & ei dare esse, quod etiam habet fundamentum, & in hoc dicitur causa *ad quam*; hæc, inquam, potentia manifestè neutra est propriè loquendo: non enim potentia passiva est originare & dare esse; aliunde neque propriè est activa: erit ergo neutra. Hæc min. ex ipsa patet definitione potentiæ activæ, quare propriè ad se ipsum nihil potest habere causalitatem activam; at relatio in ipso est fundamento a quo originatur, & suo modo causatur, & pariter passiones in natura cujus sunt passiones.

Cum hoc dicendum, quòd divisio illa adæquata est; non enim oportet, quòd potētia neutra constituat extremum contra distinctum, quod sic patet: quoties potentia de necessitate reducitur

citur ad unam ex duobus, non oportet, quòd constituat tertium extremum divisionis; sed potentia, quæ propriè & in rigore neutra est, de necessitate ad unam ex duobus reducitur, & modum ejus habet: ergo. Min. inductione patet considerando singulas; eò enim quòd ad præsentiam hujus quomodolibet sequitur immutatio in alio, hoc, exquo sequitur, modum habet activi, id, in quo sequitur, modum habet passivi; & quia reductivè tantùm & ex quadam analogia hujus modi potentia activa dicitur, aut passiva, potest idem respectu sui ipsius activum & passivum hoc modo dici, & ita dicitur fundamentum respectu relationis, quæ in ipso & exipso est, & natura respectu passionum, quæ ex ipsa fluunt, & in ipsa sunt.

6 Dividitur etiam à non nullis in ens quid, & ens quale, de qua divisione intrà agendum est, ea enim utuntur, qui perfectam præcisionem conceptûs entis propugnant: ens *quid* dicitur id quod est, sive ipse conceptus entis; ens vero *quale*, seu *quo*, quod non aliquod esse importat, sed est differentia & determinatio ipsius esse, & ita dicunt esse ens ipsas entis differentias per se, & in alio. Hanc divisionem mordicus impugnant Thomistę dùm de præcisione conceptus entis agitur; in eam autem vel inviti coguntur incidere: distinguunt quippè modum re ipsa contra rem modificatam, quarè dicunt modum de se non esse ens, sed entis obliquitatem: voca ergo ut magis libeat, extremum habes divisum contra ens, quod tamen non est nihil. Nec refert quod N. Mans. resp. in anteprædic. q. 4. §. 1. n. 8. quod nempe modus non constituit ens in determinata perfectione entitativa, sed tantùm est quædam sigillatio ejus. Hec ad propositum nihil refert: illa enim sigillatio non est nihil, non est deinde aliquid, sive ens; & tamen ab ente, seu subjecto realiter distinguitur: est ergo extremum divisum, contra ens, & tantùm controvertitur de voce, qua appellandum est.

Mast. item acerrimè invehitur contra illam divisionem, quam dicit Scotistarum effugium, quid fictitium, & excogitatum ad eludenda argumenta, atque ad id insufficiens, etiam si adnitatur. Sed consequentiam ejus ego omninò non capio, & ipse etiam in illâ divisionem cogitur incidere: docet enim, quòd ens non transcendit modos intrinsecos & differentias ultimas, quarè in illis non includitur, neque de eis prædicatur in quid; ipsæ autem differentiæ & modi intrinseci non sunt nihil: habes ergo extremum divisum contra ens, quod neque nihil est, neque aliquid aut ens simpliciter & in quid, voca ut magis libeat, so-

lùm

lùm enim controvertitur de nomine, quo appellandum erit extremum divisionis, ipsum autem extremum manifestè conceditur. Nobis itaque nihil est omninò ens *quale*, sive ullomodo re ipsa contra distinctum ab ente, & faciens cum eo extremum divisionis, quarè quæ dicuntur entis differentiæ, solam addunt expressionem, non verò aliquid ullomodo in re præter ipsum ens, de quo latè agendum erit art. 3.

7 Deinde dividitur ens in substantiam & accidens, & accidens in novem genera, de qua divisione potissimè intendit Metaphisicus; quia tamen de ea sufficienter determinatum est in Logica, hoc solum hìc notandum super est, quod accidens diximus in novem genera dividi, nó tamquam in novem res, seu entia, sed tamquam in novem modos, seu conceptus ipsius entis, ex quibus sumitur modus generalis prædicandi, seu prædicatio, quæ non reducatur in aliam, & quòd duo tantùm accidentia dicunt rem sive realitatem aliquam, nempè quantitas & qualitas; cum hoc stat, quòd ens in substantiam & accidens, & accidens in novem genera dividatur apud Metaphisicum: quia enim Metaphisicus accipit ipsum quid abstrahendo ab omni materia, ens apud Metaphisicum non significat realitatem phisicam, sive rem extra existentem, sed quidditatem definibilem, quarè novem genera accidentium apud Metaphisicum novem quidditates significant, quarum unaquæque propriam habeat definitionem & conceptum; ita autem sunt, quamvis duplex sit tantùm res phisica. Alias divisiones prætermitto, quæ ex ipsis terminis sufficienter patent.

ARTICULUS II.

Per quid constituatur possibile?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

8 PRima sent. docet, possibile constitui per activam virtutem causæ potentis causare, ita quòd ex parte rei, quæ dicitur possibilis, nihil omninò sit re aut ratione, vi cujus dicatur possibilis. Ita Spinul. hìc disp. 1. sec. 2. cujus fundamentum reducitur ad excludendum id omne, quod importare dicitur possibile. Primò ait, Thomistas docere, essentias ipsas ab æterno esse, & possibilitatem ultra virtutem activam Omnipotentiæ hoc importare, ipsam nempè rei essentiam, quæ de se improducibilis est & æterna, & communicata sibi existentia producitur; hanc sent. rejicit. Deinde ait, Scotistas ponere ultra vir-

virtutem activam esse intelligibile, quod ait melius dici debere in intelligibile; hoc item rejicit, ex eo quòd ponit ab æterno aliquid præter Deum. 3. communem sent. quòd posibilitas importat ultra virtutem Omnipotentiæ non repugnantiam in proprijs terminis, sic rejicit: Illa non repugnantia quid positivum est; sed ab æterno nihil est positivum præter Deum: ergo. Maj. ostendit: quia repugnantia negatio est; sed negatio negationis quid positivum dicit: ergo.

9 Mirum sanè, quòd debili adeò fundamento singularem sent. sufficiêter stabilitam putet, ad hoc enim cætera reducuntur; item, quòd communis sent. fundamentum, quod ipse habet D. Th. in 1. p. q. 25. art. 3. relinquit intactum. In primis itaque tam Thomistis, quàm Scotistis imponit, quod ipse malè apprehendit: Thomistæ itaque non ponunt rerum essentias aliquid esse subjectivè in se ipsis præter Deum, sed tantùm objectivè intelligibiliter & metaphisicè; nempè ipsa Divina essentia, secundùm quod est à creaturis imitabilis, earum quidditatem repræsentat posibilem produci: repręsętans, repręsentatio, & quidditas repręsentata nihil est subjectivè, sive in re & phisicè, nisi ipsa Divina essentia, quia ut ait S.P. creaturæ in Deo sunt ipsa creatrix essentia; cum hoc tamen objectivè, intelligibiliter & metaphisicè prædicata illius quidditatis repræsentatæ alia sunt à prędicatis essentiæ repræsentantis, & ipse Divinus intellectus videns ab æterno ideam creaturæ, videt quòd propria definitione est definibilis, & quòd potest in re poni, & habere esse finitum.

Scotistæ, quantùm ad intentum præsentis difficultatis, hoc idem docent, & solùm est diversitas in terminis & modo explicandi, nulla autem in re significata: ponunt quidem posibili Divina cognitione tribui aliquod esse diminutum & intentionale; sed hoc nihil est, ut Mastrius explicat disp. 8. q. 1. art. 2. nisi quòd habent esse cognitum, & in Divina cognitione repræsentantur: patet ergo, quòd tantùm ponunt illud esse objectivũ, intelligibile, ideale propriæ quidditatis, quod ponit sent. Thomistica, non verò aliquid in re & subjectivè, quarè tantùm controversia esse videtur in hoc, quòd sent. Scotica hoc esse ideale ponit à Divina cognitione causari, Thomistica verò ponit, quòd pro priori ad Divinam cognitionem ipsa Divina essentia imitabilis est à creaturis, & ex se hoc esse ideale & quidditativum repręsentat; quæ controversia ad prędentem difficultatem nihil refert: non ergo aliquid ponit utraque sent. subjectivè & in re præter Deum.

De-

10 Deinde fundamentum ejus manifesta æquivocatione nititur. Resp. itaque dist. maj. Illa non repugnantia quid positivum est, subjectivè & in re, neg. maj. Quid positivum est objectivè, intentionaliter, seu repræsentativè, conc. maj. & eodem sensu dist. min. Ab æterno nihil est positivum præter Deum, subjectivè & in re, conc. min. Nihil est objectivè & repræsentativè, neg. min. Itaque ut metaphisicè accipiamus quidditatem alicujus rei, non oportet, quòd ipsa, aut aliquid ejus sit, aut esse habeat in re, sed quòd intellectui nostro repræsentetur; quodsi in intellectu nostro aliquid requiritur in quo repræsentetur, ipsa nempè species, quæ accidens est intentionale. Hoc in primis in intellectu Divino non requiritur, sed ipsa Divina essentia per se ipsam est idea omnium possibilium producì, sicut se ipsa est imitabilis: deinde illa species intellectùs nostri non est aliquid rei repræsentatæ: cum hoc ergo quòd nihil est subjective & in re, propriam habet quidditatem, quam concipit & definit intellectus noster; hæc autem hoc eodem modo ab æterno esse non repugnat.

11 Secunda sent. docet, possibile importare esse essentiæ intrinsecum actuale & quidditativum in se ipso extra Deum, vi cujus est objectum Divini intellectus, & scientiæ simplicis intelligentiæ. Hujus sent. author videtur esse Henrriq. in Quodl. 8. q. 9. pro ea citat Mast. N. B. D. in opusc. de esse & essent. Capreolum, & Albertin. tom. 2. disp. 1. q. 1. eandem videntur intendere aliqui Scotistæ, quatenùs ponunt illud esse diminutum mediũ inter reale & rationis, quarẽ videntur intendere aliquid subjectivè in se ipso præter Deum. Ita tenet Ponc. disp. 18. q. 5. de quo quæritur Mast. eandem sent. intendere videtur de mẽte Resol. Elis. hîc q. 5. art. 2. §. 3. quatenus docet resol. 2. quòd possibilitas intrinseca realiter distinguitur ab Omnipotentia, & resol. 5. quòd tale esse, quod habet possibile, pro priori ad Divinam cognitionem resultat ex Divina essentia, qui videtur esse sensus Albertini cùm ait, quòd non dependet à Deo ut ab afficiente, sed ut ab exemplari causa.

12 Hæc quidem sent. ut jacet, posset ad sensum communis sent. explicari; si enim illud esse essentiæ ponat tantùm objectivè & repræsentativè aliud à Deo, & in ipsa Divina essentia repræsentatum, id omne concedit communis sent. quantùm autem ex fundamentis ejus potest colligi, videntur A. A. ejus intendere aliquid subjectivè in se ipso aliud à Deo. Hoc sensu malè pro ea adducitur B. D. nec Albertin. ex quo desumpsit Mast. locum determinat, ubi illam indicet B. D.

neque in toto trac. de *esse & essentia* aliquid reperio, unde ea possit colligi, expressè autem in Quodl. 2. q. 6. cùm quæreret, an sit aliqua essentia, quæ se habeat per indifferentiam ad esse & non esse? Refert 1. sèt. quæ ponebat, quòd essentia aut habet esse naturæ, nempè ut est in re existens; aut habet esse rationis, nempè ut accipitur ab intellectu præcisivè & metaphisicè; aut habet esse essentiæ, nempè ut accipitur secundum se, hanc sent. rejicit per hæc verba: *Sed hoc non videtur benè dictum, nec intelligimus sic esse, ut isti dicunt; res enim considerata secundum esse essentiæ habet esse rationis*, & toto processu hoc intendit, quòd præter esse naturæ, quo est in re existens, tantùm habet esse rationis.

13 Est ergo 3. & communis sent. quòd possibile in se ipso & subjectivè nihil est præter Divinam essentiam, seu tantùm ratione nostra à Divina essentia distinguitur; objectivè autem & metaphisicè constituitur per non repugnantiam in prædicatis propriæ quidditatis. Hanc intendit B. D. loc. cit. n. præc. & sæpe alibi; ea est communis cæterorum præter citatos, imò ex citatis multi nihil aliud in re intendunt, quamvis non benè explicèt. Prob. ergo 1. ex illo P. Aug. quo frequenter circumfertur: Creaturę in essètia sunt ipsa creatrix essentia; at ut sunt possibiles in essentia sunt: nihil ergo prętet ipsam Divinam essentiam importat in se ipso & subjectivè possibile. Patet min. quia effectus quilibet, antequam producatur, in causa sua continetur, alioqui esset extra causam antequam produceretur.

14 Prob. 2. Si possibile aliquod esse importat subjectivè in se ipso extra Deum, aut quomodolibet subjectivè aliud à Deo, possibile ut tale erit existens, seu erit existès antequam producatur, seu antequam sit existens; sed hoc manifestam involuit contradictionem: ergo. Prob. sequela maj. Existens, apud omnes, est extra causas positum; sed illud esse, quod conceditur possibili in se ipso subjectivè, extra Deum est, sive causatum intelligatur à Deo ut à causa exemplari, ut ponit Albertinus, sive resultans, ut ponit Eliseus, sive omnino incausatum, ut alij ponunt: ergo. Nec refert dicere, quód quamvis extra Deum concipiatur illud esse, non tamen extra omnes causas; cùm enim concipiatur possibile produci, non concipitur extra causam efficientem. Hoc, inquam, nihil refert: 1. quod concipitur subjectivè in se ipso, quamvis concipiatur potens terminare alicujus causalitatem, concipitur existens & extra causas. 2. efficiens causa ejus Deus est: si ergo concipitur extra Deum, concipitur extra causam efficientem.

2.

3. à Deo ut à causa efficiente non illud esse accipiet, quo est possibile, sed aliud, quo erit existens: si ergo ut est possibile aliquod esse importat subjectivè in se ipso, hoc extra Deum est, etiam ut est causa efficiens.

Conf. Implicat aliquod esse subjectivum, & quòd subjectivè in se ipso sit aliquid, nec productū, nec producibile à Deo, quod tamen aliud sit à Deo & extra ipsum Deum; sed tale est illud esse, quod conceditur possibili, si aliquod habet subjectivè in se ipso: ergo. Maj. manifestè patet, quia illud esset alter Deus. Ostenditur min. quia illud esse si productum esset, non esset ipsum possibile, creabile, aut factibile, de quo quærimus, sed esset creatum, factum, & productum: si ergo ponitur possibile, non potest concipi productum; neque item producibile: illud enim esse est ipsa possibilitas, quidditas nempè possibilis ut talis; at possibilitas non est producibilis: implicat ergo tale esse subjectivum.

15 Prob. 3. quantùm ad alteram partem, quòd non est precisè & formaliter virtus activa Omnipotentiæ, sed non repugnantia in terminis suæ quidditatis, ratione, quam innuit S. Th. loc. sup. cit. quæ sic potest formari: Si possibile nihil dicit omnino re aut ratione præter virtutem activam Omnipotentiæ, nugatoriè & ineptissimè, Deus diceretur omnipotens; at hoc est manifestè inconveniens: aliquid ergo importat saltim ratione aliud à virtute activa Omnipotentiæ. Ostenditur maj. Deus dicitur & est Omnipotens quia habet virtutem activam producendi possibilia; at si ipsa possibilia nihil omninò dicūt re aut ratione præter ipsam virtutem activam, dicitur Omnipotens, quia habet virtutem activam ipsius virtutis activæ, qui est sensus manifestè nugatorius: ergo. Tunc autem: præter virtutem activam non potest concipi aliquid subjectivum ullomodo re ipsa aliud à Deo; neque aliunde aliquid objectivè & metaphisicè præter illam non repugnantiam in terminis propriæ quidditatis: ergò. Maj. probata est in præcedentibus, & min. sic patet: Id nihil esse aliud potest, quàm, quo intelligitur differre possibile ab impossibili; sed hoc est illa non repugnātia: ergo. Patet maj. quia possibile ab impossibili ipsa possibilitate differt. Patet item min. æquè enim noster intellectus concipit Petrum v.g. pro priori ad productionem ejus, & chimeram; & in hoc tantum accipit, quòd Petrus, non autem chimera est possibilis produci, quia in terminis hujus, non autem illius, importatur contradictio.

*** *** ***

§.

§. II.

Solvuntur argumenta.

16 ARgumenta in contrarium ferè omnia desumuntur ex Henrrico, & omnia eàdem nituntur æquivocatione, aliqua adducemus, ex quibus poterit ad reliqua patere, alia vide si placet, apud cit. Albertin. & Mastr. Arg. itaque 1. Elis. Entitas actualis & possibilis sunt eadem numero entitas; sed res actualis dicit aliquid intrinsecum distinctum ab Omnipotentia: ergo & possibilis. Conf. De ente possibili affirmat intellectus Divinus, quòd non existit & potest creari; sed hæc nequeunt de Deo affirmari: ergo ens possibile aliud est à Deo.

17 Hæc duo se mutuo destruunt. Resp. itaque 1. ad arg. instando per rationem confirmationis: Entitas actualis, & possibilis sunt eadem numero entitas; sed de actuali affirmat intellectus Divinus, quòd est existens & producta: ergo id poterit affirmari de possibili. Rursus: de possibili affirmat intellectus Divinus quòd non existit, & potest existentiam suscipere, qua in re ponatur: ergo id poterit dici de re existente. Præterea: Res existens habet esse physicum subjectivè & in actu aliud à Deo, quod potest à Deo destrui: ergo id totum poterit dici de possibili; patet enim; quòd de eodem numero idem dicitur: quando quidem ergo hæc omnia absurda sunt, relinquitur, quòd æquivocatione nititur illud argumentum.

Resp. ergo 2. directè dist. maj. Res actualis sumpta metaphisicè & objectivè pro quidditate est eadē numero entitas ac possibilis, conc. maj. Res actualis sumpta subjectivè & physicè, neg. maj. & eodem sensu dist. min. Res actualis sumpta physicè & subjectivè habet esse realiter simpliciter distinctum ab Omnipotentia: res verò actualis sumpta objectivè & metaphisicè habet esse tantùm objectivè & metaphisicè distinctum ab Omnipotentia; hoc modo etiam possibile distinguitur, aliam nempè quidditatē habet & definitionem res possibilis produci, ac Omnipotentia, in qua continetur; illi tamen definitioni & conceptui, quem de tali re formamus, in re & subjectivè nihil respondet nisi ipsa Omnipotentia.

Quo ad Conf. patet. De re possibili sumpta objectivè pro quidditate repræsentata in Divina essentia illa omnia affirmat intellectus Divinus, & ea sibi conveniunt, non autem Deo; de re autē possibili sumpta physicè pro eo quod est subjectivè & in actu, nihil tale dici potest; ea enim sic sumpta nihil est nisi ipsa creatrix essentia, ut ait S. P. quia quid-

quid

quid factum est, ante quam fieret in ipso vita erat, erat nempè ipse Deus, & ipsa vita. Ipsa ergo eadem numero quidditas, quæ erat posibilis, fit existens, dum autem fit existens accipit esse subjectum & phificum, quod non habebat: secúndũ hoc ergo esse, quod accipit, quæ sibi conveniunt nunc, non conveniebant prius; secundúm verò esse quidditativum, quo est eadem quidditas, idem habet, & tale esse quidditativum aliud est à Deo, non verò aliud in actu & subjectivè, sed objective tantúm & metaphisicè.

18 Arg. 2. Si posibile nihil importat præter ipsam Divinam essentiam, in qua continetur, sequitur, quòd unum nihil erit magis nihil, quàm aliud; sed hoc est manifestè inconveniens: ergo. Ostenditur sequela maj. Magis nihil est chimera, quàm ens posibile, chimera enim neque habet esse neque potest illud habere, ens autem posibile, licèt esse non habeat, potest tamen illud habere: & ergo ens posibile nihil est, unum nihil magis est nihil, quàm aliud. Min. principalẽ notam supponit Henr. ratio autem ejus esse potest: quia negatio totum interimit, quarè una non est major, quàm altera, neque magis interimit; at nihil dicit negationem ipsius esse: ergo. Conf. Posibile transit ad esse, & in re ponitur; sed nihil non potest ad esse transire, aut in re poni: ergo posibile non est nihil.

19 Resp. 1. neg. maj. Ad prob. dist. maj. Magis nihil est chimera, quàm ens posibile sũptum objectivè, conc. maj. sumptum subjectivè, neg. maj. & ad rationem ejus dicitur, quòd posibile sumptum objectivé pro quidditate repræsentata in Divina essentia potest utique in re poni; objectivè autem non est nihil. Resp. 2. neg. min. Ad prob. dicitur, quòd non negatio, sed carentia ipsius esse est nihil, quidquid enim esse non habet, est nihil; patet autem, quòd non habere esse est eo carere: tunc autẽ carentia, aut est privativa, aut negativa, & hæc 2. major est, quia cum repugnantia: in proposito ergo chimera habet carentia negativam, nempè non esse cum repugnantia ad esse; posibile verò habet carentiam privativam, nempè non esse, quo est nihil, aptitudinem verò, seu non repugnantiam ad esse, quo est minus nihil.

Quo ad Conf. patet: posibile transit ad esse sumptum objectivè, non autem si sumatur posibile subjectivè, quarè non ipsum nihil ponitur in re existens, sed quidditas in Deo repræsentata. Ex hoc item ad aliud patet, quod huic solutioni potest objici, nempe: posibile sumptum objectivè est ens rationis, quippè tam

tantùm ratione differt ab Omnipotentia, in qua continetur: si ergo posſibile ita ſumptum in re ponitur, ſequitur, quòd ens rationis ponitur in re, quod eſt manifeſtè abſurdum. Ad hoc etiã ex dictis patet, non enim quod intellectus noſter concipit, ſed quod ei fundamentum præbet in re ponitur; illud 1. eſt ens rationis, hoc 2. eſt ſubjectivè quidem & phiſicè ipſa Omnipotentia, objectivé verò & metaphiſicè quidditas in ea repreſentata. Patet item, quòd illa potentia ad eſſe, quam habet poſsibile, non autem chimera, in aliquo eſt ſubjecto; nempè illa potentia non eſt ſubjectiva, & exigentiæ, quæ requirit ſubjectum in re & ſubjectivè, ſed eſt potentia objectiva & ſolius non repugnantiæ, quæ in ipſis eſt prædicatis objectivè repreſentatis.

20 Arg. 3. Poſsibile terminat ſcientiam Divinam, quæ dicitur ſimplicis intelligentiæ; ſed nequit talem ſciẽtiam terminare, quin habeat aliquod eſſe diſtinctum ab ipſa Divina eſſentia, & præcedens ipſam ſcientiam: ergo. Oſtenditur min. quantum ad 1. Quia ipſa Divina eſſentia non eſt objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ; ea quippè non Dei, ſed creaturarum cognitio eſt, ſcientia enim, quam Deus habet de creaturis dividitur à Theologis in ſcientiam viſionis, & ſimplicis intelligentiæ. Quantum ad 2. item: Quia objectum ſcientiæ ſcientiam ipſam præcedit, & fundat habitudinem ad illam.

21 Reſp. diſt. min. Quin habeat eſſe diſtinctum ſubjectivè & in actu ab ipſa Divina eſſentia, & præcedens reipſa, neg. min. Quin habeat eſſe diſtinctum objectivè & metaphiſicè, & præcedens ratione noſtra, conc. min. & eodem ſenſu conſeq. Itaque ſcientia in Deo non eſt multiplex, ſed noſter intellectus illam formaliter diſtinguit, ex quo objectum aliter & aliter concipit: Rurſus: Intellectus Divinus non cognoſcit res in ſe ipſis, ſed in ipſo Deo, quarè eſſe, ſi quod haberent poſsibilia extra Deum, nó poſſet eſſe objectùm Divinę ſcientiæ: item: Divina cognitio non cauſatur à rebus cognitis, ſicut cognitio intellectus creati, ſed magis res cauſat. Propter 1. nullus actus Divinę cognitionis ad aliud terminatur, quàm ad Divinam eſſentiam, & ſecundùm quod noſter intellectus ipſum Divinam eſſentiam concipit ut eſt idea creaturarum ſivè poſsibiliũ, ſive exiſtentium, Divinam ſcientiam formaliter & ratione noſtra multiplicat; propter 2. autem id, quod formaliter concipimus aliquod eſſe habere extra Deum, non ratione hujus eſſe, ſed ratione illius, quod in Deo habet, eſt objectum Divinæ ſcientiæ; propter 3. verò non reipſa præcedit actum Divinæ cognitionis, ſed ra-

ratione nostra præconcipitur: hoc totum habet possibile objectivè ut repræsentatur in Divina essentia.

22 Arg. 4. Ab æterno verum est, & ut tale à Divino intellectu cognoscebatur, quòd homo est animal; sed quælibet veritas in aliquo esse fundatur: ergo aliquod habebat homo possibilis ab æterno. Multum quidē inter DD. controvertitur de materia hujus arg. quinque dicēdi modos rejicit Mast. quibus proprium addit: nobis in hoc immorari inutile videtur, vide, si placet N. Mans. in Summulis latè disputantem de propositionibus æternæ veritatis.

23 Resp. itaque dist. min. In aliquo esse fundatur aut objectivo, aut subjectivo, conc. min. In aliquo esse præcisè subjectivo, neg. min. Itaque veritas subjectiva & transcendentalis, quæ est passio entis, fundatur in esse subjectivo; veritas autem objectiva, & quæ est veritas prædicationis, non esse subjectivum requirit rei in se ipsa, sed objectivum tantùm & apprehēsum, aut possibile apprehendi; hujusmodi enim veritas consistit in habitudine terminorum ad se invicem, eqtè enim verum est, quòd homo est animal, ac quòd chimæra repugnat; non autem aliquis dicet, quòd chimæra aliquod habet esse: sufficit ergo, quòd possint ab aliquo intellectu apprehendi illi termini, & significatum eorum, & in hoc esse apprehenso, aut possibili apprehendi fundatur habitudo unius ad alterum conveniētiæ, aut repugnantiæ, & in hoc veritas propositionis.

24 Arg. 5. quod fundamentum à priori dicit Albertinus: Quarè lapis possibilis est, non autem chimæra, non potest ratio reddi, nisi recuratur ad aliquod esse ipsius possibilis: ergo tale habet. Patet conseq. ab æterno enim lapis possibilis erat, non autem chimæra. Ant. ostendit ipse, ea rejiciendo, quæ possent responderi, & alijs missis, quæ non sunt ad propositum; si dicatur quòd lapis habet non repugnantiam in terminis suis, quam non habet chimæra, contra sic arguit: Illa non repugnantia cōnexio est, seu convenientia, aut unio; sed unio aut convenientia intelligi non potest sine extremis unitis, aut quæ conveniant: de necessitate ergo recurrendum est ad aliquod esse, in quo fundetur illa non repugnantia.

25 Resp. neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd illa non repugnantia unio est, seu convenientia, & talis extrema requirit, quæ conveniant; convenientia autem subjectiva & in re requirit extrema subjectivè & in re, quarè fundatur in aliquo esse in re; convenientia verò objectiva & repræsentata extrema requirit eodem modo: quia ergo intellectui

tui Divino in ipsa Divina essentia, in qua omnia cognoscit repræsentantur prædicata lapidis non habere inter se repugnantiã, lapis sibi objicitur ut possibilis, neque ad hoc aliquòd esse requiritur subjectivè in se ipso, sed sola repræsentatio in Divina essentia, sicut quia ibi videt prędicata chimæræ in se contradictionem importare, videt esse impossibilem in re poni: quomodo autem ibi repræsentatur chimæra, determinabimus in ultima q. hujus tract. quomodo Deus cognoscit entia rationis?

ARTICVLVS III.

An ens habeat conceptum perfectè præcisum?

§. I.

Referuntur sententiæ.

26 PRima sent. docet, etiam præcisione formali non posse abstrahi conceptum ētis. Pro hac citat P. Suarez Cajet. opusc. de analog. cap. 4. & 6. Ferrar. in 1. contra Gent. cap. 34. Fonsec. in. 4. Met. cap. 2. q. 2. sec. 3. Secunda sent. docet, non solúm formalem, sed objectivum etiam abstrahi posse conceptum entis. Hanc tenet Scot. & Scotistæ; ex alijs Suar. disp. 2. Met. sec. 2. Albertin. tom. 2. q. 5. Elis. q. 9. art. 1. & ex Thomistis Moneda, & alij nõ nulli. Tertia sent. docet, conceptum formalem, sive non ultimatum abstrahi posse, non verò objectivum. Hanc tenent communiter Thomistæ, & nostri cum B. D. quarè illi subscribemus.

27 Pro ejus intelligentia not. in primis est, quòd de præcisione formali, seu quòd idem est conceptùs non ultimati, & qui correspondet voci, nulla debet esse controversia; si enim una voce significamus ipsum esse communiter & indeterminatè, manifestum est, quòd uno concepta apprehēdit intellectus ipsum esse, & quòd iste conceptus pro explicito & ex parte actus unus est cõmunis & indifferens Deo & creaturis, substantiæ & accidenti; siquidem patet, quòd ipsum esse nullam determinationem exprimit: tota ergo difficultas est, an huic conceptui in re correspondeat una formalitas sic præcisa, quòd nullam differentiam importet, & subinde communis sit & perfectè præcisa?

28 Notandum deinde, quòd ex resolutione hujus cætera pendent, quę de conceptu entis dubitantur: si enim perfectè præcinditur à differentijs illa formalitas, quę correspondet conceptui entis, proculdubiò ens non transcendit differentias; transcendere quippe est in conceptu alterius includi quidditativè & impræcindibiliter; si autem ex parte

parte objecti præcinditur, patet quòd non ita includitur, si verò ex parte objecti non potest præcindi, eò est, quia quidditativè involvitur in conceptu alterius, quarè transcendit. Similiter: si ex parte objecti abstrahitur illa formalitas, ea sic est perfectè una, & nullam importat determinationem, aut inæqualitatem, quarè est univoca; si verò ex parte objecti non præcindit, in conceptu suo objectivo & metaphisico determinationem importat, & subinde inæqualitatem, quarè est analoga: nihilominùs, quia de analogia sunt specialia argumēta, de ea seorsim quæremus art. seq. de transcendentia verò dictum intelligatur, quod hîc determinabimus de præcisione.

29 Nihilominus Elis. docet, quòd ens habet quidem conceptum ex parte objecti præcisum à differentijs, nihilominús eas transcendit, & in illis objectivè includitur, ad modum quo animal objectivè præcindit ab homine & æquo, neutrum enim in suo conceptu importat, & tamen quidditativè includitur in utroque, ita quòd non potest homo aut equus sine animali concipi, quarè dici debet transcendere: Similiter ait in proposito, ens potest quidem à differentijs perfectè præcindi, cum hoc tamen in conceptu earum includitur, & eæ non possunt sine ente concipi. Ratio autem est: quia aliud est superiorem rationem sine inferioribus concipi, & ab eis præcindere, aliud verò inferiora concipi sine superiori; & quamvis illud 1. verum sit de ente, non tamen hoc 2. de differentijs ejus.

30 Hæc quidem doctrina quantum ad id quod assumit eadem videtur, qua N. Manso docet in Logica, quòd genus à differentia potest ex parte objecti præcindi, non verò differentia à genere, minus tamen hæc substineri potest, quàm illa: non enim docet N. Mans. quòd genus in conceptu differentiæ includitur, sed quòd differentia quandam habitudinem habet ad genus, qua illud de necessitate præsupponit, & vi cujus nequit sine illo cōcipi, de quo satis ibi diximus; quòd autem in ipso quidditativo conceptu differētiæ includatur genus, & tamē possit perfectè præcindi, duo conjungit omninò repugnantia.

Quod sic patet: Si ratio entis perfectè ex parte objecti præcinditur à differentia, metaphisicè importat formalitatem, cui differentia additur, illam nempè quam accipit conceptus perfectè præcindens; tùnc autem differentia addita involvit metaphisicè in conceptu suo ipsum ens, nempè ab eo non potest præcindi: ergo ens additur enti, & cùm dicitur *ens per se*, ens bis ponitur semel explicitè, & iterum

transcendenter inclusum in ly *per se*. Præterea: ipsa entis differentia, quæ dicitur ipsum ens transcendenter in conceptu suo importare, aut tantùm ens importat, aut ens determinatū: Si 1. non est differentia entis: Si autem 2. duo ibi oportet accipere, ens transcendenter inclusum, & id, quo determinatur; sed per ipsum, conceptus entis objectivè præscindit ab eo, quo determinatur: in ipsa ergo perfeitate, seu differentia entis potest abstrahi conceptus entis, & de eo, quod relinquitur, idem fit argumentum, & itur in infinitum: standum ergo in primis, & dicendum, quòd ens non includitur in conceptu differentię, aut quòd non potest objective præcindi.

Præterea: differentia entis aut accipitur simplex formalitas; aut composita & coalescens ex eo quo determinat & est differentia, & ex ratione ipsa entis determinabilis: Si hoc 2. includit quidem ens, non verò differentia est, sed species, aut quasi species, compositum nempè ex ratione communi & particulari: Si autem 1. dicitur, est quidem differentia, & pura ratio determinans, non autem in conceptu suo ens includit, sed id tantùm quod enti additur. Nec refert dicere, quòd includit implicitè & transcendenter, cum quo stat, quod formaliter & explicitè sit simplex formalitas: genus enim non aliter in specie includitur, & tamen species nō est formalitas simplex, sed essentia metaphisicè composita; patet enim, quòd in definitione explicitè continetur genus, in specie verò definita implicitè & objectivè, seu transcendenter.

31 Hinc æquivocatio patet exempli, quo nititur: aliud enim est comparare genus ad suam differentiam, aliud verò ad speciem; species quia ipsum genus includit, non additur generi, differentia verò generi additur, quarè aut non est differentia, aut non ipsum genus includit; si autem ratio abstracta metaphisicè & exparte objecti præcinditur, id à quo præcinditur, propriè est differentia; habet enim illa ratio perfectam indifferentiam, quæ aliquo sibi addito debet determinari: non ergo potest componi, quòd ratio communis perfectè ex parte objecti præcindatur, & tamen transcendenter includatur in eo à quo præcindit; si enim metaphisicè & exparte objecti separatur, non ibi metaphisicè relinquitur: neque posset animal ab homine perfectè præcindi, sivè sine eo perfectè concipi, nisi quatenus præcinditur à differentia hominis; & ipsa hominus differentia perfectè sine animali potest concipi, & se habet per additionem ad illud. Benè itaque supponitur dici debere de transcendentia, quod de præcisione

per-

pérfecta dicatur : aut enim differentia entis metaphisicè & ex parte objecti addit formalitatem; aut tantum addit expresionem, seu conceptum explicitum : Si illud 1. accipitur conceptus entis perfectè præcisus, sed tunc non includitur in conceptu differentiæ, alioqui ipsa non addit formalitatem enti, sed addit ipsum ens: si autem dicitur 2. tunc transcendit, & includitur in conceptu differentiæ, sed eâdem ratione non potest perfectè præcindi.

§. II.

Probatur Nostra conclusio.

32 DIcendum, quòd ens non habet unum conceptum metaphisicè & ex parte objecti præcisum. Prob. 1. ex Phil. in 3. Met. tex. 10. quo ita habet : *Non est autem possibile neque ipsum unum ĕtlum esse genus, neque ens. Necessè etenim est uniuscujusque generis differentias & esse, & unamquamque unam esse. Impossibile verò est aut species generis de proprijs differentijs prædicari, aut genus esse absque suis speciebus, quarè si unum vel ens genus est, nulla differentia neque unum, neque ens erit.* Hunc Phil. locum adducit B. D. in 2. dist. 3. p. 1. q. 1. art. 3. ad hoc idem, quod Phil. intendit, nempè, quod ens non est genus, quia non habet differentiam. Sensus itaque Phil. manifestus est: intendit quidem, quòd ens non est genus, & idem dicit de uno, ratio autem, quam assumit, hæc est : genus debet habere differentias ; at ens non potest differentias habere : ergo. Hanc min. eò ostendit, quia differentia se habet per additionē ad genus, quarè est extra conceptum ejus; quidquid autem ponatur differentia entis ens est, non enim potest esse nihil: patet ergo, quòd supponit ens non importare formalitatem metaphisicè & ex parte objecti præcisam.

33 Ad hunc Phil. tex. resp. Mast. disp. 2. n. 207. quòd ex illo lib. non potest deduci testimonium, quod sit firmæ authoritatis, quia Phil. in illo nihil docet asserendo, sed disputando & arguendo. Sed hæc solutio ex sola textús lectione sufficienter excluditur : in primis toto 1. cap. dubitationes proponit Phil. quarum solutionem quæri oportere ait, sic autem illud cap. concludit: *De his enim omnibus non modo invenire veritatem difficile, verùm neque benè ratione dubitare facile est.* Quo patet ea omnia, de quibus dubitat illo 1. cap. contineri ; tex. autem suprá adductus ex cap. 3. desumitur : non ergò in eo dubitando procedit. Præterea : cap. 2. sic incipit. *Primum itaque de quibus primò diximus, utrum unius, an plurium scientiarum sit omnia causarum genera spe-*

specularj; at hæc erat 1. dubitatio ex his, quæ cap. 1. proponit quærenda: patet ergo, quòd incipit dubitationes illas resolvere, & sic non dubitando in toto illo lib. 3. procedit. Rursus: si toto lib. 3. dubitando procedit, oporteret in seq. lib. 4. præmissas dubitationes solvere; at in lib. 4. ne verbum est de his, de quibus egerat lib. 3. non ergo ibi tantùm dubitat, sed dubitationes etiam solvit.

Insuper: Dato quod toto lib. 3. dubitativè procedat, falsum est, quòd inde non possit deduci testimonium firmæ authoritatis: non solùm enim rationes dubitandi adducit, sed aliorum etiam responsiones rejicit; in hoc autem non dubitativè, sed assertivè procedit. Præterea: ipse contextus litteræ manifestè ostédit assertivè ipsum procedere in verbis adductis, prius enim aliorum opinionem per hæc verba proponit: *Videntur autem quidam eorum, qui elementa entium ipsum unum, aut ens, aut magnum, aut parvum dicunt, tanquam generibus eis uti.* Deinde procedit ostendere, quòd ens aut unum non possunt ut genera accipi, quare subjungit: *At verò non possibile est utroque modo principia dicere:* Patet ergo, quòd in verbis suprà adductis assertivè intendit ostendere, quòd ens aut unum non possunt genera esse. Adde, quòd ratio, quam ad hoc inducit, quę potissimè ad institutum refert ea sola sufficiens est, quarè.

34 Prob. 2. conclusio ratione, quam in illo tex. intendit Phil. Si ens haberet conceptum perfectè pręcisum, esset genus ad inferiora sua, sive ad substantiam & accidens, sive ad Deũ & creaturas comparetur; sed ens, nequit esse genus ad inferiora sua: ergo. Min. directè intendit Phil. & ratione probat, qua inferius ostendetur. Prob. maj. Si ens haberet conceptum perfectè præcisum, metaphisicè & ex parte objecti haberet differentiam, quæ ipsi gradum perfectionis adderet, & cum qua faceret compositionem metaphisicam; sed hoc est formalissimè genus: ergo. Hęc min. nota est, genus enim dicit partem potentialem quidditatis, quæ cum alia, qua determinatur, faciat compositionem metaphisicam. Prob. ergo maj. Si ens haberet conceptum perfectè præcisum, metaphisicè & ex parte rei conceptæ importaret formalitatem, quæ aliquo determinaretur, quod esset extra conceptum ipsius entis, sed tunc cum isto, quo determinatur, faceret metaphisicam compositionem: ergo. Patet maj. hoc enim est perfectè & objectivè præscindere, metaphisicè & in ipsa quidditate concepta excludere à conceptu suo id, à quo præcindit, alioquì non perfectè & exparte objecti, sed formaliter tantum præcindit

&

& ex parte actus, quod intendimus. Patet item min. quia tunc id, quo determinatur, aliud est metaphisicè ab ipso ente, alioqui non excluditur à conceptu ejus; compositio autem est distinctorum unio.

35 Ad hoc arg. multiplex adhibetur solutio. 1. resp. neg. min. nempè nullum est inconveniens in eo, quòd ens dicatur genus ad inferiora sua. Sed hæc in primis apertè est contra Phil. assumit enim quod ipse Phil. ex instituto rejicit, ut suprà patuit in verbis ejus. Deinde ratione rejicitur, quam ibi intendit Phil. Id tantum genus esse potest, quod differentiam habet, cum qua faciat metaphisicam compositionē, genus enim dicit partem potentialem definitionis, & quidditatis metaphisicæ; sed ens nequit talem differentiam habere: ergo. Prob. min. Differentia est extra conceptum quidditativum generis, & ipsi addit gradum perfectionis, qua determinat, & contrahit ipsum, alioqui non facit compositionē metaphisicam, sed logicam tantùm & penès conceptus explicitos; sed nihil ita esse potest extra conceptum generis: ergo. Patet hæc min. quia quidquid concipiatur addere enti aliquam perfectionem, qua determinetur, aliquid est, quarè aliquod esse habet, & consequenter est ens.

Conf. 1. Genus non prædicatur in quid de differentia sua; sed ens de necessitate prædicatur in quid de eo, quo concipitur determinari: ergo non habet differentiam. Patet maj. quod enim de altero prædicatur in quid includitur in ejus quidditate, quarè cum eo non facit compositionem metaphisicè & ex parte objecti, sed nugationem, bis nempè ponitur, si ipsi addatur; genus autem facit compositionem metaphisicam cum differentia sua. Patet item min. per rationem Phil. quam suprà innuimus: quòd nempè concipitur determinare ens metaphisicè & ex parte objecti aliquid est, & esse habet, quo excludit nihil, & consequenter est quidditativè ens.

Conf. 2. Substantia, & idem de quolibet alio prædicamento, est supremum genus: ergo ens non potest concipi genus ad inferiora sua. Prob. conseq. Quod aliud habet genus suprà se non est genus supremum; sed tunc substantia haberet suprà se aliud genus, nempè rationem entis: ergo. 3. Genus supremum est formalitas metaphisicè simplex; sed si ens est genus, imò etiam si non sit genus, si importat formalitatem perfectè præcisam, tùnc nullum prædicamentum importat formalitatem metaphisicè simplicem: ergo. Patet hæc min. tunc enim quodlibet importat formalitatem entis, & id quo determinatur. Patet

tet item maj. quia genus supremum est fundamentum 1. in metaphisica compositione, sicut materia in phisica; si autem non simplex est, jam compositionem in se importat, quarè non erit fundamentum primæ, sed secundæ compositionis:

36 Altera sol. ad rationem principalem neg. maj & multipliciter nititur ostendere, quòd ens non est genus. Resp. ergo 2. quòd ens quamvis objectivè precindat non est genus; quia genus prædicatur in quid; ens autem non prædicatur in quid de differentijs. Ita respondet Elis. Sed hæc solutio utroque claudicat pede. In primis falsum assumit in majori: genus quidem de speciebus suis prædicatur in quid, ut homo est quidditativè animal, sic autem etiam prædicatur ens, substantia enim quidditativè est ens; nõ verò prædicatur genus de differentia tua: non enim rationalitas est animal, alioqui non posset metaphisicè cum differentia compositionem facere, si in quidditate ejus includeretur. Deinde; quod in min. subsumit cum doctrina ejus non cohæret: docet enim, ut supra vidimus, quòd ens habet quidem cõceptum præcisum à differentijs, transcendit tamen, & in conceptu differentiarum includitur: si ergo includitur in conceptu differentiæ, de ea prædicatur in quid, idem enim est de aliquo in quid prædicati, & in conceptu quidditativo ejus includi.

37 Resp. 3. Mast. quòd ad rationem generis non sufficit, quòd importet conceptum objectivè præcisum, sed amplius requiritur, quòd importet realitatem potentialem ad differentiam, quia ordinatur ad compositionem metaphisicam; ens autem non importat realitatem metaphisicam, sed tantùm pèr intellectum nostrum inadæquatè concipientem; quarè cum eo, quo determinatur, non facit realem & metaphisicam compositionem, sed tantùm ratione nostra.

38 Sed contra, & ut precindamus pro nunc ab alia controversia, de qua in Logica satis diximus, quid est in re extra cõpositio metaphisica: Si ens importat conceptum ex parte objecti præcisum, eodem modo importat formalitatem ac animal: aut ergo non perfectè & ex parte objecti præcindit, aut facit cõpositionem metaphisicam. Prob. ant. Cùm dicitur *ens per se*, aut objectivè & ex parte rei conceptę aliud respondet, quo est, & quo tale est, nempè per se; aut illud idem, quod aliter ipse intellectus exprimit. Si illud 1. eodem modo se habet compositio ac inter animal & rationale; si autem hoc 2. non ex parte objecti, sed ex parte intellectus tantùm præcisio est & compositio: implicat ergo, quòd præcisio sit perfecta & ex parte ob-

objecti, & compositio non sit metaphisica, sed tantùm ex parte intellectùs.

Conf. & explicatur: omnes gradus in qualibet forma eodem modo distinguuntur, sive in forma accipiantur ut est in re extra, sive tantùm ut est ab intellectu concepta: accipiamus ergo formam equi, ab ea habet equus esse ens, nempè completum; & esse tale ens, nempè substantiale & per se existens; & esse tale ens substantiale, nempè corpus; & esse tale corpus, nempè vivens; & tale vivens, nempè sensitivum; & in tali specie, qua est equus: ait ergo cùm concipimus ens intellectui respondet in ipsa aliquid, quo tribuit esse, quod sit & accipiatur aliud ab eo, quo tribuit per se esse; aut non possumus in ipsa forma accipere, quo tribuit esse, quod ex parte objecti sit aliud ab eo quo tribuit tale esse, scilicet, per se: si hoc 2. compositio ex his duobus *per se*, & *ens* tota est ex parte intellectus & non metaphisica, sed tunc pariter præcisio non objectiva est & perfecta, sed formalis tantùm; si autem 1. dicatur, tunc præcindit quidem ens à perfectate objective, & ex parte rei conceptæ, sed tunc compositio inter ens, & per se eadem est, ac inter corpus & vivens, atq; inter alios omnes gradus; patet enim, quòd eodem modo accipitur ex parte formæ, quo tribuit esse & tale esse, ac quo tribuit esse corpus & tale corpus.

39 Prob. 3. conclusio ratione directa, quæ ex his deducitur: Si conceptus entis ex parte objecti potest præcindi, substantia v.g. in se & ex parte objecti alio habet esse in re, & ita esse, nempè per se; sed ex parte objecti illud idem, quo habet esse in re, habet ita esse, nempè per se & in se: ergo. Prob. min. Id, quo concipimus tale esse, nempè per se aut in alio, est, quo concipimus formam substantialem talem esse, seu ab accidentali differre; sed primo & universalissimo gradu, quem ex parte formæ accipimus, ea talis est & ab accidentali differt: ergo objectivè & ex parte rei conceptæ non possumus præcindere id, quo est ens, & tale ens, nempe per se. Patet maj. quo enim talis forma est, tale esse tribuit. Patet item min. sicut enim non possumus ex parte formæ accipere, quo subjectum respicit, nisi illud idem quo tale respicit, ita non possumus accipere quo forma est, nisi illud idem, quo talis est; quarè quod est forma & talis forma expressiones sunt intellectùs nostri, non verò perfectiones objectivæ in ipsa re concepta. Alias rationes in sequentibus oportebit attingere, quare eas nunc mittimus.

*** *** ***

§. III.

Solvuntur argumenta.

40 ARgumenta contrariæ sent. præ cæteris latè congerit Mast. tota disp. 2. quare ex eo Arg. 1. facilis ratione Scoti. Intellectus certus de uno, & dubius de altero habet conceptum in se unum & objectivè præcisum de eo, de quo est certus, alioqui de eodem objectivè esset certus & dubius; sed sæpè contingit, quòd intellectus certus est de aliquo quod sit ens, dubius tamen an sit Deus vel creatura, substantia vel accidens: ergo habet conceptum entis, sive de eo quod est ex parte objecti præcisum. Hoc arg. multis posset instari, cæteris missis: ipse Mast. q. 9. art. 2. docet cum cõmuni omnium sent. quòd non datur conceptus entis objective præcisus à reali & rationis; sed contingit, quòd intellectus certus de aliquo quod est, dubius sit an sit reale vel rationis: ergo ad hoc ut sit certus de uno, & dubius de altero non requiritur, quòd habeat conceptum objectivè præcisum, sed sufficit habere præcisum formaliter. Min. eò patet, quia de partibus metaphisicæ compositionis v. g. Scotistæ asserunt, quòd sunt ens reale Thomistæ verò, quòd sunt ens rationis, & utrique probant: motiva ergo sunt ut intellectus de hoc dubitet.

41 Resp. neg. maj. quia quòd intellectus sit certus de uno & dubius de alio tantùm arguit, quòd habet conceptum unum de eo de quo est certus, conceptum nempè non ultimatum, sivè de eo quod vox significat, & ita apprehendit uno conceptu ipsum esse ut sic & communiter; non autem de hoc quæritur, neque iste conceptus ex parte objecti præcindit, nisi accipiat ipsum esse in objecto & re concepta sine tali vel tali determinatione, sive ita quòd accipiat esse tanquam formalitatem aliquam & perfectionem, seu gradum rei conceptæ: quia ergo ipsum esse conceptu confuso accipit intellectus, potest de aliquo certificari quod est, quamvis maneat dubius de determinatione illius esse; quia verò non potest accipere determinationem ipsius esse tanquam aliquid extra conceptum ejus, alioqui acciperet nihil & non ens, ipsum ens aut esse non potest accipere tanquam formalitatem ex parte objecti præcisam.

42 Arg. 2. Intellectus noster potest quãlibet rem in plures conceptus resolvere usque ad supremum, quo omninò conveniunt, seu ita conveniunt quòd nullomodo differant, & usque ad infimum quo ita differunt, quòd nullomodo conveniant; sed ille conceptus, quo ita conveniunt, quòd

quòd nullomodo differant, est conceptus ētis perfectè præcisus: ergo. Patet maj. ex vi præcisiva intellectus noster; si enim conceptus, quem accipit, talis est, quo ita conveniunt, quod etiam differant, patet, quòd hunc poterit in duos resolvere, & accipere id, in quo conveniunt. Min. item patet; si enim ille conceptus non est perfectè præcisus ab eo, quo differunt, utrumque includit, quo conveniunt, & id à quo non perfectè præcinditur: poterit ergo intellectus illum resolvere in duos, quousque tantum accipiat id, in quo conveniunt, quod erit ipsum esse, & conceptus entis.

43 Resp. dist. maj. Potest quamlibet rem in plures conceptus resolvere metaphisicè & ex parte objecti, neg. maj. Logicè & ex parte actus, sive præcisione formali, conc. maj. Ad prob. ejus dicitur, quòd si in ipsa re cōcepta daretur talis formalitas quidditativè & metaphisicè, posset eam accipere intellectus præcisione objectiva; quia tamen ea non datur in objecto, tota præcisio est ex parte intellectus & penès conceptum explicitum. Itaque in re concepta non aliud est metaphisicè, quo est, & quo ita est, nempè per se aut in alio, quarè non potest concipi ens, quin objectivè & implicitè illud ens per se sit, aut in alio illa eadem formalitate objectiva, qua ens est: potest ergo ipse intellectus resolvere quantùm est ex parte sua, non verò quantùm est ex parte objecti, quarè tantùm præcisione formali.

44 Arg. 3. Unitati conceptūs formalis respondere debet unitas conceptūs objectivi; sed ens habet unum conceptum formalem: ergo habere debet objectivum. De min. nullus ferè jam dubitat; maj. autem ostenditur: Conceptus formalis ipsa est intellectio, seu actus intelligendi; sed implicat intellectioni nō respondere aliquam rem intellectam: ergo. Latissimè vagatur Mast. in adducendis & refellendis hujus argumēti solutionibus, mittemus tamen instantias, quę contra nos non procedunt. Resp. 1. instando: uno enim conceptu accipit intellectus multa, ut quando uno actu concipit duos homines, aut multos lapides; tunc autem non unus respondet conceptus objectivus, sive una formalitas objectiva in re concepta. Rursus: uno conceptu accipit ens commune ad reale & rationis, ut cùm concipit ens ut sic & nihil determinando; sed huic non respondet unus conceptus objectivus juxta ipsum etiam Mast. ergo ratio non tenet; & ex hoc etiam instatur præcedens argumentum.

45 Resp. 2. directè dist. maj. Respondet unitas conceptūs objectivi ultimati, neg. maj. de hoc autem procedit quæst.

Non ultimati, sive qui correspondet voci, conc. maj. hic autem non præcindit ex parte objecti. Itaque actui, quo intellectus concipit ens, respondet utique res intellecta, nempè ipsum esse; hoc autem non est metaphisicè una formalitas, sed tantùm habet unitatem confusionis in ipso actu intellectùs, objectivè verò sibi respondet multiplex formalitas in re; unumquodque enim per illud idem, quo habet esse, formaliter & intransitivè habet tale esse, nempè per se aut in alio.

46 Sed instatur: ex parte rei correspondet conceptui entis substantia aut accidens, aut nihil, aut utrumque; sed ex his nihil dici potest: ergo restat conceptus ex parte objecti præcisus & communis. Prob. min. De utroque prædicatur in quid ens; sed non posset prædicari, si aliquid ex illis sibi responderet: ergo. Patet hæc min. de substãtia enim non posset prædicari accidens, aut utrumque, aut nihil; similiter de accidente non posset prædicari substantia. Pariter instatur, tam enim de ẽte reali, quàm rationis prædicatur ens commune ad utrumque: Quod si dicas, nullum est ens commune ad utrumque, sed tantùm conceptus intellectus; 1. quæritur quid huic conceptui respondet, & idem dicitur ad instantiam; deinde dicitur etiam, quòd nullum est ens commune ad substantiam & accidens, sed tantùm conceptus intellectus: quodsi iterum dicas, tam accidens, quàm substantia sunt verè & intrinsecè ens; atverò ens rationis non est intrinsecè ens, sed extrinsece tantùm, nempè accipitur ab intellectu ac si esset: nihil hoc refert, ens rationis non est intrinsecè ens, accipiendo ens simpliciter & pro ente reali; est verò intrinsecè ens accipiendo ens communiter, ut hac voce exprimitur.

Directè ad instantiam dicitur, quòd illi conceptui in intellectu quidem respõdet utrumque in confuso, in re verò respondet alterum determinatè. Quodsi dicas, tunc prædicatio erit identica & nugatoria, & cùm dicitur *substantia est ens*, sensus erit quòd substantia est ens per se, nempè ly *ens*, in re significat determinatè substantiam. Resp. quòd illa prędicatio non est formalis metaphisicè, sed logicè tantùm, metaphisicè enim est identica. Not. autem, quòd analogum simpliciter dictum stat pro famosiori; ens autem, ut art. seq. dicemus, est analogum, quarè absolutè & sine addito pro substantia supponit, & de accidente tantùm dicitur secũdum quid & cum addito.

47 Arg. 4. Quando plura habent convenientiam inter se, possunt in aliquo repræsentari secundùm illam convenientiam, &

& consequenter potest intellectus unam ratione de illis abstrahere; sed Deus & creatura, substantia & accidens conveniunt in ratione essendi: ergo. Patet maj. quia intellectus habet vim præcindēdi quoties in re habet fundamentum; est autem sufficiens fundamentum illa convenientia. Patet item min. omnia enim in re existunt.

48 Resp. 1. quòd in conceptu entis communi ad reale & rationis, pariter instatur: utrumque enim potest ab intellectu apprehendi, quarè aliquam habent convenientiam. Resp. 2. directè: potest intellectus unam rationem abstrahere, prout sibi præbet fundamentum res ipsa, conc. maj. Potest ex quacumque convenientia abstrahere objectivè & metaphisicè, neg. maj. Itaque eò non potest intellectus conceptum abstrahere communem enti reali & rationis, quia convenientia, quæ ipsi præbet fundamentum, talis est, quòd in ipsa imbibitur disconvenientia, quarè conceptum format abstractum non objectivè, & cui in re aliquid respondeat, quo conveniant, sed formaliter tantū & ex parte actus quantùm sufficit ut una voce significet utrumque; eodem autem modo se habet convenientia, quę præbet fundamentū ut unum formet conceptū entis, licèt non omninò eodem modo, ipsa enim præcisio ex parte actus latitudinē patitur: videt ergo intellectus quòd tam substantia, quàm accidens habent esse in re, sed in hoc ipso esse videt disconvenientiam & determinationem; si enim accipit accidens esse, in hoc ipso esse videt in alio esse, & non aliud habere esse, quàm perfectivi, quarè ait Phil. quòd non est ens nisi quia entis, & si vellet esse accipere sine ratione perfectivi, accipere in se & sic substantiam: non ergo ex illa convenientia potest aliter abstrahere, quàm formaliter & quantùm ad conceptum explicitum.

49 Arg. 5. Ens reale ut sic est objectum adæquatum intellectus, quarè talem habet unitatem, quæ sufficiat ad specificandam potentiam; sed potentia est una simpliciter: ergo conceptus entis habet unitatem simpliciter. Hoc arg. magis probat, quàm vellet arguens: specificativum enim præcedit actum potentiæ, quarè probat unitatem non solùm in conceptu entis, sed in re extra, & non solùm metaphisicè, sed etiam phisicè; hanc enim potentia habet. Resp. neg maj. non enim ab objecto specificatur potentia, sed ex sua quidditate absoluta speciem habet & unitatem, ut ipse etiam docet Mast. notificatur quidem nobis ex objecto quidditas potentiæ; ad hoc autem sufficit quæcumque acceptibilitas objecti sub una ratione, neque requiritur formalitas in re una phisicè, aut metaphisicè. Arg.

50 Arg. 6. Conceptus entis habet unitatem sufficientem, tum pro inducenda contradictione, si de aliquo simul affirmetur & negetur, tum ut sit medium in syllogismo; sed ad hoc requiritur unitas conceptûs objectivi: ergo. Patet min. si enim conceptus objectivus multiplex est, uno sensu erit vera affirmatio, alio negatio, quarè non inducit contradictionem; item, si multiplex est, non erit unus terminus in syllogismo, quarè non poterit esse medium.

51 Resp. 1. neg. maj. de eodem enim, puta de accidente, dicitur sine contradictione, quòd est & non est ens, nempè non est ens simpliciter & proprie, est verò ens, quia entis; eâdem ratione nequit esse mediû in syllogismo, nisi accipiatur pro aliquo determinatè, & tunc non est ens, sed tale ens. Resp. 2: neg. min. quia enim in prædicatione attribuitur res non ut in se est, sed ut eam percipit intellectus, ad inducendam cõtradictionem non requiritur unitas, quam res in se habeat phisicè aut metaphisicè, sed illius perceptionis unitas sufficit, sive quòd ab ipso intellectu ut una accipiatur.

52 Arg. 7. Ens contrahitur ad Deum & creaturam per finitum & infinitum, ad substantiam verò & accidens per in alio, & per se; sed ubi sunt contrahentia & dividentia, esse debet ratio contrahibilis & divisibilis: ergo. Instatur similiter: quia ens, quod commune accipitur enti reali & rationis contrahitur ad reale per esse in re extra, & ad rationis per esse tantùm objectivè in intellectu. Directè dist. maj. Cõtrahitur objectivè & metaphisicè, neg. maj. Contrahitur logicè & penès conceptum explicitum, conc. maj. & hoc tantùmmodo habet unum conceptum communem & contrahibilem. Itaque in creatura v. g. ab alio esse, quæ est ratio contrahens, præintelligitur ipsi esse, est enim prior habitudo ad causam, & prius intelligitur à Deo procedere, quàm in se tale esse habere: si ergo ly *ab alio* intelligitur objectivè & metaphisicè formalitas aliqua determinativa, alia prior debet assignari determinabilis, & hæc esse non poterit ipsum ens, sive esse. Præterea: si ens dicit conceptum metaphisicè & objectivè contrahibilem, oportet in Deo compositionem ponere metaphisicam ex contrahibili & contrahente, de quo iterum infra: patet ergo, quòd objectivè & metaphisicè ens non est contrahibile, sed determinatum, nempè Deus ipsa sua entitate est ale, & creatura eadem ipsa ratione entis intransitivè & formaliter est ab alio & finita, quarè illa contrahibilitas tantùm est penès expressionem, sive conceptum explicitum intellectus.

Arg.

53 Arg. 8. Subſtantia ut eſt ens non contradiſtinguitur ab accidente ; at contradiſtinguitur ut eſt tale ens : ergo illa reduplicatio aliquam rationem objectivam determinat eandem in ſubſtantia & accidente , & ſic perfectè præciſam. Reſp. 1. inſtando: ens reale ut eſt ens ut ſic & communiſsimè quantum ſufficit ut ſit ſubjectum prædicationis non cõtradiſtinguitur ab ente rationis, quod etiam tale eſſe habet , quo poſsit eſſe ſubjectum prædicationis , contradiſtinguitur autem ut habet tale eſſe : importat ergo formalitatem ex parte objecti præciſam.

54 Reſp. 2. directè neg. maj. ſubſtantia enim ens eſt ſimpliciter & ſine addito , accidens verò non abſolutè , ſed cum addito tantùm , quarè ait Phil. quòd non eſt ens niſi quia entis: in ipſa ergo ratione entis contradiſtinguitur ſubſtantia ab accidente , ex quo potius noſtra concluſio probatur , ratio enim perfectè præciſa univocè & eodem modo de inferioribus ſuis prædicatur; at non ita prædicatur ratio entis : ergo. Reſp. 3. miſſa maj. neg. conſeq. illa enim reduplicatio ſupponit præciſionem intellectus , quarè non objectivè & ex parte rei , ſed tantùm ex parte ipſius intellectus , & in conceptu ejus arguit aliquid commune utrique , ſupra quod cadat ipſa reduplicatio.

55 Arg. 9. Quæ in aliqua ratione comparantur , in ea de neceſsitate conveninnt , & quæ nulla ratione conveniunt, nequeunt comparari , ut docet Phil. in 3. Phiſ. tex. 22. & ratione patet; albedo enim dici non poteſt magis colorata , quàm ſonus , eò quòd cum eo nullam habet convenientiam in ratione colorati; at ſubſtantia & accidens comparantur in ratione entis , & ſubſtantia dicitur magis ens , quàm accidens : ergo. Pariter inſtatur: nam ens reale magis eſt ens & magis eſſe habet , quám ens rationis. Directè neg. conſeq. ex aliqua enim convenientia non deducitur formalitas objectiva: eò itaque quòd utrumque eſſe habet intellectus unum conceptum format de utroque , quia tamen ipſum eſſe diverſum eſt in utroque , illi conceptui non reſpondet objective unum quid : convenientia ergo ex qua accipitur magis & minus , analoga eſt & mixta cum ipſa diverſitate, quarè non eſt unius conceptus objectivi , aut metaphiſicæ formalitatis.

56 Arg. 10. Si negatur conceptus entis objectivè præciſus, præcluditur via cognoſcendi Deum ex creaturis; ſed juxta Ap. ad Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea , quæ facta ſunt , intellecta conſpiciuntur* : Ergo. Prob. maj. Si ens non habet conceptum objectivè præciſum, in creatura non

eſt

est aliqua formalitas, qua cum Deo conveniat; sed hoc posito ex specie creaturæ non est quo intellectus ducatur ad Deum cognoscendum: ergo. Debile arg. & quod defacili ducitur ad oppositum. Deum enim non cognoscimus directè & per propriam speciem; sed si in creatura esset aliqua formalitas, qua cum Deo conveniret, Deum directè cognosceremus, specie nempè hujus formalitatis: ergo. Deinde: Ex quo in lapide sit formalitas, qua cum homine aut equo convenit, nempè genus supremum substantiæ corporeæ, ineptissimè quis vellet ex lapide hominé cognoscere aut equum. Directè neg. maj. Ad prob. neg. min. cognoscit enim intellectus Deum ex creatura, non similitudine, aut convenientia in aliquo prædicato, sed ex habitudine effectús à Deo causati, & quodammodo participantis perfectionem ejus, non autem univoca participatione.

57 Arg. 11. Elisæus: Ens ex proprio conceptu est unum: ergo habet unum conceptum objectivũ. Patet consq. quia unitas conceptus objectivi ipsa est unitas objecti prout ab intellectu concipitur. Prob. aut. Unitas est 1. passio entis: ergo ens est unũ ex proprio conceptu. Resp. 1. quòd probatio deducit oppositũ: passiones enim sunt extra quidditatem: si ergo unitas est passio, ea erit extra conceptum entis quidditativum. Resp. 2. dist. ant. Est unum unitate communitatis ad inferiora sua, neg. ant. Unitate physica, conc. ant. Itaque cò quòd unitas est 1. passio entis, unumquodque eodem formaliter habet esse in re, & unum esse, nec poterit esse ens, quin sit unũ; ex hoc autem nihil ad propositum, substantia enim & accidens non ens sunt, sed entia, quarè duas habent unitates.

58 Arg. 12. ex eodem: In unaquaque re est conceptus entis & talis entis; sed ratio entis prior est & universalior ratione talis entis: ergo ab ea præcindit objectivè. Patet consq. alioqui idem conceptus esset prior & posterior. Patet deinde min. quia ista prædicatio: *substantia est ens*, formalis est, & superioris de inferiori. Resp. 1. instando: quia in unoquoque prius est, quòd sit ens, quàm quòd sit ens reale: ergo conceptus entis objectivè præcindit à reali & rationis, alioqui idem conceptus erit prior & posterior se ipso. Resp. 2. neg. maj. in sensu arguentis, quòd nempè in re ipsa aliud sit ratio entis, & talis entis; siquidem enim ipsa taleitas aliquid est, ipsa est ratio entis. Resp. 3. dist. min. Prior est metaphisicè & ex parte objecti, neg. min. quia sic neque alia est: prior est logicè & penes conceptus explicitos, conc. min. & neg. consq. quo enim sensu est idem conceptus, nempè objec-

jectivè, non est prior; illa autem prædicatio tãtùm logicè & penès conceptus explicitos est formalis, metaphisicè verò est identica; ens enim absolutè dictum ipsa est substantia.

59 Arg. 13. ex eodem: Non minus conveniunt homo & leo in ratione entis, quam in ratione animalitatis; sed in ratione animalitatis habent unum conceptum communem objectivè præcisum: ergo & in ratione entis. Conf. Ratio animalis in se includit rationem entis; at homo & leo plenè conveniunt in ratione animalis: ergo & in ratione entis. Resp. 1. quòd eodem modo conveniunt in ratione entis ut præcindit à reali & rationis, quarè tam arg. quàm ejus conf. instatur. Resp. 2. directè neg. conseq. non enim cò ratio animalis præcindit ex parte objecti, quia convenientiam accipit intellectus, sed quia illi respondet in re concepta formalitas communis perfectibilis per aliquid extra ipsam; quamvis autem in ratione entis convenientiam accipiat intellectus, non autem sibi respondet formalitas objectiva, sed tota quidditas in confuso, nempè in quolibet rei prædicato aut formalitate ipsum esse includitur. Resp. 3. neg. maj. conveniunt enim in ratione animalis tanquam species ipsam rationem proprijs differentijs diversificantes; at verò non ita comparantur ad rationem entis, non enim ipsum ens diversificant.

90 Arg. 14. ex eodem: Ratio entis non includit differentiam Deitatis v. g. ergo objectivè præcindit. Prob. ant. Ratio entis formalissimè adæquatè prædicatur de creatura, est enim vera hæc propositio *homo est ens*; sed non posset de creatura prædicari, si includeret differentiam Deitatis: ergo. Hoc arg. jam supra solutum est: neg. itaque ant. Ad cujus prob. dicitur, quòd sicut de accidente non prædicatur ens creatum dictum simpliciter, quia non est ens nisi quia entis & per attributionem ad substantiam, quarè tale ens dictum absolutè ipsam significat substantiam, quę propriè est & esse habet, quarè ipsum ens implicitè & in confuso involvit ex parte objecti differentiam perfectitatis, & accidens propriè non est, nisi quatenus illius, quod est, est perfectio aliqua; ita de substantia dici debet comparativè ad ens simpliciter & ut cõmune accipitur creato & increato, non enim ens est, aut esse habet, nisi per attributionem ad increatum, cujus est participatio quadam; quarè ens simpliciter dictum differentiam involvit Deitatis, & esse propriè & simpliciter soli competit Deo, & ipse se ipsum definit per ipsum esse.

*** *** ***

§. IV.

Consectaria quædam ex dictis.

61 AD alia quædam, quæ hic dubitantur, colligitur ex dictis solutio. Quod enim ens transcendit differentias suas, jam supra præmisimus; quidquid enim assignetur determinativum entis, non poterit esse nihil; quandoquidem autem nihil est quod esse non habet, quod non est nihil, esse aliquod habet proculdubiò, & proinde ens aliquod erit: sive ergo entalitas, sive ens *quo*, aut in quale, aut quovis alio modo dicatur, ens id est, & ipsum ens includit, de quo quæritur, nempè ut significat esse in re communissimè acceptum. Dubitationem deinde extendunt Scotistæ ad ultimas rei cujuslibet differentias: dicitur differentia non ultima, quę aut ab alia forma sumitur, aut si ab eadem, à qua sumitur genus, non ab ultima ejus realitate; ultima verò differentia est, quæ ab ultima formæ realitate sumitur; tunc autem dicunt, quòd in ultimis differentijs nõ includitur ens, benè autem in reliquis. Ratio autem est, quia ultima differentia est purè ratio differendi; si autem ens includeret, non esset purè & tantùm ratio differendi, sed etiam conveniendi, conveniret nempè cum quovis alio in ratione entis.

62 Nos in primis multiplicitatem formarum in Phis. rejecimus, quarè quęlibet differentia ab eadem forma sumitur, à qua sumitur genus, alioqui non metaphisicam, sed phisicam cõpositionem faciet, neque eandem quidditatem sed aliam significabit: est enim forma ratio quidditatis. Deinde: In forma non esse aliam & aliam realitatẽ, in Logica possuimus, ubi statutum est, gradus metaphisicos non aliud & aliud in ipsa forma realiter significare, forma enim est in indivisibili essentia consistens, ut dicitur in lib. de sex princ. sed eadem forma secundùm quod aliam & alium effectum tribuit subjecto suo dicitur alium & alium gradum perfectionis habere, quatenùs fundamentum tribuit intellectui, ut alium & alium de ipsa conceptum formet; in ipsa verò indivisibiliter illud idem quo hunc effectum tribuit, est quo tribuit omnes alios. Insuper: in Logica item statuimus, quòd ultima differentia est nobis ignota, quarè de illa tantùm loqui possumus in abstracto & metaphisicè.

Ex dictis itaque colligitur, quòd idem de ultima differentia dici debet, ac de quavis alia, nulla enim poterit excogitari, quæ sit verè differentia, & determinatio rei, quin aliquid sit, & aliquod esse habeat quantum sufficit ut excludat nihil; hoc autem est ens de quo quæritur, quarè quælibet includit ipsum ens. Moti-

tivum autem in contrarium æquivocatione nititur: dicitur enim ultima differentia pura ratio conveniendi metaphisicè, hoc est, quæ simplicem formalitatem metaphisicam dicat ita ultimam, quę nullam habeat, qua sit contrahibilis; ut autem sit simplex formalitas, ita ultima non obstat, quòd rationem entis includat, hæc enim non est formalitas cùm ergo dicitur, quòd ultima differentia nullomodo est ratio conveniendi, intelligitur convenientia univoca & in linea metaphisica. Ex quo argumentum regeritur in cõtrarium: patet enim, quòd quælibet res aliquid habet, quo ultimò differt ab omni non ipsa; at si ens ita præcindit, quòd sit ratio communis univoca, ex perfecta enim præcisione hoc sequitur, nihil poterit in re esse, quo ultimò differat: ergo: Patet hęc min. quidquid enim assignaveris aliquid est, vel si mavis aliquitas: ergo hoc conceptu convenit cum ultima differencia alterius, quæ etiam est aliquid, vel allquitas: restat ergo dicere, quòd hæc est conveniẽtia analoga & solius conceptus expliciti, quę non tollit, quin sit illa differentia ultima formalitas metaphisica.

63 Alterum ad hoc idem arg. adducit Mast. quod eò quòd ad hominem procedit, multi ipse facit: modus enim communiter ponitur afficere & determinare rem modificatam, ab ea distingui, & extra ipsam esse; & tamen non est res aliqua, neque proinde omninò nihil, sed tantùm aliquitas, seu entis obliquitas: eodem ergo modo dici potest de eo, quo determinatur ens, quod nẽpè extra ipsum est, & tamen non est omninò nihil, & sicut de modo dici ur, non aliquid sed aliquitas, & medium inter ens & nihil. Idem specialiter potest confirmari ex eo, quòd nos dicimus de relatione: determinat nempè & constituit realiter aliud; nec tamen realitatem aliquam importat, aut compositionem facit cum eo quod determinat.

64 Resp. 1. quòd modus, ut q. seq. dicemus de distinctione modali, nihil omninò addit in re supra subjectum, sive rem, quæ modificatur, sed est ipsa res aliter se habens ex conjunctione ad id, quo modificatur; est enim modus determinatio proveniens ab altero. Idem dicimus ad conf. relatio non est aliquid in re supra fundamentum suum, sed est ipsa ejus realitas, quæ ad alterum se habet, quare utrobique causa diversitatis est in illo altero, sive à quo causatur modus, sive ad quod est relativum; atverò in proposito illa entis differentia ponitur esse aliquid extra, & prẽter conceptum entis. Resp. 2. quòd modus non comparatur ad ipsum esse communissimè acceptum, sicut comparatur differentia entis, sed ad tale particulare

ens, sive magis determinatè esse habens, idem posset dici de relatione; stat autem medium inter nihil & ens tali particulari modo acceptum, non verò inter nihil & ens acceptum communissimè ut opponitur nihilo: licèt ergo modus, aut relatio non sit aliquid tali speciali modo, neque proinde nihil, sed medium inter utrumque, non id potest dici de differentia entis.

65 Colligitur deinde ex dictis ad aliud, quod item docèt Scotistæ, & habet Mast. q. 6. art. 2. quód nempè aliter concrahitur & determinatur ens ad Deum & creaturas, aliter verò ens creatum ad substantiam & accidens; nempè ens ad creatũ & increatũ non per differẽtias, sed per modos intrinsecos determinatur; creatũ verò ad substantiam & accidens per veras differentias. Motivum autem sic discurrendi totum refunditur ad excludendam compositionem in Deo; si enim per veram differentiam poneretur contrahi, sequitur in Deo compositio ex hac differentia, & ratione, quæ per illam contrahitur.

66 Sed in primis: hoc inconveniens non vitatur: aut enim cõceptus entis præcindit ex parte objecti à creato, & in creato; aut non, sed tantum ex parte actus, & penes conceptus explicitos: Si hoc 2. dicitur, idem dici debet de conceptu entis creati ad substantiam & accidens: sicut enim ab alio esse non dicit ex parte objecti conceptum alium ab ipso esse, sed esse creaturæ se ipso objectivè est ab alio, & tantùm actus intellectus præcindit & distinguit illa duo, quatenus confusè concipit ipsum esse; ita in alio esse non dicit ex parte objecti conceptum alium ab ipso esse accidentis. Si autem dicatur alterum; ex parte objecti, sive in ipso objecto duo sũt ab alio esse, & esse, duo pariter esse, & à se esse; sed compositio est duorum unio: sivè ergo differentia dicatur, sivè modus, compositio non excluditur. Adde, quòd illud esse sic præcisivè conceptum non Dei est, sive non Deus, concipitur enim sine aseitate.

Deinde: ens ad substantiam & accidens genus erit, nempè differentias habet, quòd soli cõpetit generi; id autem expressè negat Phil. supra adductus. Præterea: differentia perfectionem metaphisicam addit ei, cujus est differentia, hoc enim nomine differentiæ significatur, actualitas metaphisicæ compositionis; sed enti nihil potest addere metaphisicam perfectionem: non ergo differentias habet ens. Min. ex jam dictis patet, quod enim alteri addit, aliud est ab ipso, neque enim idem sibi ipsi additur; at ab ente communissimè accepto nihil potest esse aliud, ens enim sic communissimè acceptum id

totum intra se ambit, quod non est nihil, si quidem de hoc quæritur, de ente, quod opponitur nihilo: si enim aliqua ratio entis accipiatur inferior & magis determinata, quàm illa, quæ extremè opponitur nihilo, tunc duæ sunt rationes entis, & utraque ens est, & esse habet: debet ergo alia ratio entis accipi utrique communis, & itur in infinitum, hæc enim etiam ens est.

67 Colligitur itaque ex dictis, quòd non aliter de determinatione conceptus entis ad Deum & creaturas, ac ad substantiam & accidens loqui debemus: sicut enim aseitas ipsum esse Dei includit, & est mera expressio ex parte objecti impræcindibilis á conceptu entis, quarè dicitur modus intrinsecus; ita per se esse, sive in se ipsum includit esse substantiæ; quare perseitas debet pariter dici modus intrinsecus & impræcindibilis ex parte objecti, & qui tantùm præcinditur penes expressionem conceptus nostri. Quod poterit ex alia entis divisione patere: sicut enim completum aut incompletum non aliquam differentiam addunt ipsi enti, quod se ipso & ipsa sua entitate completum est, aut incompletum, illa autem præcisio, qua esse accipitur, & completum esse, aut incompletum, solius est intellectus, non vero objecti, alioqui rationem incompleti deberemus concipere ut perfectionem & actum, ita dici debet de per se, & in alio.

68 De alia entis divisione in positivum & negativum nō nihil est controversiæ, an nempè accipi possit conceptus ētis utrique communis, ita quod negativum verè contrahat ens? Mast. q. 9. ex Pasqualigo citat B. D. pro sent. affirmante in 2. dist. 34. q. 1. art. 3. ad 4. & non nullos alios. Motivum esse potest, quòd re ipsa & nullo cogitante intellectu dantur à parte rei negationes & privationes: ergo aliquam important entis realis determinationem. Rursus: privatio est principium entis in fieri: non ergo est omninò nihil. Præterea: id apertè habent verba B. D. sic enim ait. *Ad 4. dicendum, quòd in rebus non solùm sunt res, sed etiam sunt in eis privationes rerum, & sunt tales privationes reales.*

69 Levissima quidem & nullius ferè difficultatis hæc controversia est, quam proinde hìc subjicimus. Communis ergo sent. docet, quòd ens ad positivum & negativum æquivocè & sola voce commune est, sicut ad reale & rationis. Negativum enim non esse dicit, sive ipsius esse carentiam. Motiva autem in contrarium facilè solvuntur. Ad 1. dicitur, quòd in re est negatio, non verò in re est aliquid: dicitur ergo ens rationis, quatenus intellectus accipit ad modum entis,

sive

sive ipsam carentiam apprehendit, ita quòd cum re faciat numerum. Ad 2. nostra sent. non privationem, sed rationem seminalem loco ejus ponit, ut in Phis. patuit; dicendum autem, quòd privatio dicit carentiam, & connotat aptitudinem in subjecto, quod carere dicitur; quatenus autem illa aptitudo quid reale est, & positiva capacitas subjecti, potest ipsa privatio dici principium ipsius fieri, sive motus, & hoc sensu ait B. D. quòd est in re, & quòd est realis privatio, non quòd aliquid sit, sed quia reipsa subjectum non habet id, quod aptum est habere, quod nihil est præter subjectum & capacitatem ejus.

ARTICVLVS IV.

An ens univocum sit, vel purè analogum?

§. I.

Referuntur sententiæ.

70 ENs esse analogum omnes supponunt, uno excepto Pasqualigo, qui contra expressam Phil. sentẽtiam id negat; sed quandoquidem eo tantùm ipse nititur, quod ens dicit purè univocum, statuto univocationem non habere, ejus analogia relinquitur: quæritur ergo, an sit purè analogum, vel admixtam habeat analogia univocationem? Pro cujus expeditione triplicem Scotistæ univocationem assignãt; phisicam, methaphisicam & logicam; phisica univocatio est, cui una quidditas perfectè æqualis in re extra respondet; hoc enim videtur nomine univocationis significari, unitas rationis significatæ per vocem: hæc tantùm reperitur in specie specialissima, quarè ait Phil. in 7. Phis. tex. 31. quòd latent in genere æquivocationes, nempè phisice & in re extra sola species infima habet plenam æqualitatem quidditatis. Univocatio metaphisica est, cui una quidditas respondet æqualis in omnibus in conceptu metaphisico & formalitate præcisa per intellectum: hæc est univocatio generis; animal enim ut est in re extra inæqualitatem habet, & multa significat, nempé animam hominis, equi, leonis, & aliorum; ut verò virtutem sentiendi accipit intellectus metaphisicè & precisivè, una est quidditas æqualis in omnibus.

Logica univocatio est unitas conceptùs in ordine ad fundandam unam intentionem & modum prædicandi, de quo tantùm curat Logicus, non enim de eo quod est phisicè aut metaphisicè, sed de intentionibus & prædicationibus ipse agit; & quia ad hoc sufficit unitas conceptús expliciti, & secundùm præcisionem formalem, quidquid sit de quidi-

ditate ipsa metaphisica in hoc tantùm conceptu accipitur univocatio logica. Deinde univocationem subdividunt in perfectam sive completam, & imperfectam, aut incompletam: completa seu perfecta univocatio dicitur, quæ importat non solùm unitatem rationis significatæ, sed etiam modi essendi, ordinis & gradus perfectionis; incompleta verò, quæ importat quidem unitatem rationis significatæ, mixtam verò cum inæqualitate quadam, aut secundùm modum essendi, aut secundùm ordinem essentialem, aut secùndum gradum perfectionis, quarè prior univocatio pura est hæc verò posterior secum cõpatitur analogiam, ut patet in conceptu generis.

71 In primis supponendum est, de univocatione logica nullam esse controversiam: sicut enim nullus dubitat de conceptu entis explicito, & penès præcisionem formalem unum esse, ita nullus dubitat de ejus univocatione logica; accipit enim intellectus conceptu explicito ens & esse, qui quidem conceptus sicut unus est, ita uniformiter substantiæ & accidenti attribuitur: tota ergo controversia est de quidditate metaphisica, & conceptu objectivo, pro quo illa divsio univocationis perfectæ & imperfectæ excogitata est. Deinde: hęc imperfecta univocatio omninó subsistineri non potest: quidditas enim, quæ una cõcipitur, & proinde univocationem habere, concipitur perfectè & ex parte objecti præcisa à differentijs suis; sed ex differentijs habet illam inęqualitatem in gradu perfectionis: si ergo univoca concipitur, perfectè & completè univoca est, nec potest una accipi, & tamen inæqualis in gradu perfectionis.

Explicatur: aut animal accipit, ut intellectui objicitur virtus sentiendi & nihil amplius; aut illud accipis ut in re respondet virtus sentiendi cum determinatione ad hoc vel illud: Si priori modo, una quidditas est & univocationem habet; patet autem, quòd, sicut perfectè præcinditur à differentijs determinantibus, ita perfectè & omninò una quidditas est & nullam in se inæqualitatem dicit, quarè est perfectè & completè univoca univocatione metaphisica: Si autem animal accipis ut sibi respondet in re virtus sentiendi, sic inęqualitatem habet in gradu perfectionis, est nempè virtus sentiendi hominis aut equi; at ex hoc ipso patet, quòd non una sed multiplex quidditas est, quarè omninò non habet univocationem: non ergo accipi potest illa imperfecta univocatio, sed aut nulla, aut perfecta phisicè, vel metaphisicè.

Si itaque ipsi volunt conceptus entis perfectè præcisum à determinantibus ipsum, perfectè illum debent ponere præcisum

ab

ab eo, ex quo habetur inæqualitas, hæc enim ex determinatione habetur ad creatum aut in creatum, substantiam aut accidens, quarè illum debent ponere perfectè univocum metaphisicè, & sic nullomodo analogum, genus propriè tale, & extremum metaphisicè cõpositionis, quæ omnia non admittunt: si autem volunt in ipso conceptu entis haberi in æqualitatem in gradu perfectionis, aut modo essendi, oportet, quòd talis conceptus non præcindat perfectè & ex parte objecti à determinatione ad tale vel tale, ex qua habetur illa inæqualitas, & tunc sola relinquitur univocatio logica conceptùs expliciti, & in præcisione formali, in quo convenimus.

72 Deinde: quod dicunt illam univocationem imperfectam cum analogia mixtam reperiri in conceptu generis, falsum etiam est; pro cujus explicatione quidditatem analogiæ oportebit aliqualiter expendere, de quo, quamvis in Log. disp. 4. à n. 20. satis egimus, quia tamen ad propositum præsentis controversiæ non parum refert, iterum aliqua attingemus. Itaque analogia quãtùm ad vim vocis magis æqualitatem significat & similitudinem, quàm inæqualitatem: dicitur enim ab *ava* præpositione disilaba, quæ in compositione significat idem quod *in*, & *logos*, quod est ratio, quasi in ratione convenientia, aut confimilis ratio, quarè cõmuniter pro similitudine & proportione usurpatur; atverò apud Philosophos proportionem significat non præcisè similitudinis, sed cujuscumque attributionis, & quodcumque tale dicitur ex dependentia aut qualicumque ad alterum attributione, dicitur ex analogia ad illud, & convenientiam habet analogam: hinc ait B. D. q. 1. de esse & essent. quòd numquam analogum dicitur sine attributione, & addit, quòd, qui hoc nescit, naturam analogiæ ignorat.

Hinc deducitur, quòd unitas analogi non est communitatis & prædicationis, sed alterius generis ab unitate univoci, nempè attributionis; etsi enim quandoque communitatem habeat ratio analoga, quando nempè in utroque reperitur, scilicet, in principali, sive analogante, & in minus principali, sive analogato, ut contingit in ratione entis; de materiali est hæc communitas, non enim minus principale tale dicitur propter rationẽ illam, quam, in se habet, aut non propter illã in se acceptam, sed ut principali attributam, v.g. accidens non dicitur ens propter esse & entitatem, quam in se habet, ut in se illam habet, sed ut substantiæ attribuitur, quatenus nempè est aliquid ejus, quod intendit Phil. cùm ait, quòd non est ens nisi quia entis.

Hinc

Hinc aliqua in eadem ratione uno modo dicuntur æquivocè, alio modo secundùm analogiam; si enim attributio unius ad alterum circunscribatur, multiplicitas tantùm rationis significatæ relinquitur, quarè tantùm habent nomen commune, ut homo de vero & picto; si autem attributione dicatur, ut homo pictus dicatur homo propter ipsam rationem, quę est in homine vivo, quam significat, tunc dicitur analogicè eàdem ratione, qua sanum dicitur de pulsu, eò quod hominis sanitatem indicat. Non sola itaque inæqualitas sufficit ad analogiam, sed ultra requiritur illa attributio ad unum, quarè Phil. hoc nomine analoga significat, nempè, *quæ ad unum*, ut patebit inferius, & S. P. cit. in Log. disp. 4. n. 25. analoga dividit in *ad unum*, & *ab uno*.

73 Relinquitur ex his, quòd inæqualitas illa, quæ in speciebus reperitur secundùm gradum perfectionis in ipsa ratione generica non facit ullomodo analogum; quamvis enim inferior sit in gradu perfectionis equus quàm homo, non tamen ex attributione aut analogia ad hominē tale dicitur Adde, quòd illa inæqualitas non est in ipsa ratione generica, quæ deberet dici analoga; quod enim equus inferior sit in gradu perfectionis specificæ, non arguit, quòd inferior sit in ratione sensitivi, aut quòd minus perfectam habeat virtutem sentiendi, imò, oppositum experimur, in virtute enim sensitiva frequentissimè nos bruta excedūt. Reliuquitur item, quòd analogia est 3. species convenientię inter univocationem & æquivocationem; univocationi enim numquam immiscetur analogia, nisi secundùm aliam rationem, ut quæ univocationem habent purè logicam, posunt esse phisicè aut metaphisicè analoga; æquivocationi autem aliquando conjungitur, numquam autem immiscetur; & si enim aliqua uno modo æquivocè, alio autem analogicè in eàdem ratione dici possint, ut homo de vivo & mortuo, de vero & picto, jam patuit, quòd ex alia ratione & acceptione dicitur; ex pura enim similitudine quantum ad figuram corporis & lineamenta externa dicitur æquivocè; ex attributione verò, quatenus significat, aut quoquomodo indicat, dicitur analogicè.

74 Prima itaque sent. docet, quòd ens est analogum univocū, seu univocationem habet metaphisicam & conceptus objectivi, sive formalitatis, imperfectam tamen & mixtam cum analogia attributionis & inęqualitatis in gradu perfectionis; accidens enim entitatem quidem habet univocè cum substantia, imperfectiorem tamen, & ipsi substiæ attributam. Hujus sen-

thor censetur Scotus, quem sequuntur Scotistæ & alij, qui perfectam præcisionem conceptùs entis propugnant, paucis exceptis, qui cum perfecta præcisione conceptus objectivi puram analogiam tenent, quibus præit P. Suar. disp. 32. Met. sec. 2. Secunda sent. docet, ens esse purè analogum, neque ullam omninò univocationem habere metaphisicè & in cõceptu objectivo. Hanc tenent Thomistæ communiter, & nostri cum B. D. & alij, qui perfectam præcisionem negant, quibus adhæret P. Suar. loco citato, & alij. nonnulli.

Tertiam sent. mediam quodammodo inter utramque præcedentem cõminiscitur de mente Resol. Elis. dist. 1. q. 9. art. 2. docet, quòd ens in statu præcisionis est neutrum, hoc est, neque univocum neque analogum, sed unitatem habet majorem unitate univoci; in statu verò comparationis analogũ est. Sensus ejus est: quòd unitas univoci, aut analogi, sive etiam æquivoci ad multa dicitur; at ens in statu præcisionis non comparatur ad multa: neutrum ergo est. Deinde ex hoc ipso deducitur, quod illa unitas cõceptus entis in hoc statu major est unitate univoci, & minor unitate singularis: quia unitas univoci est ad multa; at unitas entis in illo statu non est ad multa: ergo major est. Rursus: unitas singularis non solùm non est ad multa, sed esse ad multa repugnat; at unitas entis, licèt non sit ad multa in illo statu, esse tamen ad multa non repugnat: ergo minor est.

75. Hæc 3. sent. in primis nihil ponit speciale de ente: quodlibet enim genus in illo statu, quem ipse dicit præcisionis, hoc est, secluſa comparatione ad inferiora sua, nõ est eodem modo ad multa, quarè dici debet eodem modo neutrum, & unitatẽ habere majorem unitate univoci. Deinde: unitatem mediam inter unitatem univoci & singularis nullus hucusque agnovit; se habent enim sicut esse & non esse divisibile: aut ergo est divisibilis in plura ille conceptus, ita quòd sibi non repugnat dividi, & hęc est unitas univoci; aut est indivisibilis & dividi repugnat, & hæc est unitas singularis. Explicatur: esse, aut non esse positivè & in actu ad multa, obstat quidẽ ad positivam communitatem & universalitatem, se habet autem de materiali ad hoc ut ille conceptus in sua quidditate absoluta habeat aut non habeat repugnãtiam divisibilitatis; at in hac repugnantia divisibilitatis, quæ est indivisibilitas, consistit unitas singularis: si ergo in sua quidditate illam repugnantiam habet conceptus præcisus, unitatem habet rei singularis; si autem illam repugnantiam non habet, unitatem habet rei communis, licèt non

non habeat positivam communitatem.

Præterea: falsum est quod assumit, quòd nempè conceptus entis in statu præcisionis non sit ad multa: Si enim in illo statu præcisionis non habet repugnantiam ut determinetur ad substantiam, vel accidens, in sua quidditate indifferentiam habet ad utrumlibet, & in se aptum est hac aut illa differentia determinari: licèt ergo logicè & per positivam comparationem non sit in actu ad multa, metaphisicè tamen, & per aptitudinè suæ quidditatis natum est ad multa determinari, & per hoc quòd actu non determinatur, se habet uniformiter ad utrumlibet, quarè metaphisicè est univocum, & sic illa sent. nihil differt à 1. Ad motivum dicitur 1. quòd ens non habet conceptum perfectè præcisũ, ut patuit art. præc. Dicitur 2. hoc misso, quòd se habere ad multa non ad unitatem, sed ad communitatem univoci requiritur. Dicitur 3. quòd conceptus in illo statu præcisionis non se habet ad multa logicè & per positivam comparationem intellectus, se habet tamen metaphisicè & per aptitudinem suæ quidditatis. Vide dicta in Log. disp. 2. à num. 113. de unitate negativa naturæ universalis.

*** *** ***
*** ***
***

§. II.

Probatur nostra conclusio.

76 DIcendum, quòd ens est purè analogum ad inferiora sua. Prob. 1. ex Phil. in 4 Met. cap. 2. quo sic incipit: *Ens autem multipliciter quidem dicitur, verum ad unum, unamque quandam naturam, & non æquivocè, sed quemadmodum omne sanum ad sanitatem, quoddam eò quod conservat, quoddam eò quod facit, quoddam eò quod signum sanitatis.* Intendit ergo, quòd de ente una est scientia, quæ de omni ente agit, & ait, quòd licèt ens non dicatur secundum unum, hoc est univocè, quia tamen semper dicitur ad unum, hoc est analogicè, hoc sufficit, ut de omni ente una sit scientia; & exemplificat de sano; non enim omnia sana dicuntur secundùm unum, sed alia quia sanitatem habent, ut homo; alia quia causant, ut cibus; alia quia indicant, ut pulsus & urina; quia tamen omnia per attributionem dicuntur ad sanitatem hominis, una scientia, quæ agit de sanitate hominis, de omnibus illis agit, & ea sufficientem ad hoc unitatẽ habent; quarè statuto, quòd ens de substantia dicitur per se, & quia ipsa ens est, de alijs verò quoniam passiones sunt, aut via ad substantiam, concludit:

Quemadmodum igitur sanorum omnium una scientia est, ita & de cæteris est. Non enim solùm eorum, quæ secundùm unum dicuntur, verùm etiam eorum, quæ ad unam naturam dicuntur unius scientiæ est speculari; etenim hæc etiam quodammodo secundùm unum dicuntur.

77 Clarissimus quidem hic locus est, & qui nulla indiget expositione. Ad illum nihilominus Scotistæ respondent, quòd analogiam entis statuit Phil. quam ipsi non negant, nempè mixtam univocatione; ait enim, quòd etiam quodammodo ista dicuntur secundùm unũ, hoc est aliquam etiam habent univocationem. Sed hanc expositionem apertè esse contra Phil. sensum de facili patet: 1. eodem omnino modo de ente loquitur ac de sano, ut legenti tex. patet; at sanum nullus dicit ita analogum esse, quòd admixtam habeat univocationem: ergo. 2. Si intenderet, quòd ens aliquam habet univocationem, non diceret, quòd eó de omni ente est una scientia, quia omnia ex attributione ad unum dicuntur, sed magis, quod quamvis multipliciter & inæqualiter, quia tamen omnia rationem entis in se habent, de hac una scientia agit, sicut de quolibet genere; at ad attributionem ad unum ipse recurrit: non ergo aliam unitatem agnoscit.

Præterea: quòd iste sit sensus ejus, patet ex his, quæ subjungit, ait enim: *Patet itaque unius esse & entia prout entia speculari; ubique autem propriè primi, & ex quo cætera pendent, & propter quod dicuntur, scientia: quodsi hoc substantia est, oportet profectò, ut substantiarum principia & causas Philosophus habeat.* Ens de omni quidem ente Metaphisica agit, quia tamen de substantia per se, de alijs verò non nisi quatenus ad substantiam pertinent, & propter ipsam, quia non nisi propter ipsam dicuntur, nempè entia, oportere ait substantiæ principia speculari: quod ergo ait dici quodammodo secundum unum, non aliqualem univocationem, sed unitatem indicat sufficientem, ut de illis sit una scientia; ad quid enim ut causalem induceret aliqualem univocationem, si non ratione hujus, sed tantùm ratione attributionis ad unum de illis agit una scientia?

78 Prob. 2. ex eodem Phil. in 7. Met. cap. 4. quo hoc idem clarius habet, ait itaque sub finem: *Etenim ipsum quid est, uno quidem modo substantiam & quod quid significat; alio verò singula eorum, quæ prædicantur, quantitatem, qualitatem & cætera talia. Quemadmodum enim & ipsum EST inest quidem omnibus, non tamen similiter, sed huic quidem primò, illis verò consequenter;*

ter ; *ita & quod quid est simpliciter substantiæ , cæteris verò quodammodo.* En directè intendit univocationem excludere , sive uniformitatem, quòd nempè ens secundùm eandem rationem dicatur de substantia & reliquis.

79 Sed hunc item locum non solum exponit Mast. quatenus ostendat nobis non favère, sed intendit magis pro se esse:exponit quidem,quia simpliciter & secundùm quid nequeunt univocationem habere, quando secundùm quid est additum omnino distrahens ; quando verò est additum tantùm diminuens , tunc sicut relinquit verè rationem ipsam , quę in alio est simpliciter, ita relinquit locum univocationi , licèt imperfectæ & mixtæ propter illam inequalitatem ; & hoc 2. modo dicitur ens simpliciter de substantia , & secundum quid de accidente. Deinde pro se esse illum locum ait ; ait enim Phil. quòd rectiùs dicitur ad unum,sicut medicinale:ergo rectè dici potest secundùm unum. Rursus concludit Phil. quòd sic vel sic dicere nihil differt : ergo utrumque enti convenit, & quòd univoce , & quòd analogicè dicatur.

Sed verba ipsa tex. omnem ambiguitatem excludunt , ait itaque: *Oportet etenim, aut æquivocè ita esse , aut cum additione, vel ablatione , sicut & quod non scibile ; nam rectiùs est neque æquivocè dicere , neque eodem modo , sed quemadmodum medicinale , quod ad idem quidem & unum , non autem idem & unum, non tamen etiam æquivocè , nullum etenim medicinale corpus, opus , & vas dicitur æquivocè, neque secundùm unum , sed ad unum . sed hęc quidem quomodocumque dicere quis velit, nihil differt.* En ait , quòd oportet æquivocè dici , aut analogicè ; & subjungit, quòd rectius est neque æquivocè , neque univocè , aut eodem modo dicere , sed tantùm analogicè sicut medicinale ; quia tamen ad propositum suum hoc tantum refert , quod non univocè dicatur , & æquè simpliciter, concludit , quòd sive æquivocè, sive analogicè dicere nihil differt : non ergo ex ly *rectius* deducitur , quòd rectè dici posset univocum , hoc enim excludere intendit , sed quòd dici posset æquivocum , sed rectius est neque æquivocum nequè univocum dicere , sed tantùm analogum; similiter ly *quomodocumque* non ad analogum, aut univocum, sed ad analogum , aut æquivocum refertur.

80 Patet itaque , quòd expositio non est sufficiens in proposito ; tùm quia directè intendit Phil. excludere univocationem ; tùm quia additum diminuens non tollit univocationem , quando id , quod secundùm quid & minus perfectè dicitur,

tur, dicitur in se & per se tale; in proposito autem, licèt accidens verè habeat aliquod esse, non tamen ens dicitur propter illud esse, quod habet, sed propter esse substantiæ, & ex attributione ad ipsam, quatenus nempè est aliquid ejus. Ratio autem est: quia quod dicitur secundum quid tale, aut præcinditur metaphisicè & objectivè à determinatione, vi cujus habet esse imperfectum; aut in ipsa ratione talis transcendenter & intransitivè habet secundum quid dici: si hoc posteriori modo tantùm ex attributione poterit dici, & nullomodo poterit accipi univocatio & uniformitas metaphisica; est enim univocatio, unitas quidditatis importatæ per vocem; si autem quidditativè importat unumquodque determinationem ad perfectum, aut imperfectum esse, patet, quòd non poterit accipi una quidditas communis: si autem metaphisicè & objectivè præcinditur à determinatione, tum metaphisicè ita habet univocationem, quòd nullomodo inæqualitatem & analogiam; excluditur enim metaphisicè id, ex quo inæqualitas habebatur, quarè plenam indifferentiam & uniformitatem habet quidditas præcisa: aut ergo ens importat conceptum ex parte objecti præcisum, aut non: si 1. ille conceptus secluſa determinatione puram habet in se uniformitatem, excludit nempè id, quo magis se habet ad unum, quàm ad alterum, quarè est purè univocum: Si autem dicatur 2. in conceptu suo importat difformitatem, quarè nullomodo est una quidditas, & conseque ater est purè analogum.

81 Prob. 3. ex eodem Phil. lib. 11. Met. cap. 3. quo sic incipit: *Cùm autem Philosophi scientia sit entis prout ens universaliter & non secundùm partem, ens verò multipliciter & non secundùm unum modum dicatur, si æquivocè & non secundùm aliquid commune dicitur, non est sub una scientia; talium enim non est unum genus. Quodsi secundùm aliquid commune dicitur, erit utrique sub una scientia. Videtur autem prædicto modo dici quemadmodum medicativum & salubre.* Quibus verbis apertè idem intēdit, quòd nempè ens multipliciter dicitur, ita quòd non uno modo, hoc est univocè, quarè ut de eo possit esse una scientia oportet, quòd non ita multipliciter dicatur sicut æquivocum, sed ita multipliciter sicut univocum, & subjungit, quòd hoc modo dicitur, nempè ut medicativum, & sanum. Idem habet lib. 12. cap. 4. & sæpe alibi, ubique enim ait dici sicut sanum; sanum autem sic est analogum, quòd nullomodo univocum.

Prob.

82 Prob. 4. authoritate simul B. D. & ratione, quę in ea includitur: in 4. Met. q. 3. quærit B. D. de pręsenti difficultate, an nempè ens sit ęquivocum? Pro eodem enim accipit æquivocum, ac analogum ad propositum, intenditur namq, an aliquam habeat univocationem? Resolutionem suam hoc discursu probat: Forma, sive ratio significata per nomen, aut una est, aut multiplex; & si quidem multiplex est, nomen dicitur æquivocè, ut homo de vivo & mortuo: si autem una est ratio significata, tunc aut illa æqualiter reperitur in omnibus, & dicitur univocè, ut homo, in omnibus enim æqualiter reperitur humanitas; aut reperitur inæqualiter, & hoc duobus modis potest esse: altero, ita quòd simpliciter & sine addito dicatur de quolibet, ut animal inæqualiter quidem dicitur de homine & equo, perfectior enim est homo, ita tamen quòd de equo dicitur simpliciter & sine addito animal, & hujusmodi inęqualitas non tollit univocationem, imperfectum enim tale dicitur ex se, & non ex attributione ad alterum, & talis est univocatio generis: altero, ita quòd de uno dicatur illa ratio simpliciter & sine addito, de altero verò non nisi ex attributione ad id, quod est tale simpliciter, & hujusmodi inæqualitas tollit omninò univocationem & reddit analogum; sed ens hoc posteriori modo significat unum esse: ergo.

Utramque hujus discursùs præmissam supponit B. D. & utraque ex dictis patet: Maj. quidem, quia si id quod est tale secundùm quid & minus perfectè non dicitur tale sine addito, sed tantùm ex attributione ad alterum, tunc non dicitur tale propter rationem, quam in se habet, alioqui diceretur simpliciter & secluśa attributione ad alterum; si autem non dicitur propter rationem, quam in se habet, dicitur propter rationem alterius, cui attribuitur, & tunc ratio ipsa significata, prout ad nomen comparatur, non habet communitatem, sed alteri conveni-, alteri verò attribuitur; at est de ratione univoci illa communitas: nullam ergo univocationem habet illa ratio. Min. item pręc. discursùs patet ex dictis: licèt enim accidens aliquod esse habeat, nõ dicitur ens propter hoc esse, sed propter esse substantię cui attribuitur; tùm quia ait Phil. quòd non est ens nisi quia entis, & ut vidimus in verbis adductis n. 77. cætera propter ipsam dicuntur; tum quia, si diceretur ens propter illud esse, quod in se habet, diceretur ens in se ipso, quarè illi conveniret esse in se ipso, & sic esset substantia; unumquodque enim ens dicitur prout sibi competit esse: non ergo ens sig-

nificat esse commune substantię & accidenti, sed metaphisicè & objectivè significat ipsum esse substantiæ, quod accidenti convenit attributione.

83 Hunc B. D. discursum contra se objicit Mast. n. 110. & reponit potiùs pro se, quàm contra se esse, quod ostendit discursu suprà adducto n. 79. quia nempè quando ly secundum quid non est additum omninò distrahens, relinquit eandem rationē in eo, quod dicitur secundum quid, quarè illa inæqualitas non tollit univocationem. Sed iste discursus sufficienter rejicitur n. 80. Adde, quòd non dicitur secundum quid id, in quo relinquitur eadem ratio; patet enim de genere, in quo eandem univocationem imperfectam ipsi volunt salvare ac in ente, quod nō secundum quid dicitur de aliquo; neque enim aliquis dicet, quòd equs est secundūm quid animal: si ergo ens non nisi secundùm quid dicitur de accidente, ut ipse fatetur, non ita univocè sicut animal; at inferiorem univocationem ipse non agnoscit, est enim illa imperfecta & mixta cū inæqualitate: nullam ergo habet ens. Quod si dicat majorem esse inæqualitatē entis, quàm generis, verū id est, & eò tanta, quòd nullam relinquit univocationem.

Rationes pro hac nostra conclusione multæ adducuntur, sed quandoquidem eas sparsim in præcedentibus attingimus, velle iterum ad longum adducere, esset jam dicta iterare, tota vis ad rationem B. D. reducitur, & ad dilemma supra factum: aut præcindit ratio entis à determinantibus ipsam, aut non: si præcindit, præcinditur à tali vel tali, & consequenter ab inæqualitate, & relinquitur pura & perfecta univocatio, quam non admittunt: Si autem non præcindit, quidditativè & metaphisicè importat determinationem taleitatis, quæ est multiplex, & nullam habet univocationem, nisi tantùm logicam, & conceptus expliciti; quod autem non præcindit probatum est art. præc.

§. III.
Solvuntur argumenta.

84 ARg. 1. Mast. ex Phil. in 4. Met. tex. 2. & 7. Met. tex. 15. quem utrumque locum supra expendimus, & quæ inde deducit rejecimus: adducit deinde in 2. Met. tex. 4. quo Phil. docet id esse maximè tale, quod est causa univoca ut cætera sint talia, ut ignis, quia causa est univoca ut alia sint calida, maximè calidus est; non autem hoc potest verum esse de causa æquivoca, aut analoga, alioquí Sol maximè esset calidus, quia causa est æquivoca, ut alia sint calida: quod ergo causa est entitatis in alijs est maximè ens, si

sit tamen ens dicitur de eis univocè, non autem si dicitur æquivoce, aut purè analogicè; at Deus est causa entitatis in alijs, & maximè ens dicitur: ergo univocè.

85 Resp. 1. instando: Sanitas hominis causa est sanitatis in pulsu, sive illius ratione cujus pulsus dicitur sanus, & maximè sanus dicitur homo: aut ergo causa est æquivoca, & tunc ruit assumptum, nempè dicitur maximè talis non precisè & tantùm causa univoca, quo tota nititur ratio; aut causa est univoca, & tunc ruit conseq. quamvis enim causa sit univoca, non tamen univocè dicitur sanitas. Phil. itaque in illo tex. tantùm intendit commune principium, quod propter quod unumquodque est tale, & illud magis, ex quo nihil ad propositum. Resp. ergo 2. directè neg. min. si enim ex superioritate & eo quod dat causa univoca debet magis habere id quod dat, perfectior est causa æquivoca, quarè magis ipsa debet habere, & ita habet, nempè eminenter & secundùm altiorem formam. Ex quo itaque Deus sit causa entitatis in alijs non sequitur, quòd univocè ens dicatur, imò potiùs deberet sequi oppositum; non enim causa est univoca & ejusdem formæ, sed æquivoca, & altioris ordinis.

86 Arg. 2. ex eodem Phil. in 7. Phis. quo à tex. 24. docet, quòd non accipitur comparatio nisi in habētibus rationem unā, ut acutū dicitur in saporibus, in sonis, atq; in figura; non autem magis dicetur acutus sonus, quā sapor, quia non est in utroque eadem ratio; at accidens minus dicitur ens, quam substātia: ergo. Resp. quòd ut comparatio fiat & alterum dicatur magis tale, oportet utique quòd utrumque dicatur tale per eandem rationem; non autem oportet, quòd per eandē communitate prædicationis: accidens ergo per eandem rationem dicitur ens ac substantia, ideò comparationem habet, & minus ens dicitur; non autem quia illa ratio sit communis, quæ est unitas univoci, sed quia illa substantiæ convenit per prędicationem, accidenti verò non nisi per attributionem, quarè minus convenit.

87 Arg. 3. Analogum nequit esse purè tale & medium inter æquivocum & univocum per abnegationem utriusque extremi; sed ens non est æquivocum: sic ergo est analogum, quòd est simul univocum. Prob. maj. Inter importare aut non importare rationem significatam per vocem non datur medium; sed quod importat, univocum est, quod non importat, æquivocum: ergo. Patet maj. quia sunt contradictoria. Patet item min. quia univocum est quod significat eandem rationem in utroque. Resp. neg. maj.

Ad prob. ejus uno modo neg. maj. cum sua prob. contradictoria enim sunt de eodem secundum idem; at in proposito analogum uno modo importat, alio modo non importat eandem rationem; importat nempè quatenus accidens eàdem entitate substantiæ dicitur ens; non importat verò quatenus non dicitur per illam prædicatione, sed attributione. Aliter ad prob. neg. min. non enim sufficit ad univocationem importare eandem rationem, sed requiritur illam importare per communitatem prædicationis, sive ita quòd unumquodque dicatur tale in se & sine attributione.

88 Arg. 4. Major est unitas univoci, quàm analogi; sed major unitas secum compatitur minorem: ergo. Patet maj. quia univocum importat unam quidditatem, analogum autem, aut plures inter se proportionem habentes, aut plures habitudines ad unam. Patet item min. quia enim major est unitas speciei, quę sunt unum specie, sunt etiam unum genere. Conf. Univocatio non consistit in indivisibili, sed latitudinem patitur, & alia est completa & perfecta, alia verò incompleta & imperfecta; sed licèt completa excludat omnem analogiam, non verò incompleta: ergo.

89 Resp. quód omnia falsa sunt: in primis, falsa est maj. quia unitas univoci est unitas communitatis ejusdem rationis in utroque, unitas verò analogi est ipsa unitas analogantis, quæ ipsius est per se, analogati verò, sive minus principalis per attributionem, hoc enim tale dicitur per rationem, quæ est in principali analogante, cui attribuitur, ut pulsus dicitur sanus ab ipsa sanitate hominis, & accidens dicitur ens non per entitatem, quæ est in ipso, sed per entitatem substantię, cui attribuitur: quia ergo analogum ut tale non habet communitatem, minor est per se unitas univoci, quæ est communis. Deinde falsa est min. do enim quòd major sit unitas univoci, tunc tantùm major unitas secum compatitur minorem, quando subordinantur, ut genus & species; in proposito autem univocatio analogiæ non subordinatur, sed sunt species ex æquo diversæ. Tandem conseq. non est legitima; utroque enim dato solùm sequitur, quòd possit in aliquo reperiri analogia cum univocatione, restat autem probandum, quòd ita de facto reperiatur in ente. Quo patet ad Conf. 1. univocatio quælibet perfecta est, requirit enim perfectam præcisionem à differentijs, ex quibus habetur inæqualitas, quarè perfectam unitatem & æqualitatem importat phisicè, aut metaphisicè. 2. data univocatione incompleta restat probandum, quòd talem habeat ens. Arg.

90 Arg. 5. Ad univocationem requiritur tantùm unitas rationis significatæ pluribus cõmunis; sed talem importat ens: ergo. Maj. patet, quia in definitione univoci hoc tantùm importatur, quòd ratio significata sit eadem in omnibus: ergo quòd sit eadem æqualiter & uniformiter, non ad quidditatem, sed ad perfectionem univocationis pertinet. Min. probatam supponunt in præcedentibus. Resp. 1. quòd pariter nos probatum supponimus oppositum: Rursus: si talem habet unitatem ens, eò est quia præcindit ex parte objecti à differentijs; si autem ita præcindit, non solùm unitatem, sed æqualitatem etiam habet; sic enim præcisa non habet, quo magis ad unum quàm ad aliud se habeat, alioqui non perfectè & ex parte objecti præcinditur. Resp. 2. neg. maj. Ad prob. dicitur, quòd tantùm ponitur in definitione, quòd ratio sit eadem in omnibus, quia ex hoc sufficienter significatur æqualitas; eò enim quòd ratio analoga non æqualiter se habet ad utrumque, in definitione ejus dicitur, quòd illa ratio non est eadem, sed partim eadem, partim diversa.

91 Arg. 6. ratione, quam Mast. dicit potiorem ad stabiliẽdam veram entis univocationem: Ens genus est ad substantiam & accidens: ergo nequit ei univocatio negari. Prob. ant. Ad substantiam & accidens non dicitur ens transcendens, sed ens creatum, limitatum, & finitum: ergo nihil deficit quominus possit esse genus. Rursus: Ideò ens transcendens non est genus, quia tunc Deus comprehenderetur sub genere; sed hoc inconveniens non sequitur ex quo ens creatum sit genus ad substantiam & accidens: ergo. Præterea: Substantia non immutat intellectum nostrum per se ipsam, sed per accidentia sua, quarè nullum possemus habere conceptum quidditativum substantiæ, nisi aliquem talem possemus abstrahere ab accidente; sed ab accidente solùm possumus conceptum entis abstrahere: ergo iste genericus est ad substantiam & accidens. Prob. maj. Si substantiam per se ipsam posset intellectus noster cognoscere, posset cognoscere absentiã ejus, quarè posset in Sacramento Altaris cognoscere naturaliter, quòd non est ibi substantia panis; at hoc est falsum: ergo. Maj. patet in ipsis sensibilibus; quia enim sensibile per se ipsum, & per propriam speciem cognoscimus, absentiam ejus percipimus.

92 Mirum sanè, quòd hanc rationem potiorem dicat. In primis ea assumit, quod Phil. expressè reputat in conveniens, quòd nempè ens genus dicatur, ut art. præc. vidimus. Deinde: eò

ens creatum univocationem ponit ipse habere, quia genus est; at ens transcendens commune ad creatum & increatum genus non est: nullam ergo univocationem habet; at per ipsum, analogum non est medium inter univocum est æquivocum per abnegationem utriusque extremi: erit ergo æquivocum, quarè cum dicitur ens creatum, ly *creatum* erit additū omninò distrahens, & quod nullam relinquit rationem entis; ipse enim arguit, quòd quia ly in *alio* non est additum omninò distrahens, relinquit rationem entis licèt inæqualiter, & quia relinquit rationem entis, non tollit univocationem, quia verò relinquit inæqualiter, facit univocationē imperfectā & mixtam analogia: aut ergo ly *creatum* est additum omninò distrahēs, & quod nullam relinquit rationem entis; aut non est distrahēs, sed alienās, & quod relinquit rationem entis, imperfectam tamē & inæqualiter: Si hoc 2. dicatur, eandem univocationem imperfectam & rationem generis habet ens ad creatum & increatum, ac ad substantiam & accidens: Alterum autem dici non potest, quis enim dicat, quòd substantia creata nullam omninò habet rationem entis? Ipse enim illam rationem dicit transcendentem, hoc est in utroque extremo quidditativè inclusam.

93 Resp. directè neg. aut. Ad prob. neg. conseq. æquè enim transcendit ens in communi differentias creati, & increati, ac ens creatum differentias accidentis & substantiæ; sicut nempè impossibile est concipere differentiam creati, quę non sit aliquid, & consequenter aliquod esse habeat, ita impossibile est concipere differentiam accidentis, quę sit nihil, quarè aliquid debet esse, & aliquod esse creatum habere. Huc recurrit communissima solutio, quòd illud esse accidentis, seu differentię ejus non est nihil, sed non proinde ens, sed sive entalitas, aut aliquitas, ut loquitur Mast. sive ens *quo*, aut *quale*, ut alij vocant. Hanc latiùs rejicere superfluum puto, quamquam multa in contrarium occurrant: cùm ergo quæritur, an ens sit univocum, aut analogū, nomine entis significatur ratio communissima, quæ sub se comprehendit quidquid non est nihil, nempè substantiam, & quidquid quoquomodo ipsam afficit, quarè ponere medium inter tale ens & nihil est ludere verbis: hoc medium, eò quod non est nihil, aliquod esse habet, voca ut magis libèat: aut hoc esse continetur sub illa ratione entis, aut si hoc nolis, aliam finge rationem entis communem ad illud ens, & hoc medium, & de hac ratione quęritur.

Ad

94 Ad 1. Conf. 1. neg. maj. licèt enim illud sit inconveniens, non eò negatur ratio generis præcisè, quia id sequitur, sed quia ratio entis non importat quidditatem seu formalitatem determinabilem per aliquid sibi additum; quod enim sibi adderetur, deberet esse extra quidditatem ejus; atverò extra quidditatem entis solùm relinquitur nihil, quod nullius potest differentia esse. 2. neg. min. tum quia idem est inconveniens, quòd genus supremum sit sub genere; ponit autē ipse arguens substantiam esse genus supremum: tum deinde, quia si ens creatum genus est ad substantiam & accidens, nulla relinquitur ratio cur ens ut sic non sit genus ad creatum & increatum: sicut enim in alio esse comparatur ad ens creatum, ita omninò ab alio esse comparatur ad ens ut sic: si ergo ly *in alio* veram differentiam dicit generis contractivam, pariter debet dicere ly *ab alio*, quarè si ens, quod contrahitur per *in alio* genus ponitur, ens, quod contrahitur per *ab alio* genus etiam dici debet.

95 Ad 2. Conf. 1. neg. cōseq. solùm enim sequitur, quòd habeat intellectus conceptum entis communem substantiæ, & accidenti, non autem quod ille conceptus sit genericus. 2. dato quòd non nisi ex accidente possemus cognoscere substantiā, quis diceret, quòd ex conceptu entis, quem de accidente format intellectus? Ex eo enim, quòd cognoscat intellectus accidens esse ens, etiam dato, quòd eadem sit ratio entis in substantia univocè & genericè, nihil habet ad cognoscendam differentiam, & quidditatem substantiæ. 3. neg. maj. sicut enim substantia per se & 1. habet quidditatem, ut habet Phil. in 7. Met. cap. 4. cujus verba dedimus n. 78. ita per se & 1. est objectum intellectūs. Ad prob. neg. assumptum; si enim Deus destrueret accidens conservando speciem ejus intentionalem, & jam falleretur sensus, & non posset absentiam accidentis cognoscere: aliud ergo est, quòd intellectus noster speciem substantiæ non habet, nisi media specie accidentis, & hoc verum est, quia non nisi per sensus habet, substantia autem sensu nō percipitur; aliud verò, quòd substātiam non intelligat directè & per propriam speciem: quia ergo ex specie accidentis manu ducitur ad formandam speciem substantiæ, ubi accidentia habet propria hujus substantiæ, non potest cognoscere absentiam ejus miraculosè inductam, sicut neque sensus posset cognoscere absentiam accidentis, si ejus speciem haberet miraculosè conservatā, ex hoc autem nihil ad propositum.

*** ***

*** *** ***

QUÆS-

QUÆSTIO II.
DE PASSIONIBUS ENTIS.

ARTICVLVS I.

An ens veras habeat passiones?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

96 AD rationem passionis verè talis quatuor conditiones communi omnium consensu requiruntur: 1. quòd passio sit de se aliquid, quod enim nihil est, non potest alicujus rei passio dici: 2. quòd differat ab eo, cujus est passio, si enim non differt, non passio est, sed ipsa ejus quidditas: 3. quòd dicatur ad convertentiam, seu omni, soli, & semper conveniat, alioqui non passio est, sed commune accidens: 4. quòd non includat in conceptu suo subjectum ipsum, cujus passio dicitur; tùm quia, ut docet Phil. in 7. Met. passio per subjectum suum definitur, non definitione quidditativa, sed per additamentum; si autem subjectum in sua quidditate includit, per ipsum definitur quidditativè; tùm deinde, quia passio ex subjecto fluere intelligitur, atque illi additur tanquam ejus affectio; si autem ipsum subjectum in se includit, neutrum potest intelligi; non enim idem aut à se ipso fluere, aut sibi addi potest intelligi.

Patet itaque, quòd dubitare, an ens propriè habeat passiones, est quærere, an ea, quæ enti attribuuntur, importent aliquid supra conceptum entis, quod ipsi possit ut vera passio addi, & ab ipso fluere intelligatur; sunt autem talia attributa, unitas, distinctio, veritas, & bonitas. Not. autem, quòd eodem sensu hæc dubitatio procedit ac præcedentes, nempè con-

conceptu entis quidditativè & metaphisicè ; quantum ad expressionem entis, & conceptum logicè sive tantum ex parte actus præcisum, sicut unum conceptum entis nullus negat, ita dubitari non potest, quin illa expressionem addant enti, quæ modum habet passionis.

97 Sententiæ itaque in præsenti eædem sunt, quæ in præcedentibus ; qui enim conceptu entis ponunt metaphisicè & ex parte objecti præcisum, aliquid concipiunt extra illum conceptum, quod sit differentia ejus, & pariter accipiunt, quòd sit vera passio. Affirmat ergo ens veras passiones habere communis Scotistarum sent. apud Mast. disp. 4. q. 1. Reliqui negant communiter; quamvis enim quatuor sententias referat Mast. eæ tamen diversæ expressiones sunt, & modi dicendi ejusdem. N. B. D. de passionibus entis in communi non determinat, habetur tamen mens ejus, ex his quę docet de unitate, eadem enim est ratio de reliquis: querit ergo in 4. Met. q. 7. an unum addat aliquid supra ens ? Resp. autem cum Com. contra Avicen. quod non addit aliquid reale, sed privationem aut relationem secundum dici.

98 Dicendum ergo, quòd ens non habet passiones propriè tales. Prob. 1. ex Phil. in 4. Met. tex. 3. ex quo quia suam deducunt conclusionem DD. alterius sent. oportet verba ejus latiùs expendere, sic itaque habet: *Si itaque ens & unum idem ac una natura sunt, propterea quod se invicem sequuntur, quemadmodùm principium & causa, non quòd una ratione significantur; nihil quidem refert, si etiam similiter putabimus, quinimò magis proderit. Idem enim unus homo, & ens homo ac homo, & non significat diversum aliquid secundò dictionem repetitam, ideſt, homo & homo, & unus homo. Patet autem, quòd non separatur ens nec in generatione, nec in corruptione. Similiter & de uno. Quarè manifestum est, quòd additio in his idem significat, & quòd unum nihil aliud est præter ens, item cujusque substantia unum est non secundum accidens, similiter & ipsum ens quodvis. Quarè quot unius species, totidem & entis sunt. De quibus ipsum quid est speculari, ejusdem genere scientiæ est.*

Ad speciem quidem videtur Phil. contraria asserere; ait enim, quòd ens & unum non sunt synonima, seu non significant idem secundum dictionem repetitam, ut homo homo ; si autem non sunt synonima, diversum quid significat unum ac ens : at subjungit statim, *Quod additio in his idem significat, & quod unum nihil aliud est præter ens* : Quorsum ergo diversa sunt, & non synonima, si idem utrumque signi-

nificat? Pro intelligentia not. quòd voces significant media conceptione, quarè secundùm quòd diversum conceptum format intellectus, diversa est ratio significandi: synonima ergo sunt, quę idem significant, & ab eodē conceptu intellectus, ut entis & gladius; quæ autem eandem formalitatem objectivam significāt; aliter tamen & aliter ab intellectu conceptam, licèt idem significent, non tamen ut synonima, quia non ab eadem ratione significandi, sive conceptione intellectus; & ita se habere ens & unum inrendit Phil.

Quia ergo dixerat tex. præc. quòd eadem scientia habet considerare de ente & de speciebus ejus, ac de speciebus specierum, hoc tex. subjungit idem dici debere de uno, quia ens & unum idem sunt, & eandem naturam, seu formalitem in objecto dicunt, eò quòd se invicem sequūtur, hoc est, quod ens est, est hoc ipso unum, & quod unum est, & hoc ipso ens, sicut principium & causa; non autem ita idem sunt, quòd eadem ratione significentur sicut synonima; licèt enim illud idem, quo causa est causa, sit ex parte objecti, quo est principium, ex alia tamen dicitur conceptione intellectus & ratione significandi, puta principium dicitur, quatenus ex ea originatur effectus, causa autem, quatenus ipsa causat, quæ non duæ formalitates sunt in objecto, sed in conceptu intellectus: similiter ergo ait se habere ens, & unum, indivisio enim, in qua consistit unitas, ipsum esse est, quod se ipso divisionem non habet, quare ex parte objecti idem significat unum ac ens; quia tamen ex alia conceptione intellectus dicitur, non sunt synonima, seu ut ipse ait non una ratione significantur, seu non significant idem secundum dictionē repetitam ut homo homo.

Ait itaque, quòd idem significat, nempè metaphisicè & ex parte objecti, dicere unus homo, aut ens homo, ac dicere homo, nempe *ens* significat ipsum esse, quòd importat homo, quarè nihil addit ex parte objecti, & *unus* significat indivisionem, quam etiam se ipso habet homo, quarè subjungit, quòd addito in his idē significat, & quòd unum nihil est præter ens: ex hoc deducit ad intentum suum, quòd easdem habet divisiones & species unum ac ens, & quòd, sicut dixerat de ente, eadem scientia, quæ de uno agit, agere debet de omnibus ejus speciebus. Ad nostrum autem institutum patet apertè, quòd nihil habet tex. ille, quo judicet unitatem unam esse entis passionem metaphisicé & ex parte objecti ad ipsam entis quidditatem consequutam, & illi additam, sed solam addere expressionem conceptus nostri, ex qua di-

diversa habetur ratio significandi; at eadem est ratio de alijs: ergo.

99 Prob. 2. ratione, quam esse Com. ait B. D. Ubi sequitur processus in infinitum standū est in primis, ut est communis animi conceptio; at si ens veras habet passiones sequitur processus in infinitum: ergo. Prob. min. Tunc ens non se ipso, sed passione sibi superaddita est unū v. g. at hæc passio aliquid est, alioqui non enti superadditur: aut ergo unum aut multiplex: si multiplex, accipiatur unum ex illa multiplicitate, & de eo quæritur, aut se ipso unum est, aut passione superaddita: si hoc 2. dicitur, idem de illa passione quæritur, ea enim aliquid est, & sic itur in infinitum, donec perveniatur ad aliquid, quod se ipso & non passione superaddita sit unum: tunc autem, qua ratione hoc aliquid se ipso, & ipso suo esse, quo est aliquid potest esse unum, & non indiget passione superaddita, eàdem ratione poterit ens.

100 Prob. 3. ratione communi, quam ex Suar. cæteri desumunt. Quidquid imaginetur passio entis, debet esse extra ejus quidditatem; sed quidquid est extra ens est nihil: ergo nihil potest veram rationem habere passionis respectu entis. Patet maj. passiones enim quidditatem supponunt, cujus sunt passiones, ex ipsa fluunt, & ipsi adduntur tanquam veræ ejus affectiones. Patet item min. quod enim est extra ens, non est ens, & nihil est quod esse non habet; si autem non nihil est, esse aliquod habet quantumcumque tenue, quarè ens erit.

101 Prob. 4. inductivè de singulis: unitas in indivisione consistit, quæ est divisionis carentia, & hoc præcisè intellecto, quod non dividitur, intelligitur habere unitatem; sed ipsum esse se ipso intransitivè ad quodvis aliud intelligitur non habere divisionem, imò si aliquid ponitur, quo indivisionem habeat, jam hoc ipso illam non habet, dividitur enim contra hoc, quod sibi additur, & cum eo facit duo: ergo. Rursus: hoc precisè quòd intelligatur non esse aliud, intelligitur distingui; sed ipso esse, quo est hoc, quovis secluso, intelligitur non esse aliud: ergo. Similiter: ipso esse suo intelligitur habere adæquationē ad principia suæ quidditatis, in qua cōsistit veritas, aut integritatem & perfectionem quidditativam, in qua consistit bonitas; si enim non se ipso, sed aliquo superaddito id habet, hoc circunscripto per intellectum, non relinquitur esse tale.

****
****

§. II.

Solvuntur argumenta.

102 ARg. 1. Elis. ex Phil. in 4. Met. tex. 5. ubi ait: *Unius in quantum unum, & entis in quantum ens, eadem secundum se passiones sunt.* Resp. 1. quòd nihil ex ipso tex. potest deduci; non enim ait, quòd unum est entis passio, sed quòd easdem habet passiones, ex quo potiùs sequitur oppositum, nempè, si easdem habet passiones, eandem dicit quidditatem ac ens; at unitas est una ex passionibus, quæ enti assignantur: non ergo illæ veræ passiones sùt, sed ipsum ens dicunt secundùm aliam & aliam expressionem. Resp. 2. quòd verba tex. sic habent: *Cùm itaque unius prout unius, & entis prout entis hæ per se passiones sint, & non prout numeri, aut lineæ, aut ignis, patet, quòd illius scientiæ est, & quid est cognoscere, & accidentia ejus:* Intendit itaq; quòd oppositio, privatio, distinctio, & alia, quæ enti cóveniùt aut uno, non in eo quòd tale est, sed in eo quòd est ens aut unum, non ad illam scientiam pertinent, quæ agit de tali, puta de numero aut linea, sed ad ipsam scientiam, quæ agit de ente, & uno: patet ergo, quòd passiones dicit lato modo, prout ipsis per prædicationem attribuuntur; pro quo sufficit diversitas secundùm expressionem & conceptionem intellectús, non autem metaphisicè, quasi sint aliquid quidditativè additum enti, aut uno, quo sensu quæritur.

103 Arg. 2. Mast. ex hoc eodem tex. subjungit namque Phil. *Nam quemadmodum & numeri prout numerus est propriæ passiones sunt, ut imparitas, paritas, commensuratio, æqualitas, excessus, defectus, & hæc tùm absolutis, tùm mutuo relatis numeris insunt, similiter solido & immobili & mobili, & levi, & gravi aliqua propria sunt; ita & enti prout ens est quædam propria sunt;* At illa assignata passiones habèt propriè tales: si ergo ita habet ens, proprias passiones dici debet habere. Resp. neg. conseq. nó enim paritatem assumit Phil. quantùm ad modum habendi passiones, aut quantúm ad ipsarum quidditatem, sed quantùm ad hoc quòd scientia, quæ de aliquo considerat, ipsa etiam de his habet considerare, quæ ei attribuuntur ut passiones, quarè subjungit: *Et hæc sunt de quibus veritatem considerare Philosophi est.* Tantùm ergo intendit, quòd sicut ipsa scientia, quæ considerat de numero, aut mobili habet considerare de his, quæ illis attribuuntur ut passiones, ita quæ considerat de ente, debet considerare de attributis ipsi; non autem quòd ista æquè habeat rationem

nem passionis ac illa, quia ratio numeri, aut mobilis specialis est, quarè aliquid relinquit extra se, quòd possit esse ejus passio physicè, aut metaphisicè; ratio verò entis tantùm relinquit extra se objectivè & metaphisicè nihil.

104 Arg. 3. Elis. ratione: attributa entis sunt extra conceptum ejus: ergo propriè habent rationem passionis. Prob. ant. 1. ex Phil. in 4 Met. tex. 3. ubi ait: *Si ens & unum sunt idem & una natura, eò quòd se invicem consequuntur, non tamen una ratione ostensa.* 2. ratione: quę differunt definitione, differunt ratione objectiva; sed ens & unum differunt definitione: ergo. Resp. neg. ant. ad 1. prob. verba tex. & sensum ejus dedimus art. præc. Si autem se mutuò consequuntur ens & unum, patet quòd unum nequit esse passio alterius; quod verò ait *non una ratione*, tantùm intendit, quòd non sunt synonima, ut in ipso tex. patet, pro quo sufficit distinctio secundùm conceptum explicitum. Ad 2. prob. dist. maj. Quæ differunt definitione quidditativa, conc. maj. Quæ differunt definitione *quid nominis*; neg. maj. hoc autem modo differunt ens & unum.

105 Arg. 4. Mast. Aliqua dicuntur de ente per se in secundo modo; sed ita prædicantur passiones: ergo. Conf. Si ens in quantum ens non habet passiones propriè tales, non poterit esse subjectum Metaphisicæ; at ita ab omnibus ponitur: ergo. Prob. maj. Quia est conditio subjecti, quòd habeat passiones de ipso demonstrabiles, alioquì scientia de ipso agens non poterit per demonstrationem procedere. Resp. neg. maj. quæ enim in secundo modo dicuntur per se, sunt extra quidditatem; extra ens autem nihil relinquitur: quæ ergo de ente dicuntur non prædicatione formali, sed identicè tantùm dicuntur, & penès diversas expressiones intellectus. Ad Conf. neg. maj. Ad prob. dicitur, quòd Metaphisica non est scientia, sed sapientia, quarè non procedit per demonstrationem propriè talem, sed per syllogismos de necessitate concludentes, qui tamen non sunt demonstrationes: ad potissimam ergo demonstrationem requiritur, quòd passio, quæ probatur, sit vera passio alia à quidditate subjecti, & causam habeat per quam probetur, ad syllogismum verò qualem habet Metaphisica sufficit distinctio penès expressiones & conceptus intellectus.

105 Arg. 5. idē. Quæ dicuntur attributa entis amplius, quàm per rationem ab ente distinguuntur: ergo sunt extra conceptum entis, & consequenter veræ passiones ejus. Prob. ant. Illam dist. entis ab attributis suis attingit in-

tellectus Divinus; sed non formaliter ens rationis: ergo non est rationis illa distinctio. Maj. eò patet, quia alioqui non posset intellectus Divinus distinguere inter unum & multa, item verum ens à ficto, bonum à malo, nisi has entis passiones cognosceret.

107 Resp. neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd illam distinctionem à nostro intellectu factam attingit intellectus Divinus, nullam autem in ipsa re attingit, sed videt, quòd ens ipsa sua quidditate objectivè & metaphisicè est unum & verum, & quòd ista solùm addunt supra ipsum esse diversam conceptibilitatem & expressionem intellectus nostri. Ad id autem, quod addit, dicitur, quòd cognoscit Deus unitatem, & distinguit inter unum & multa, sed non cognoscit unitarem esse aliquid enti additum, sed ipsum ens se ipso non habens divisionem; similiter cognoscit rationem veri entis, quo distinguit à ficto, sed videt id, quo est verum ens, non esse aliud ab eo, quo est ens, idem de bonitate. Deinde multis contendit tales entis passiones non esse quid rationis, sed debere esse quid reale & positivum; probationes autem mitto, quia id non negamus, in re enim & nullo cogitante intellectu unumquodque est unum & verum ens, sed tantùm negamus ly *unum* aliquid in re addere supra ens, quod eis rationibus non probatur.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit unitas, & quid addat supra ens?

§. I.

Resolvitur articulus.

108 QUantum ad 1. unitas alia est, quæ est principium numeri; alia verò, quæ convertitur cum ente, & est passio ejus: non nihil confusionis in præsenti adducit non distinguere has unitates, communiter enim unitas quæ est principium numeri accipitur veluti species alterius, nempè pro unitate individuali; debere autem distingui contra unitatem, quæ est passio entis, unitatem, quæ est principium numeri, manifesta ratione probat B.D. in 4. Met. q. 9. Quia unitas, quæ est principium numeri, est in determinato genere, nempè in genere quantitatis, sicut numerus, cujus est principium, nempè sicut indivisibile, seu punctum reductivè pertinet ad quantitatem continuam, ita unitas ad quantitatem discretam; atverò unitas, quæ est passio entis, vagatur per omnia genera, sicut ipsum ens, & patet, quòd ens quodlibet in re suam habet individualem unitatem: non ergo unitas, quæ est principium numeri, potest esse ipsa

ipsa unitas individualis, aut species unitatis, quæ est passio entis.

109 Quòd ergo diversa est hæc unitas ab illa de facili patere ait B. D. quò autem differant, aut quid importat unum, quod est principium numeri, sine dubio valdè est difficile ostendere. Ait itaque, aliquos ponere tale unum importare quandam rationem mensuræ, est enim numerus, multitudo mensurata per unum. Sed hoc, subjungit, non benè dicitur: quamvis enim rationem mensuræ habeat illa unitas, non in hoc ipsa consistit, sed ad quidditatem suam consequitur ratio mensuræ. Ratio autem est manifesta: quia mensura est in genere relationis; illa autem unitas per quidditatem suam est in genere quantitatis, ut jam patuit. Docet itaque ipse, quòd sicut idem actus ex comparatione ad agens est actio, ex comparatione verò ad subjectum passio, ita eadem forma afficit subjectum in ordine ad se, & ad partes suas, & prout afficit in ordine ad se est unitas principium numeri, & pertinet ad quantitatem discretam, ut verò afficit in ordine ad partes est quantitas continua.

Ipsa itaque quantitas, secluso ordine ad partes, facit unitatem, quę est principium numeri, & ideò numerus causatur ex divisione continui, quia illa divisio super quantitatem cadit, & super alia ratione quantitatis, ex hoc enim, quòd dividatur superficies fit duplex albedo, & generaliter duplex quęvis forma per hoc quod dividatur subjectum, ut latiùs dicemus art. seq. quia ergo unitas, quæ est principium numeri, ipsam significat quantitatem, aut quandam ejus acceptionem, numerus propriè tantùm reperitur in habentibus quantitatem, in alijs verò tantùm latè, & ex quadam analogia, quarè idem B. D. cit. q. 9. docet, quòd in substantijs separatis non est propriè numerus, quia ibi tantùm est unitas, quę est passio entis, non verò quæ est principium numeri, item in 7. dist. 14. q. 1. art. 2. & 3. quod in Deo non est numerus nisi latè & quantùm ad distinctionem, propter eandem rationem.

110 Habito, quòd alia est unitas, quę est principium numeri, ab unitate, quæ est passio entis, & quid illa est, de unitate quæ est passio entis, de qua ad præsens agitur, quotuplex ea sit non est difficile ostendere; ait enim Phil. 4. Met. tex. 3. cujus verba dedimus suprà, quòd tot sunt species unius, quot entis, quarè easdem divisiones hæc unitas habet, ac ens; ad propositum autem, alia est unitas formalis, quæ est passio naturæ communis, sive entis accepti metaphisicè & per præcisionem intellectus, & de hac satis dictum est in Logica;

alia

alia verò est unitas realis, quæ est passio naturæ ut in re existit, & quæ dicitur unitas individualis, de qua difficultas superest ar. seq. examinanda. Quodsi quæras de duplici alia unitate æquivoci & analogi, quæ alia esse videtur ab illis duabus. Dicendum, quòd unitas æquivoci reducitur ad formalem, consistit enim æquivocatio in communitate vocis, & hanc tantùm unitatem habet; unitas verò analogi reducitur ad unitatem materialem, analogum enim in quantùm tale non habet communitatem, sed attributionem ad principale, quodsi hoc communitatem habet ad inferiora sua, de materiali est ista communitas ad analogiam, ut docet B. D. in 4. Met. q. 4.

111 Quantùm ad 2. itaquè non parva est controversia, in qua licèt multiplex sit dicendi modus, de quo latè Mast. disp. 5. q. 4. Suar. disp. 4. sec. 1. Prado Controv. 9 apud quos alij, sententiæ tamen ad duas revocari possunt; qui enim conceptum entis accipiunt perfectè & ex parte objecti præcisum, sicut aliquid accipiunt extra conceptum entis, quod sit vera ejus passio, ita cõsequenter docent unitatem addere supra ens aliquid positivum. Ita tenet Scot. & Scotistæ omnes apud Mast. ubi suprà, pro eadem citat Resol. & ejus discipulos Elis. dist. 1. q. 6. art. 1. Qui verò è contra tenent, quòd ens tantùm penès conceptum explicitum potest præcindi, sicut negant ens veras passiones habere, quæ sint extra conceptum ejus, ita docèt unitatem nihil addere supra ens objectivè & metaphysicè, sed tantùm penès expressionem. Conveniunt omnes, quòd illa expressio negativa est, nempe indivisio, seu carentia divisionis, & tantùm est controversia in eo quod DD. 1. sent. volunt, illa expressione significari perfectionem positivam enti super additam; quid autem hæc sit nullus explicat, quamvis enim dicat Eliseus, quòd est naturæ simplicitas; simplicitas in primis non distinctioni opponitur sicut unitas, sed compositioni; deinde, quod ipse nomine simplicitatis explicat, ipsa est uniuscujusque quidditas, qua est id quod est, & cui si fiat additio vel detractio variatur res; quarè Mast. ubi sup. quærit, quid sit illud positivum, & postquam varios rejicit dicendi modos, tandem concludit fatendum esse, quòd unitas non aptiùs explicari potest, quàm per indivisionem.

112 Dicendum ergo, quòd unitas ex parte objecti nihil omninò addit supra ens, sed tantùm ex parte conceptus expliciti indivisionem, seu carentiam divisionis. Hoc secundum, quandoquidem ipsi fatentur contrarij, non indiget probatione; manifestum enim est, quòd quidquid id

id sit, quo unumquodque intelligitur non habere divisionem, non multa est, sed unum. Quantùm ad 1. verò sufficienter ex dictis colligitur præcedenti art. & manifestè deducitur ex tex. Phil. ibi adducto: si enim ait, quòd idem est unus homo, & ens homo, ac homo, & tantùm intendit, quòd non sunt synonima, vult quòd sicut ens supra ly *homo* nihil addit ex parte objecti, significat enim indeterminatè & confusè ipsum esse, quod significat determinatè ly *homo*, ita unum supra ens, aut homo, significat nempè indivisionem, seu non habere divisionem, quam ipso suo esse intransitivè non habet homo; quia tamen diversa est expressio, diversum conceptum format intellectus, & ex eo diversa est ratio significandi, quare non sunt synonima. Deinde, ait, quòd additio in his idē significat, & quòd unum nihil est præter ens. Rursus, subjungit, quòd substantia & ens quodlibet per se & non secundùm accidens est unum, hoc est, se ipso, & non aliquo superaddito, hoc enim extra quidditatem esset, quare esset accidens.

113 Ratione item ex ibi dictis patet: Si enim unitas ex parte objecti addit aliquid supra ens, hoc secluso per intellectum, id quod relinquitur non est formaliter & in actu unum, non enim unum relinquitur secluso unitate; similiter id quod addit unitas supra ens secluso ipso ente non est aliquid, seu esse habet; si enim esse habet & aliquid est, non ab ente separatur & illi additur, ipsum enim in se includit: quandoquidem ergò implicat, aut ens concipere non unū, aut aliquid, quod verè sit aliquid, & tamen non ens, sed enti additum & extra conceptum ejus, non potest unitas dici aliquid ex parte objecti enti superadditum. Rursus ratione, quam esse Com. contra Avicen., ait B. D. art. præc. adductus: id quod addit unitas supra ens, aliquod esse ponitur, & aliquod esse habere: aut ergo ipso suo esse, quo est aliquid, est unū, aut unitate superaddita: Si hoc secundum, de hac unitate fit idem argumentum, & itur in infinitum; si autem dicitur aliud, qua ratione illud superadditum ipso suo esse est indivisum & unum, eadem dicatur de ente.

114 Duplex super est difficultas: altera cùm dicitur, quòd unum est indivisum in se, & divisum à quolibet alio, an duplex fit iste conceptus? Non desunt qui velint duas hîc negationes accipere: alteram, qua non divisum in se, alteram verò, qua non divisum à se accipiatur unū. Sed commentitia est omnino hæc explicatio, quid enim à se non divisum poterit significare, aut quomodo poterit à se aliquid di-

vi-

vidi? Non enim negatio nisi per positivum intelligitur; per hoc autem quòd dividatur non jam à se, sed ab alio dividitur. Dicendum itaque, quòd quidditas unitatis in ipsa consistit indivisione in se, divisum autè à quovis alio distinctionem significat ab omni non ipso, quæ quodammodo est passio unitatis.

115 Altera difficultas est, an carentia divisionis, quam importat unitas, negativa sit, vel privativa? Neutrum dici posse patet de facili: si enim dicatur negativa, contra est, quòd individuum quodlibet substantiæ materialis ita indivisionem habet, quòd aptum est in plura dividi, quarè non negativa, sed privativa est illa carentia: si autè dicatur privativa, contra item est, quòd substantia spiritualis, puta anima nostra, sic indivisionem habet, quòd repugnat in plura dividi, quarè non privativa, sed negativa est illa indivisio, seu carentia divisionis; at non est carentia media inter privativam & negativam: ergo.

116 Prado cit. controv. 9. art. 3. §. 3. citat B. D. in 2. dist. 24. q. 2. pro sent. asserente, quòd carentia, quam importat unitas est privativa. Sed ibi nihil habet ad propositum B. D. In 1. quidem dist. 24. q. 1. art. 2. dub. lat. non nihil id innuit B. D. ait enim, quòd unum, quod est principium numeri dicit quid positivum, unum verò, quòd cuni ente convertitur dicitur privativè. Nihilominùs in ipso art. principali quærit, an unitas in Divinis dicat positionem, vel privationem? In resolutione autem ait: quòd unitas in Divinis est ipsa entitas, *Ideoque solùm addit quid rationis indivisionem importans, & tale nomen congruentiùs remotionem, quàm privationem significat.* Dicendum itaque, quòd indivisio, quam importat unitas, remotionem divisionis significat, seu carentiam præcindendo ab utroque; de materiali enim est ad unitatem, quòd carentia sit privativa vel negativa: & cùm dicitur, quòd non datur carentia media, dicitur non dari positivè & per negationem utriusque extremi, benè autem præcisivè ab utroque.

§. II.

Solvuntur argumenta.

117 ARg. 1. Mast. quod argumentum dicit cæteris evidentiùs, ex Phil. 10. Met. tex. 9. quo ait, unum & multa contrariè opponi; sed contraria important quid positivum in utroque extremo: ergo unitas quid positivum importat pro formali, quo multiplicitati opponitur, alioqui non contrariè sed privativè opponuntur unum & multa, sicut divisum, & non divisum. Resp.

118 Resp. quòd verba tex. sic habent: *opponuntur autem unũ & multa multis modis : quorum uno, unũ & multitudo, ut indivisibile & divisibile; quod enim aut divisũ est aut divisibile, multitudo quædã dicitur ; quod vero indivisibile, aut non divisum, unum. Cùm autẽ oppositiones quatuor sint modis, horum alius secundùm privationem dicatur, contraria erunt profectò, & neque ut contradictio, neque ut ea, quæ ad aliquid dicuntur.* Tota certè evidentia sola textus lectione solvitur, apertè enim ait, quòd ut divisibile & indivisibile opponuntur; quod vero ait *contraria erunt profectò* patet, quòd non intendit strictè contraria, sed tantùm quòd non relativè, aut contradictoriè, siquidem autem ait, quòd unus modus oppositionis est secundùm privationem, hunc manifestè supponit inter unum & multa ; quarè ad formam neg. maj.

119 Resp. 2. quòd tex. seq. distinguit Phil. de uno secũdùm numerum, & quod cum ente convertitur ; quarè dici posset, quòd unum & multa sunt contraria, accipiendo unum quod est principium numeri, hoc enim positivè dici ait B. D. n. 116. adductus, nempè significat quantitatem secundum quandam ejus acceptionem. Sed neque hoc modo unum strictè contrariè opponi ad multa patet ex ipso Phil. nam tex. 20. dubitationem proponit, quòd si unum & multa simpliciter opponuntur, contingunt quædam impossibilia, ut quòd unum pauca erit ; multa enim paucis contrariantur : Rursus, unum dicetur pauca ad duo, & duo multa ad unum. Ad hæc tex. 21. resp. quòd accipiendo unum, quod est principium numeri, hoc non opponitur ad multa, sed magis se habet ut mensura; est enim numerus, multitudo mensurata per unum : accipiendo autem unum quod cum ente convertitur, non simpliciter opponuntur, sed sicut divisibile & indivisibile.

120 Arg. 2. idem. Nulla negatio ineſt per se & primò alicui positivo nisi ratione alicujus, in quo ipsa fundatur, præsentim si necessariò & inseparabiliter ineſt ; sed negatio divisionis ita convenit enti : ergo ratione alicujus positivi, in quo fundatur, & in hoc consistit unitas. Resp. dist. conseq. ratione alicujus positivi, quod sit aliud ab ente, & ei superadditum, neg. conseq. Quod sit ipsum ens, cõc. conseq. Itaque probat arg. unitatem esse aliquid positivum, non verò quòd sit aliud ab ente, de quo est controversia.

121 Contra hãc solut. instat Mast. 1. Ratio entis est tantùm ratio essendi, non autem essendi unum aut plura : ergo ea precisè non fundat indivisionem.

Prob. ant. Prius èst in se esse non repugnans esse in natura, quàm esse unum, alioqui unitas non erit passio entis: ergo negatio divisionis per aliam rationem convenit enti ab ea, qua est non repugnans esse. Secundó: negatio divisionis ex tali positivo oritur, quod sit formaliter exclusivum divisionis; at ita non est ipsa ratio entis: ergo. Patet min. quia reperitur tam in uno, quàm in multis. 3. Ratio positiva, in qua fundatur negatio divisionis, est quæ immediatè opponitur multitudini; sed talis non est ratio entis: ergo aliquid ei superadditum. Maj. patet, quia per divisionem ipsam tollitur multitudo. Min. item, quia ens cum non ente habet oppositionē, non verò cum multitudine. 4. Equinitas est tantúm equinitas, non verò una vel plures: ergo si quælibet natura de se non est una vel plures, idem de ente, & sic se ipso non fundat indivisionem. 5. Cùm dicitur quòd ens se ipso est unum, aut intelligitur formaliter; aut causaliter: Si primum: ergo unitas non est passio entis, non enim sequitur, sed est ipsum ens: Si autem secundum, ratio entis nequit immediatè causare negationem: causat ergo aliquid positivum, in quo fundatur negatio, & hoc est unitas.

122 Resp. ad 1. neg. ant. Ad probat. dicitur, quód prius est ratione nostra, & quantum ad conceptum explicitum esse, quàm unum esse, non autem prius est metaphisicè, ipsū enim esse objectivè in se ipso habet aut non habet divisionem; cùm autē dicitur, quòd alioqui unitas non erit passio entis, resp. quòd eo sēsu, quo est posterior est passio, nempé quantúm ad conceptum explicitum, ut jam patuit art. præc. Ad 2. dicitur, quòd qua ratione negatio divisionis non posset immediatè sequi ad ipsum ens, eàdem non posset illud positivum, in quo ipsi volunt talem negationem fundari, quarè unitas non esset passio sequuta ad ens, quod ipsi maximè intendūt; si enim ratio entis de se non excludit multitudinem, & indifferens est ut sit in uno, aut in multis, de se non fundat id, ad quod sequitur negatio divisionis. Directè dist. maj. quod sit exclusivum divisionis, precisè per negationem & repugnantiam, neg. maj. Quod sit exclusivum per puram remotionem, quę indifferenter se habeat ut sit negatio, aut privatio divisionis, conc. maj. & hoc sensu neg. min. Itaque jam patuit n. 116. quòd unitas dicit carentiam divisionis nō precisè negativam, sed quæ sit unicè & tantùm non habere divisionem, sive possit, sive non possit illam habere; ens autem se ipso intransitivè habet aut non habet divisionem in multa, & si illam habet non ens, sed entia est.

Quo

Quō patēt ad 3. ēxpresſione entis ad expreſsionē non entis opponitur; objectivè autem ipſo eſſe eſt aut non eſt diviſum, quarè ipſo excludit multitudinem, & illi opponitur.

Ad 4. Si ſe ipſo ens non fūdat diviſionem, neque id poterit fundare ad quod diviſio ſequitur aut ejus negatio; eò enim diviſionem non fundat, aut indiviſionem, quia de ſe non eſt natura una vel plures, ſed natura tantùm; ſi autem id non fundat ad quod negatio diviſionis ſequitur, unitas non erit paſsio entis; natura enim quælibet fundat paſſiones ſuas & illas exigit: ſi ergo unitas eſt paſsio entis, illam fundat & exigit ens, quarè exigit id quo excluditur diviſio, & conſequenter de ſe non eſt indifferens. Directè neg. ant. illo enim ipſo formaliter, quo habet eſſe, habet unum eſſe. Ad 5. dicitur utroque modo: quantùm ad expreſsionem & conceptum explicitum ſe ipſo eſt unum cauſaliter, nempè in ſe ipſo habet non dividi, & hoc ſenſu unitas eſt paſsio; objectivè & quantùm ad quidditatem ſignificatam ſe ipſo formaliter eſt unum, & non diviſum, & hoc ſenſu nullas habet paſsiones.

123 Arg. 3. idem. Quod ſua ratione formali importat perfectionem ſimplicem, & ſuſcipit magis & minus, de ſe eſt aliquid poſitivum; ſed unitas eſt hujuſmodi: ergo. Maj. patēt, negatio enim neque perfectio eſt, neque magis aut minus ſuſcipit. Prob. min. Quia eſſe unum in unoquoque melius eſt, quàm non eſſe, & ideo ſumma unitas ſumma perfectio eſt, & Deo attribuitur, deinde eſt una unitas major altera, ut major eſt ſpecifica, quàm generica: ergo.

124 Reſp. 1. quòd arg. probat tantū unitatem eſſe quid poſitivum, non verò quód ſit metaphiſicè & quidditativè aliud ab ente, & ipſi ſuperadditum, de quo eſt controverſia. 2. Si unitas eſt perfectiò ſimpliciter ſimplex, ejus oppoſitum erit imperfectio, & cùm in Deo nulla poſsit imperfectio poni, nulla poterit in Deo admitti multiplicitas; eſt autem in Deo multiplicitas Perſonarum. Unitas ergo de ſe & præciſivè ab ente neque perfectio eſt, neque imperfectio, ex quo potius ſequitur, quòd nihil addit enti; in aliquibus enim perfectio eſt habere diviſionem & multiplicitatem, in alijs è converſo; quarè neg. maj. quantúm ad 1. Quantúm ad 2. autem, jam patuit, quód carentia diviſionis de ſe neque eſt negativa, neque privativa, ſed in aliquo negativa eſt, in alio privativa, prout ipſum eſſe exigit: quòd ergo magis aut minus ſuſcipiat late & quodammodo, non ex ipſo eſt expreſſo conceptu unitatis, æquè enim nullam habet di-

visionem genus ac species, sed ex ipso esse, quod potest, aut non potest ulterius dividi. Neque instantiæ Mast. quid urgēt, nempè quòd negatio nihil est aut ens rationis, quarè nequit esse entis passio, qualis esse supponitur unitas. Quod enim tantùm penès expressionem & conceptus explicitos sit passio, neque aliter ens habeat passiones, jam suprà diximus.

125 Arg. 4. ex eodem: Unitas est proxima ratio fundādi relationes de primo modo; sed fundamentum relationis est aliquid positivum: ergo. Patet maj. quia illę fundantur in unitate & numero. Resp. 1. quòd potius inde deducitur oppositum: similitudo enim immediatè in ipsa albedine fundatur: ergo unitas non est aliquid superadditum. Directè neg. maj. non enim in unitate fundantur illę relationes, imò sunt ipsa convenientia, quæ habet modum unitatis, quarè sic illas vocat Phil. relationes modo unitatis, & patet, quòd similido v.g. ipsa est convenientia in albedine.

126 Arg. 5. ex eodem: Quando species divisivæ positivę sunt, ipsa ratio divisa positiva est; sed species divisivæ unitatis positivę sunt: ergo & ipsa unitas. Min. patet 1. ex Phil. 5. Met. cap. de uno. 2. inductione: unitas compositionis est unio partium, quæ quid positivum est: unitas simplicitatis est quædam rei integritas, quæ altior perfectio est, quàm unio, & quę posset explicari per identitatem prædicatorum, quę illam rem constituunt: unitas continuitatis est communicatio in termino communi, quæ etiam positivum quid est; & idem patet de generica, specifica, & individuali.

127 Resp. quòd ipse ex instituto quærens illud positivum quod unitas addit supra ens à n. 71. non potuit id invenire, quarè multis rejectis aliorum explicationibus tandem fatetur, quòd aptiùs explicari nō potest, quàm per carentiam divisionis. Directè dist. min. Species unitatis positivæ sunt supra ens, neg. min. Ita quòd illud positivum est ipsum ens, conc. min. Quod patet tum ex Phil. toto enim illo cap. 6. nihil assignat pręter ipsū esse, tum ipsa inductione: illa enim unio, in qua consistit compositio, aut ipsa est entitas extremorum, quæ se ipsis faciunt unum, si nempè sunt actus & potentia; aut si est aliquid medium, non sibi invicem uniuntur extrema, sed huic medio, cui se ipsis uniuntur: deinde illa integritas quidditatis, aut identitas prædicatorum ipsa est quidditas, & ejus prędicata, quæ se ipsis idem sunt: Illa item cōmunicatio in termino communi quid positivum est, non autem superadditū partibus, quę sic cōmunicant: nullibi

libi ergo reperitur aliquid enti superadditum, in quo consistat unitas.

ARTICVLVS III.

Quodnam sit principium radicale individuationis?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

128 DE materia hujus cõtroversiæ agit B.D. in 2. dist. 3. p. 1. q. 2. art. 1. & dub. 1. lat. quibus agit de individuatione Angelorum, item Quodl. 1. q. 1. qua quærit de individuatione substantiæ materialis, & obiter attingit N. Gerard. in 1. dist. 11. q. 1. art. 2. Not. autem, quòd P. Suar. disp. 5. sec. 3. citat B. D. Quodl. 1. q. 5. art. pro sent. Cajet. malè tamen; tùm quia quæstiones quodlibetales B. D. non dividuntur per articulos; tùm quia illa q. 5. agit de corpore Xpi. D. in Eucharistia, an nempè sit ibi sub ratione stantis, vel sedentis, ex quo nihil ad propositum; tùm tandem quia sent. B. D. ubi de hac materia determinat longè alia est à sent. Cajetani.

129 Not. itaque 1. quòd quæritur de principio radicali, seu prima radice unde oritur individualis unitas; nulli enim dubium, quin sicut à forma sua habet quodlibet esse suum, ita ab hac signata forma habet hoc signatum esse & individuale; quæritur autem, an forma ab aliquo alio habeat quod sit hæc? Quod si ita est, illud est radicale principium individuationis, & tunc quæritur, quodnam illud sit, quod loco cit. notavit N. Gerard. Not. deinde, quòd quæritur de substantia materiali; spiritualis enim substantia, aut non est receptibilis in subjecto si est substantia completa, ut substantia Angeli, aut quamvis recipiatur in subjecto, ut anima nostra, non ipsi coextenditur, aut divisione ejus dividitur; quærè hæc aut non habet individualem multiplicitatem in eadem, specie, & talis est substantia Angeli; aut illam habet ex se & antecedenter ad subjectum, ut non ipsa multiplex sit, quia subjectum dividitur, & fit multiplex, sed potiùs è contra, quia ipsa fit multiplex exigit subjectum dividi & multiplex fieri: individuatur ergo hujusmodi substantia ex ordine ad subjectum, quem de se habet.

130 Not. insuper, quòd substantia materialis ita habet formam in materia, quòd ipsi materiæ coextenditur, & divisione ejus dividitur, quarè quòd sit multiplex in eadem specie ex ipsa habet materiæ divisione; videmus enim, quòd unum individuum per hoc solùm, quòd materia dividatur, fit duplex,

&

& eàdem influentia agentis, puta idem ignis eodem modo applicatus ex una portione materiæ unam formam educit, & unum generat individuum, ex multiplici autem eàdem influentia multas formas educeret, & multa generaret individua, quarè ex divisione aut indivisione materiæ habetur, quòd forma sit aut non sit indivisa & una. Materia autē dividi habet in plures portiones non de se, sed per quantitatem; quidquid sit enim an ea de se & independenter à quantitate partes habeat, de quo q. seq, omnes conveniunt, quòd divisibilitas est effectus quāticatis, & eò Phil. quantum definit, divisibile in ea, quæ insunt, de quo egimus in Log. Hinc. deducitur, quòd indivisio, sive individualis unitas in substantia materiali ex quantitate tanquam ex 1. radice habetur, aut ex materia prout per quantitatem determinatur.

131 Nihilominus triplex sent. versatur in præsenti. Prima asserit principium individuationis in substantia materiali ejus formam esse, nempè sicut forma per gradus quidditatis suę totum constituit in genere & in specie, ita per infimum & ultimum suæ realitatis gradum constituit individuum, & tribuit individualem unitatem. Hanc tenet Resol. quē sequūtur discipuli apud Elis. dist. 1. q. 6. art. 3. Secunda sent. patum à præcedenti differt, ponit nempè principium individuationis quandam formalitatem, quā hęcceitatem dicit, qua substantia sit hæc, & ab ultima ejus realitate desumitur. Ita Scot. quem sequuntur Scotistę apud Mast. disp. 10. q. 9. Tertia sent. docet principium individuationis à materia haberi; in qua multiplex est dicendi modus alij enim nudam materiam, alij sub habitudine ad quantitatem, alij tandem materiam ponunt quantitate affectam. Hanc tenent communiter Thomistæ.

132 Hæc quidem tertia sent. ipsa est, quam tenet B. D. sensu tamen longè altero; in nullo enim ex illis dicendi modis aut salvatur individuatio, quam videmus in substantia materiali, aut difficultates evacuantur, quas objiciunt contrariæ sent. DD. si enim sola materia ponitur, & jam cum ordine ad quantitatem, neque ea habet plures portiones, in quibus multiplex forma possit recipi, neque est in plura divisibilis, divisibilitatem enim ab ipsa habet quantitate etiam juxta Thomistas; unitas autem individualis, quam in substantia materiali videmus, talis est indivisio, quæ est potens in plura dividi, ut hic signatus & individuus ignis potest in plures ignes dividi: Si autem materia ponitur quantitate affecta, sic est concretum accidentale; individuatio autem, & ejus prin-

principium in substantia esse debet adequatè quid substantiale.

133 Hinc etiam deficit prior sent. Si enim talis est individuatio materialis substantiæ, quòd illa indivisio carentia est privativa, & quæ apta sit in plura dividi, sicut passim videmus, quòd individuus lapis divisione sit duplex, & aqua multiplex aqua, & ignis multiplex ignis, principium hujus unitatis nequit forma esse; divisio enim formæ ex se & ratione sui quidditativa est, quarè divisione formæ fit duplex quidditas. Præterea: præcisio ab individuatione totam relinquit rei essentiam; non autem ita relinqueret, si illa unitas esset aliquid formæ, relinqueret enim aliquid formæ, & ab eo præcinderet. Præterea: differre individualiter esset differre forma, sicut differre specificè, utrobique enim unitas gradum formæ significat; quod tamen est contra communem omnium sensum. Insuper: juxta ipsos etiam divisibilitas substantiæ materialis ex quantitate habetur; at propria individuatio substantiæ materialis talis est indivisio, quæ divisibilitatem includit, nempè carentia divisionis privativa & cum aptitudine: non ergo ea forma substantiali habetur, & ultimo ejus gradu.

134 In secunda item sent. eædem in primis recurrunt difficultates: illa enim hæcceitas aliquid est ipsius naturæ & realitatis ejus, quarè ab ea præcindere non relinquit integram naturam. Neque enim quid refert, quod respondet Mast. nempè illam realitatem entitatis esse, non verò quidditatis, quare ab ea præcindere relinquit rei quidditatem. Id enim liberè dicitur & contra communem sensum: eadem omninò realitas est rei entitas, natura, & quidditas, ut illud idem quod est entitas hominis aliter acceptum est ejus natura, & ejus quidditas, nempè illud idem quod per ordinem ad esse est entitas, per ordinem ad operationes, quarum est principium, est natura, & per ordinem ad intellectū, cujus est objectum, est quidditas: non ergo illa realitas poterit esse aliquid entitatis, quin sit aliquid quidditatis, & naturæ.

Præterea: missō quòd totum alia sit entitas a partibus unitis, adequata causa totius, juxta ipsos, sunt partes unitæ, quarè non poterit illa hæcceitas esse aliquid & ultima realitas entitatis, quin à materia, aut forma, aut unione causetur; at neque à forma, neque à materia causatur, neque potest dici ab unione causari: ergo. Min. de forma ostenditur per argumenta facta n. præc. de materia verò, quia tunc radicale principium individuationis esset materia, quod intendimus; de unione tandem, quia unitas de qua agimus, talis est indivio, quę nam est divisione fieri duplex; unio-

unio verò divisione non duplex individuum reddit, imò compositum dissolvit, & reddit partes ejus. Ulterius: unitas juxta ipsos non ipsa est entitas, aut aliquid ejus, sed passio entitati superaddita; at illa hæceitas non aliquid est entitati superadditum, sed ultima ejus realitas: ergo. Insuper: eò hæceitas dicitur ultima realitas entitatis, quia atoma est, & ulterius indivisibilis; at unitas, de qua agimus, divisibilis est, ut ipsa patet experientia: ergo. Adde quod eodē modo philosophatur de individuatione substātiæ materialis, & spiritualis; patet autem quòd hujus unitas est indivisio negativa, & divisionem repugnans, illius verò privativa, & quæ est divisibilis.

§. II.

Probatur nostra sententia.

135 Dicendum, quòd principium radicale individuationis est materia signata à quantitate. Hujus conclusionis sensus patet ex dictis in Phis. ubi probavimus effectum formalem cujuslibet formæ esse modum se habendi, seu passivam determinationem, quam subjectum ex tali forma consequitur; quare materia signata & determinata ab effectu quantitatis non est materia quanta, sive materia & aliquid aliud, sed nuda ejus entitas, non tamen secundum se, sed determinata & ita se habens. Hanc apartè habet B. D. locis supra cit. Illam etiam esse sent. Phil. vel ipsi supponunt contrarię sent. DD. ait autem P. Suar. quòd Phil. non metaphisicè principium individuationis declaravit, sed tantùm ex sensibilibus docuit phisicè unum individuum ab alio distinguere. P. Hurt. ait, à testimonijs Phil. se abstinere, quia nec rectè de substantijs separatis sensit, nec benè cæterarum individuationes tradidit.

Neutrum autem sufficit: non 1. tùm quia in Met. lib. 5. cap. 6. ex instituto docet hanc conclusionem, nempè agens de modis quibus unum dicitur, unū individualiter ex materia dici asserit, ut patebit inferius adducendo tex. ejus; ibi autem non phisicè agit, aut intendit distinguere unum individuum ab alio, sed metaphisicè quidditatem explicat unitatis individualis, ut contra alias unitates accipiatur; tum deinde, quia docens distinguere unum individuum ab alio, aut inepte id docet & insufficienter, aut ipsam debet explicare quidditativè unitatem individualem: quandoquidem ergo dici non debet, quòd Phil. ineptè processit, ubi docet unum individuum ab alio distinguere, individuationis principium sufficienter explicat; tùm tandem, quia

loca

loca, quæ pro conclusione adducuntur, omnia intendunt directè explicare unde oritur, quòd hoc sit hoc individualiter. Non item quod ait P. Hurt. tùm quia Phil. calumniari ex hoc tantùm, quòd propriæ opinioni contradicit, indignum est, virò præsertim Peripatetico, & qui ejus tex. suscipit exponendum; tum deinde, quia aptissimè explicari individuationem materialis substantiæ insent. Phil. patebit in processu.

136 Prob. itaque 1. ex Phil. lib. 1. de Cœl. tex. 92. quo sic habet: *Quoniam igitur cælum est sensibile, singulariam utique erit; sensibile enim omne in materia existit: si autem singulariū, aliud erit esse huic cælo, & cælo simpliciter: alterum igitur est hoc cælum, & cælum simpliciter, & hoc quidem ut species & forma, illud autem ut cum materia mixtum.* Ex hoc conclusio deducitur 1. quia ait, esse debere singulare, quia est sensibile, & rationem subjungit, quia omne sensibile in materia existit: ergo quia singulare esse in his corporalibus ex materia habetur. 2. quia ait alterum esse cælum & hoc cælum; si autem hoc cælum realitatem aliquam significat formæ, aut entitatis, non alterum, sed aliud est, nempè aliquid habet hoc cælum substantiale & entitativū, quod non habet cælum. 3. quia ait simpliciter se habere ut species & forma; hoc cælum, ut cum materia mixtum: ergo ipsa materia est ratio hęcceitatis.

137 Ad hoc testimonium resp. Mast. disp. 10. q. 6. art. 1. in sol. ad 1. quòd non loquitur Phil. de materia physica, seu quæ est pars physica & subjectum receptivum; tum quia secundùm veriora ejus principia cælum est corpus simplex; tùm deinde, quia si de materia physica accipitur tex. non magis se, quàm Thomistas lædit, ait enim cælum ut sic dicere formam, quod de forma physica non possunt accipere Thomistę. Ait itaque, quod materia, & idem de forma, duobus modis potest accipi: uno modo physicè, & sic est subjectum receptivum, & hoc sensu forma est pars physica entitatis: alio modo forma dicitur quidditas & species, & hoc sensu materia dicitur, quod habet rationem contrahentis & determinantis quidditatem, quatenus limitat, & coarctat quidditatem, quam cōtrahit: non ergo priori sensu accipit Phil. materiam in illo tex. sic enim cælum non dicit formā, sed accipit posteriori sēsu, quarè nomine materiæ significat differentiam individualem ultimò cōtrahentem, quæ est hæcceitas.

138 Sed quòd violenta admodùm sit hæc interpretatio cuique patet, ea falsum assumit, & eo dato non solvit difficultatem, estque contra Phil. intentum; In primis itaque quod ait:

in sent. Phil. cælum esse corpus simplex aliquo sensu verum est, non autem eo, quem ipse intēdit: simplex ergo uno modo dicitur contra mixtum, alio contra compositum; priori sensu ait Phil. quòd cælum est corpus simplex, hoc est, non mixtum ex quatuor elementis, posteriori autem intendit ipse; cælum autē ex materia & forma constare, & habet expressè Phil. & nullus negat Peripateticus, imò nullum esse possibile corpus hoc sensu simplex communiter supponitur, sine materia enim non salvatur cōceptus corporis. Quod deinde addit, Thomistas non posse de forma phisica accipere verba tex. falsū itē est; non enim sensus est, quod cælum ut sic est ipsa forma, sicut neque quòd hoc cælum est ipsa materia, sed quòd cælum ut sic dicit quidditatem, quæ ex forma habetur, hoc verò cælum dicit individuationem, quæ habetur ex materia.

Præterea: quòd illa interpretatio sit contra Phil. intentum, ex ipsis patet verbis: tùm quia ait cælum esse singulare, eò quòd est sensibile, sensibile autem omne in materia existit; patet autem, quòd non ex materia ut dicit differentiam contrahentem, sed ex materia phisica habet esse sensibile; tùm deinde, quia immediatè ante verba adducta sic habet: *Non minus enim aliud esse circuli & hujus circuli erit, & illud quidem forma, hoc autem in materia forma erit, ac singulare*; At accipiendo nomine materię differentiam contrahentem, forma non est in materia, non enim quidditas est in differentia, qua contrahitur: non ergo hoc sensu accipit materiam. Præterea: quod ibi dicit materiā circuli est quod sit æneus, vel aureus, & ait, quòd sicut videmus in his, quæ sunt ab arte, debemus accipere in his, quæ sunt per naturam. Insuper: intentum illius capitis est, quòd universum unum est, quia constat ex tota materia sua, quod patet de sola materia tenere, quę est phisicum subjectum formæ, hujus nempè divisione multiplex forma recipitur, & eò in qualibet natura est multiplex individuum, quia nullum ex tota materia constat, sed præter materiam, quæ est in hoc, alia materia relinquitur, in qua possit alia forma recipi.

Quòd insuper falsum sit quod assumit illa interpretatio, de facili ostenditur: verum quidem est, quòd materia, sicut & forma, accipitur utroque modo; atverò sicut in acceptione phisica materia est subjectum receptivum & perfectibile atque determinabile, forma verò est actus perficiens & determinans; ita in acceptione metaphisica dicitur materia & habet modum ejus conceptus communis determinabilis & contrahibilis, differentia verò, quia

est

est actus determinans, complens, & perficiens, habet modum formę, & forma dicitur: non ergo nomine materiæ potest significari differentia contrahens. Prætrea: illo sensu dici posset, quòd à materia sumitur species & ratio quidditatis, sumitur enim à differentia specifica contrahente & limitante, seu determinante genus; at ita loqui nullus admittit: non ergo congruè dicitur nomine materię significari differentiã cõtrahentem. Mittoalia, quoniam ex his patet sufficienter, quòd illa solutio mera est tergiversatio.

139 Prob. 2. ex eodem Phil. in 5. Met. cap. 6. quo ex instituto determinat de modis, quibus dicitur unum, & postquã de speciebus unitatis latè disseruit, ita habet: *Item alia numero, alia genere, alia specie, alia analogicè unum sunt. Numero quidẽ, quorum materia una; specię verò, quorum ratio una; genere autem, quorum eadem prædicationis figura; secundùm analogiam verò, quæcumque se habent ut ad illud. Semper autem posteriora sequuntur præcedentia, ut puta, quæcumque numero, specie quoque unum sunt, quæcumque verò specie, non etiam numero, sed genere cuncta unum sunt.* Hunc item de materia metaphisica, & quæ dicat differentiam individualem interpretatur Mast. Sed voluntariam, & aperte violentam esse hanc interpretationem ex dictis patet: tum, quia qua ratione differentia individualis dicatur materia respectu speciei, quam contrahit, eadem differentia specifica dici debet materia respectu generis, pariter enim contrahit: hoc ergo sensu eque individualiter unum sunt, quæ habent unam materiam, nempè differentiam, & specie item unum sunt, quę unam materiam habent, scilicet differentiam generis contractivã: tum item, quia nihil diceret hoc sẽsu Phil. sensus enim esset, quòd sunt unum numero, quę unam habent individualem differentiã, quæ est propositio identica & non doctrinalis.

140 Prob. 3. à ratione: Id est prima ratio & principium individuationis in substantia materiali, ex quo primò oritur talis indivisio propria hujus substantiæ, nempè privativa, & quę capax est ulterius dividi; sed talis ratio non forma est, aut aliquid ejus, sed tantùm materia à quantitate determinata: ergo. Patet maj. substantia enim spiritualis talem habet modum indivisionis, quòd sibi repugnat dividi, eò quòd aut in materia non recipitur, aut ei non coextẽditur; é contra autem materialis substantia, quia materiæ coextenditur, divisione ejus dividitur & fit duplex, quarè hìc est proprius modus indivisionis ejus, & videmus, quòd lapis divisione fit duplex, & ita in alijs, quædsi in aliquibus con-

trarium reperitur, ut in animalibus perfectis, per accidens hoc est & extra rationem materialis substantiæ, nempè quia hæc specialis forma ex conceptu talis particulares dispositiones exigit, quæ non reservantur in qualibet parte, etiam in talibus divisione fit duplex corpus, & duplex substantia materialis.

Min. item patet: quòd enim forma sit hæc, aliunde habet, nempè ex ipsa materia, per hoc quippè tantùm, quòd materia dividatur & fiat duplex, duplex fit etiam forma; idem de hæcceitate, unam enim habet hic lapis, quæ divisione fit duplex; sic autè dividi ex materia habetur, ut à quantitate determinatur, talis enim divisibilitas effectus est quãtitatis, qui 1. materiæ communicatur, & formæ non nisi per materiam, divisio namque formæ ex se & independenter à materia quidditativa est, & habere aliam formam, seu forma differre per se & ex terminis est differre quidditate. Mitto alia, quia tota ferè difficultas reducitur ad argumenta contraria, quarè ex eorum solutione patebit sufficienter conclusio.

§. III.
Solvuntur argumenta.

141 ARg. 1. ex Phil. in 7. Met. tex. 35. & 39. & 12. Met. tex. 27. quibus docet, materiam non esse de se individuam, sed distingui in universalem & particularem: ergo ea nequit esse individuationis principium, sed potiùs ipsa individuari habet propria hæcceitate. Resp. quòd materia se sola non ponitur individuationis principium, sic enim non habet in plures portiones dividi, quo plures formas ejusdem speciei possit suscipere, quarè ponitur tantùm ut est à quantitate divisa & sigillata: quod autem ait Phil. materiam dividere in universalem & particularem, legenti tex. patet de facili sensus, nempè aut accipitur homo, aut hic singularis homo, & sicut homo sumptus universaliter ex materia constat & forma, ita hic singularis homo ex hac singulari materia, & hac singulari forma; in re autem non est nisi hic singularis: nihil ergo intèdit Phil. nisi quòd potest accipi portio materiæ ut sic & indeterminatè abstrahendo à modo & determinatione, quem in re habet, ex quo nihil ad propositum; illa enim determinatio, à qua abstrahitur, non aliqua est differentia materiæ superaddita, alioquin neque esse posset ultima realitas entitatis, ut ipse intendit: habetur ergo illa determinatio à sigillatione per quãticatem.

142 Arg. 2. idem Mast. à ratione: Substantia nequit dici à quantitate habere entitatem individualem: ergo nec unitatem.

Hæc

Hæc conseq. ad hominem videtur procedere, quatenùs nostra sent. ponit, quòd unitas nihil addit ex parte objecti suprà ens, nihilominus posset instari: æquè enim à quantitate, & ab illa hæcceitate haberi nequit ētitas substantiæ. Resp. dist. ant. Nequit à quantitate habere entitatem simpliciter, & in eo quod est, conc. ant. Determinatè & in eo quod est hæc, sive hoc modo indivisa, sub dist. ant. Non id habet à quantitate formaliter ut à principio intrinseco, conc. ant. Causaliter ut a principio extrinseco, neg. ant. Itaque 1. radix, & ratio extrinseca quarè substantia materialis ipsa entitate sua hanc talem determinationem habeat, sive hunc modum indivisionis, est quantitas; quamvis autem hæc indivisio non sit aliud à substantia, sed ipsa ejus entitas, non proinde quantitas dicitur entitatem causare, sed determinationē ejus, aut entitatem ita sehabere.

143 Arg. 3. idem: Quod est ratio divisibilitatis ineſt formaliter ei, quod est divisibile; sed quantitas non ineſt universali naturę specificæ, quod divisibile est in plura individua: ergo ea non est ratio talis divisibilitatis. Prob. min. Universale, quod dividitur in plura individua, de illis prædicatur, quarè quodlibet illius divisionis extremum suscipit prædicationem ipsius rationis divisæ; at partes quantitativæ non ita suscipiunt prædicationem rationis divisæ: ergo. In primis arg. æquivocat divisibile, in min. enim accipit metaphisicè, nempè universale, in cōseq. verò, atque etiam in maj. accipit phisicè. Deinde instatur: non enim hæcceitas ineſt naturę universali.

144 Resp. dist. maj. Quod est ratio divisibilitatis phisicę ineſt, conc. maj. Quod est ratio divisibilitatis metaphisicæ ineſt, sub disting. ineſt phisicè, neg. maj. Ineſt suo modo, hoc est metaphisicè convenit, conc. maj. Tunc autem sub eadem dist. neg. supp. min. quòd quātitas sit ratio divisibilitatis, quam habet natura universalis, nempè hæc dividibilis est metaphisicè; hujus autem divisibilitatis ratio ipsa est ejus universalitas, qua multis communis est; divisibilitas, quā habet substantia materialis, nempè quòd sic est indivisa, quòd nata est dividi, & illa indivisio est carentia privativa, hæc, in quam, ipsi convenit individuo in re existenti, & ex quantitate habetur, quæ ipsi ineſt, & materiā reddit formaliter & in actu divisibilē.

145 Arg. 4. idem: Aut est ratio causalis individuationis quantitas terminata, aut interminata; non terminata, quia hęc sequitur formam in materia, quarè sicut formam, ita individuationem supponit: non item interminata; tum quia hęc est indistincta & confusa in materia, qua-

quarè nequit esse ratio distinctionis; tùm quia hæc manet eadē in genito & corrupto, in quibus non eadem manet individuatio.

146 Resp. quantitatem interminatam esse rationem causalem, non quòd alia hæc sit à terminata, sed dicitur interminata, quatenus habere aliquas dimensiones ipsi materiæ de se convenit, has autem vel illas determinatè, hæc vel illa forma exigit. Ad 1. rationem in contrarium dicitur, quòd quantitas ut intelligitur præcedere formam, non eò dicitur i determinata, quia nullam habeat determinationem, pro nullo enim instanti ea est, quin sit determinata, sicut pro nullo est, quin aliqua sit forma in materia, sed dicitur indeterminata metaphisicè & consideratione nostra, quia accipiendo id quod materiæ convenit de se & pro priori ad formam, sic dicit extensionem, non autem hanc vel illam; ad propositum autem illa indeterminatio sufficit, quia ex præciso conceptu extensionis habet materia divisibilitatem, & separationem in varias portiones. Ad alteram rationem, neque quantitas, neque materia ipsa est unitas, sed ratio & radicale principium ejus; unitas autem ipsa est entitas, & sicut genitum & corruptum alia entitas est, ita alia est utriusque unitas, & ex figillatione quantitatis solùm habetur, quòd materia eadem numero maneat in genito & corrupto.

147 Sed dices: Manet in genito & corrupto eadem materia figillata quantitate; sed non eadem individuatio: ergo illa materia non est principium individuationis. Resp. dist. conseq. Non est principium formale, cōc. conseq. non est principium radicale, n eg. conseq. Itaque jam sup. diximus, quòd sicut entitas forma constituitur, & hæc entitas hac forma, ita unitas tanquam à ratione formali & immediata ab ipsa forma desumitur; quærimus autem, an forma ita sit ratio formalis, quòd sit ultima ratio, an potiùs ipsa ex alio habeat quód sit hæc? Tunc itaque dicimus, quòd quia alia est forma corrupti ac geniti, alia est utriusque entitas & unitas tam specifica, quàm individualis; quòd autem hæc forma geniti sit hæc, ex materia habet ista sic figillata, quarè ipsa materia est ultima ratio & radicale principiū unitatis individualis.

148 Arg. 5. Generans ut tale, quovis alio circumscripto, distinguitur à genito; sed neque generans, neque genitum, ut talia sunt, includunt quantitatem, ea nempè non pertinet neque ad principium activum, neq ad rationē termini, quibus generans & genitum in ratione talium constitu untur: ergo secluſa quan-

ti-

titate intelligitur numeralis distinctio, & individuatio substantiæ. Conf. 1. Generatio ad substantiam terminatur; at si quantitas ad principium pertinet individuationis, terminaretur ad accidens, patet enim, quòd generatur individuũ: ergo. 2. Terminus generationis est per se unus; at non posset ita esse: ergo. Patet min. ex substantia enim & quantitate fit unum per accidens.

149 Resp. 1. quód arg. instatur: neque enim illa hæcceitas est virtus generativa, aut ratio terminandi: qua ergo ratione hæc dicatur pertinere ad generans ut tale, eàdem dicetur pertinere sigillatio materiæ, & quantitas, à qua est. Resp. 2. directè dist. min. Non includunt quantitatem neque effectum ejus, neg. min. Non includunt quantitatem, includunt tamen effectum ejus, conc. min. & ad rationem subinductam dicitur, quòd quantitas aut effectus ejus non pertinet ut virtus & ratio formalis sive ad principium, sive ad terminum generationis, pertinet tamen ut conditio disponés & determinans. Itaque generans ut tale est suppositum in re existens & importat formam in materia, quarè eàdem ratione hanc signatam portionem materiæ aliam ab ea, in qua inducitur forma geniti, & quia materia non habet sic dividi in aliam & aliam portionem, nisi per quantitatem, & effectum ejus, hac ratione important effectum quãtitatis.

Ad 1. Conf. dist. min. Si pertineret intrinsecè & formaliter, conc. min. Si pertineret causaliter tantùm & extrinsecè, neg. min. Itaque jam suprà diximus, quòd non materia quanta, sed materia sola, sigillata tamen per effectum quantitatis, est principium individuationis, licèt materia quãta includat accidẽs, materia sigillata & determinata solã dicit materię entitatẽ sic se habẽtem, quarè principium individuationis est adæquatè substantiale. Ad 2. Conf. neg. min. quãtùm enim per se unum est, quantitas enim se ipsa unitur, & idem de quolibet accidente, quia itaque ex actu & potentia fit unum per se, sive se ipsis, æquè ex materia & forma substantiali, ac ex accidente & subjecto suo fit unum per se & se ipsis, & quantùm ad unitatem compositionis utrobique est ex actu & potentia; præterquamquod principium individuationis non est concretum accidentale, ut jam patuit.

150 Arg. 6. Quod est in substantia materiali conditio de necessitate præsuppositа ad quantitatem non est ullomodo à quantitate; sed singularitas est conditio de necessitate præsuppositа: ergo. Patet min. non enim quantitatem aut aliquod accidens potest

test recipere subsistentia nisi sit in re existente, & consequenter singularis. Resp. neg. min. Ad probationem dicitur, quòd vera est de accidentibus, quę per alterationem inducuntur, quantitas autem est coæva materiæ, & eam perficit secundùm nudam entitatem suam, & quia inter formas non est ordo, situs, sed causalitatis, quamvis aliquo sensu præintelligatur effectus quantitatis ad substantialem formam, quia iste effectus nullam habet causalitatem, neque est ratio recipiendi illam, ea immediatè & ut actus primus recipitur in materia, nihilominús quodammodo prius est materiam in plures portiones dividi, quod à quantitate habet, quàm plures formas recipere.

151 Arg. 7. argumento Theologico: Si ad individuationem substantiæ concurrit quantitas, sequitur, quòd substantia panis in Eucharistia non transubstantiatur in corpus Xpi. D. quod est manifestè falsum. Prob. sequela: quia illa substantia individua est: non ergo substantia in substantiam, sed quantitas in quantitatem transiret, si ad individuationem concurrit ipsa quantitas. Conf. Ex vi verborum non ponitur quantitas in Eucharistia; sed ponitur corpus individuum: ergo ad individuationem non pertinet quantitas. Resp dist. assumptum. Si concurrit formaliter & intrinsecè, conc. Si concurrit extrinsecè & causaliter, neg. assumptum, tunc enim non ipsa quantitas, sed materia sola, licèt determinata & sic se habens à quantitate, transit. Ad Conf. eodem modo dist. conf. Non pertinet quantitas per se ipsam formaliter, conc. conf. Causaliter & per effectum suum, neg. conseq.

152 Arg. 8. Si quantitas est ratio individuationis ullomodo, ea de se debet esse hæc & individua; sed ita non est: ergo. Prob. min. Quantitas enim de se dividitur in lineam, superficiem, & corpus, & quodlibet ex his in alias species, quæ deinceps subdividuntur usque ad individuationem: non ergo ipsa quantitas de se est individua. Resp. 1. quòd ipsa hęcceitas de se divisibilis est ad minus in hanc & illam: non ergo ipsa erit de se hæc & individua. Resp. 1. neg. min. Ad prob. dicitur, quòd quantitas metaphisicè accepta est ita divisibilis, quod non tollit, quin physicè & ut est in re sit se ipsa hæc & individua, & solùm divisibilis in partes, non autem divisibilitas, sed divisio est contra unitatem. Itaque indivisio, quæ est unitas substantiæ materialis, talis est, quę divisibilitatem includit, & quia sola quantitas est se ipsa divisibilis in ea quæ insunt, alia autem à quantitate id habent, sola quantitas se ipsa indivi-

dividuatur, quod expresse docet B. D. loc. sup. cit.

153 Ob efficaciam hujus argumenti (subjungit Mast.) ait Scotus in 2. dist. 3. q. 4. §. *propter argumenta* coactum esse B. D. alio modo ponere substantiam à quantitate individuari, nempe non immediatè per ipsam quantitatem, sed per aliquid à quantitate causatum in materia, & addit hanc B. D. sent. tenuisse Cajet. de ente & esse. cap. 2. Deinde illam rejicit; quia quantitas prior est illo, quod ipsa causat in materia: ergo si ipsa quantitas non identificatur materiæ, neque id quod ea causat. Prob. conseq. Si duo recipiuntur in tertio ordine prioris & posterioris, posito quod prius non identificatur illi, neque posterius poterit identificari, quia hoc posterius medio priori recipitur; at prius quantitas recipitur in materia, quàm id quod à quantitate causatur: ergo. Si autem hoc à materia distinguitur, de hoc recurrit argumentum. Sed cur magis de hoc, quàm de illa ejus hæceitate?

154 Omnia quidem falsa sunt: in primis non ait Scotus, quòd efficacia illius argumenti movit, aut potuit movere B. D. sed tantùm, quòd fortè propter vitanda illa argumenta aliter tenet; patet autem, tum quòd aliud est vitare argumenta, quæ possent fieri, aliud verò factis moveri: tum item, quòd aliud est suspicari quòd hoc fortè fuit motivum, quod ait Scotus, aliud verò asserere, quòd hoc fuit quod habet Mast. Deinde: illa conclusio B. D. quòd quantitas, & idem de quavis alia forma, effectum causat in materia ab ipsa forma diversum, motiva habet longe alia, de quibus in Phis. egimus. Præterea: objecta difficultas nulla est in sent. B. D. quarè non potuit ea moveri, docet enim ipse, quòd quia sola quantitas est per quidditatem suam divisibilis, alia autem à quantitate id habent, quantùm ad individuationem propriam rei materialis, sola quantitas se ipsa individuatur, alia autem aliquomodo id habent à quantitate. Falsum est item, quòd sent. B. D. teneat Cajet nititur enim singulari sent. sua de effectu formæ à qua multum distat Cajet.

Itaque argumenta illa primus formavit Scotus, quia ut fatetur B. D. suo tempore communis erat sèt. de individuatione substantiæ materialis ex materia & quantitate, licèt multiplex esset dicendi modus, quarè non potuit illis arg. moveri. Nonnullæ quidem contra sent. B. D. objicit Scotus, quæ omisit Mast. ponit autem eàdem ratione omittere hoc quod objicit, æquè enim ex æquivocatione procedit, qua putant effectum formæ ponere B. D. aliquid in materia causa-

tum aliud à materia, & medium inter ipsam & formam. Itaque neg. cons. & ad prob. neg. suppositum quòd duo sint recepta in materia quantitas, & id quod à quantitate causatur: solam ergo quantitatem recipit materia, ex quo autem illam recipit, perficitur & determinationem habet, quam non habebat prius.

155 Arg. 6. ex duplici art. Parisiensi, quorum alter ita habet: siquis dixerit Deum non posse multiplicare formas sine materia, error: alter verò est: qui dixerit formam non suscipere divisionem sine materia, error. Resp. 1. quòd, ut habet B. D. in 2. dist. 32. q. 2. art. 3. cujus verba adduximus tract. præcedenti, ipse tum erat Parisijs & testatur, quòd illi articuli non transierunt cõsilio Magistrorum, sed capitositate quorundam paucorum, quare ex illis non potest argumentum desumi. Resp. 2. quòd illi art. nihil habent contra nos: Primus quidem, quia aliter philosophari debet de individuatione substantiæ spiritualis ac materialis, quarè docet B. D. quòd Angeli non sunt defacto plures in eadem specie, possunt tamen à Deo fieri, & multiplicarentur ex potentialitate in ordine ad esse, ut docet in Quodl. 2. q. 7. Secundus item, quia ex ordine ad subjectum multiplicantur formæ; & quia sine materia habent ordinem exigentiæ ad subjectum, ex illo ordine multiplicari possunt, ex quo nihil contra nos.

156 Arg. 10. Materia est de quidditate substantiæ; sed individuatio est extra quidditatem: ergo. Patet min. quia quidditas abstrahitur à singularitate. Resp. quòd materia est de quiddirate, non autem materia sigillata, & si enim sit de quidditate materialis substantiæ, quòd habeat materiam partem sui, non autem quòd hanc sigillatam portionem, nisi in quantùm accipitur hęc singularis substantia; non verò ponitur principium individuationis materia secũdùm se, sed sigillata.

157 Arg. 11. Quod est indistinctum & confusum in se nequit esse principium individuationis; sed ita est materia: ergo. Patet maj. quia principium individuationis est ratio distinctionis individualis. Patet item min. quia in fundamento naturę nihil est distinctum. Resp. sicut ad præcedens, quòd materia secundùm se habet esse indistinctum eò quòd est pura potentia; per sigillationem verò à quantitate habet dividi in varias portiones.

158 Arg. 12. Individuum ut tale habet esse incommunicabile, quarè principium individuationis est principium incommunicabilitatis; sed materia, etiam ut sigillata, communicabilis est, est enim pars physica totius: ergo. Resp. 1. quòd ipsa etiam

etiam hæcceitas non tota entitas est, sed aliquid ejus, quarè toti communicatur. Resp. 2. quòd individuum, ut tale, & ratione individuationis, non incommunicabile, sed indivisibile est. Rursus: ex quo materia sit pars non alteri communicatur, sed cum alia comparte constituit totum incommunicabile, sicut in sent. ejus hæcceitas simul cum natura specifica, quam determinat, constituit totum singulare.

159 Arg. 13. Principium individuationis debet esse maximè proprium rei singularis, ita quòd nec simul nec successivè sit multis communis; sed eadem materia signata, quę erat in corrupto, manet in genito: ergo. Hoc jam suprà solutum est n. 47. Resp. itaque, quòd principium formale nequit esse ita commune, & tale est forma; quia verò ipsa forma non de se habet quòd sit hæc, sed ex materia, cujus sola divisione fieret duplex, principium radicale, & prima ratio individuationis ipsa materia est.

160 Arg. 14. ratione Scoti contra B. D. Ipsa signatio materiæ à quantitate posterior est quantitate: ergo sicut quantitas de se inepta est ad individuationem substantię, ita materia signata. Resp. neg. cons. quantitas enim inepta est ut sit principium se ipsa formaliter, eò quòd accidens est, & quid extra entitatem substantiæ, non autē inepta est ut causet talem determinationem in ea, qua sit hæc divisibilis in plures, & hoc causat quatenus materiam determinat, ratione cujus habet substantia materialis illam divisibilitatem. Alia procedunt contra diversos modos, quibus sent. Thomistica explicatur, quare ea mitto.

§. IV.

Solvuntur fundamenta contraria.

161 Restat, quæ pro se adducūt utriusque sēt. DD. quatenus contra nos esse possunt, solvere. Pro 1. itaque sent. adducit Elis. Phil. in 1. Phis. tex. 69. quo docet: *Formā constituere hoc aliquid*; at hoc aliquid est individuum: ergo forma constituit individuum, & consequenter ipsa erit. 1. radix individuationis, quarè Com. in 2. de An. tex. 9. ait, individuum non esse tale nisi per formam. Resp. quòd verba tex. sic habēt: *Unum igitur hæc*, nempè materia, *principium est*; *non tamen est unum neque ens per inde atque hoc aliquid*. Intendit ergo, quòd aliter forma, ac materia habent rationem principij, nempè quòd materia non constituit hoc aliquid & ens determinatum, sed est pura potentia, quæ determinari habet per formam, quārè ipsa forma est, quæ constituit hoc aliquid, hoc est, ens determinatum, quarè neg. min. non

enim per ly *hoc aliquid* individuũ intendit Phil. sed ens determinatum. Posset etiam dist. conseq. constituit individuum ut principium formale, conc. Ut prima ratio individuationis, neg. ipsa enim non de se, sed ex materia habet, quòd sit hæc. Quo patet intentum Com.

162 Arg. 2. idem à ratione: Constitutivum & distinctivum prorsus & omninò sunt idẽ; sed individuum distinguitur ab altero per solam formam suam: ergo. Pat. min. quia actus est, qui distinguit; materia autem nullum habet actum. Conf. Petrus, & Paulus ante omne accidẽs distinguuntur; sed eorum distinctio non à materia sumitur: ergo à forma. Patet maj. quia distinctio individualis est intra genus substantiæ. Patet item min. quia actus est, qui distinguit. Rursus: genitum & corruptum diversa sunt individua, licèt unam habeant materiam, ex diversitate formæ; è contra verò puer & senex, licèt diversitatem habeat in materia, idem est individuum ex unitate formæ: ergo.

163 Resp. 1 dist. conf. solum enim sequitur, quòd forma sit principium formale individuationis, quod non negamus; ipsa autem de se non habet quòd sit indivisa tali modo indivisionis, quę est propria individuatio materialis substantię, nempè privativè & cũ divisibilitate in plura, sed divisione materiæ dividi habet, quarè radicale principium, & 1. ratio illius indivisionis materia est. Resp. 2. neg. min. formà enim quantùm est ex se conveniunt individua: si ergo per formam distinguuntur, non est ex ipsa forma, sed quatenus ex ordine ad diversam portionem materiæ ipsa forma diversificatur. Ad Conf. jam suprà patuit, quòd materia determinata & sigillata dicit solam materiæ entitatem, licèt non secundum id quod de se habet, quarè est adæquatè intra genus substantiæ: si ergo dicatur, quòd secluso quolibet accidente distinguuntur individua, verum est, & hoc deducit probatio; si autem, quòd ante omne accidens, neg. maj. ante quãtitatem enim non est accipere diversas portiones materiæ, cùm ea apud omnes dividatur per quantitatem: cum autem dicitur, quòd actus est, qui distinguit; materia autem non habet de se actum. Resp. quòd non *ipsa* de se distinguit, sed determinata & sigillata, ad distinctionem formalem & quidditativam actus formalis & substantialis est qui distinguit, ad distinctionem verò individualem, quæ est extra quidditatem, & eò materialis dicitur, sufficit determinatio ipsius materiæ à quantitate. Ad aliud jam patuit supra n. 159.

164 Arg. 3. Differentia sumitur à forma, sicut genus à ma-

materia; sed differentia individualis vera differentia est: ergo. Conf. Gradus individualis identificatur realiter cum specificis; sed specifici à forma desumuntur: ergo & individualis. Rursus: terminus generationis est individuum, non enim generatur homo, sed hic homo; sed sola forma est terminus *quo* generationis: ergo. Ex his deducit Elis. quòd sent. Resol. non solùm probabilis, sed probabilissima est, & moraliter certa.

165 Resp. 1. quòd omnes gradus metaphisici à forma desumuntur; tum quia gradus genericus differentia est respectu superioris, quarè si ut differentia à forma desumitur, ab eadem desumitur ut genus; tum quia materia, est pura potentia, ex qua nullus potest accipi gradus determinatus; tum quia cuique patet, quòd animal v. g. virtutem sentiendi significat, quæ ipsius est animæ: cùm ergo dicitur, quòd genus sumitur à materia, differentia à forma, sensus est, quòd genus in metaphisicis se habet sicut materia in phisicis, & differentia sicut forma, nempè genus est potentia determinabilis, differentia verò actus determinans; & quia idem gradus respectu superioris habet modum actus determinantis, respectu verò inferioris habet modum potentiæ determinabilis, idem respectu superioris est differentia, respectu inferioris est genus, & utroque modo à forma desumitur, & significat aliquid ejus, in sola enim forma est accipere gradus.

166 Resp. 2. neg. min. si enim differentia individualis vera differentia esset, & à forma desumeretur, non esset extra quidditatem, quia sicut forma est phisicè ratio quidditatis, ita metaphisicè quidquid significat aliquid formę non potest esse extra quidditatem. Nec refert, quòd ipsa materia est etiam phisicè pars quidditatis: differentia enim individualis non ipsam materiam significat, sed determinationem ejus, quarè dicitur differentia materialis, & tantùm latè & quodammodo habet rationem differentiæ. Resp. 3. dist. conf. solùm enim sequitur, quòd desumatur à forma tanquam à principio formali & proximo, nempè sicut ens forma constituitur, ita hoc ens hac forma, quia verò ipsa forma non de se est hæc, sed ex materia, radicalis & prima ratio individuationis ipsa materia est.

Ad Conf. 1. instatur: gradus genericus identificatur cum specifico realiter; sed genericus juxta ipsum sumitur à materia: ergo & specificus. 2. neg. conf. Constituitur enim tota realitas phisica ex materia & forma: æque ergo est realiter ipsa entitas quod à forma, ac quod à materia desumitur. 3. disting. conf. Sumitur à forma proximè & tanquam à prin-

principio formali, conc. conſ. Tanquam à prima radice, neg. conſ. ipſa enim forma ex materia habet, quòd ſit hæc. Ad aliud; terminus totalis generationis eſt totum ex hac materia & hac forma; & quia non materia ex forma habet, quòd ſit hæc, ſed è converſo forma ex materia, radicalis & prima ratio individuationis materia eſt ſignata, quarè licèt probabilis ſit ſent. Reſol. non tamen adeò, ut moraliter certa dici debeat.

167 Arg. 4. Maſt. pro altera ſent. Si natura ſingularis aliquid addit ſupra ſpecificam, hoc nihil eſſe poteſt niſi hæcceitas; ſed addit proculdubiò: ergo. Min. nota ſupponitur, verè enim contrahitur natura ſpecifica ad individuum, quarè aliquo addito contrahitur. Prob. maj. Sicut ſe habet differentia ſpecifica ad gradum genericum, ita individualis ad ſpecificam; ſed differentia ſpecifica eſt id, quod ſupra gradum genericum additur: ergo quandoquidem quod ſupra naturam ſpecificam additur illa eſt hęcceitas, ea eſt differentia individualis.

168 Reſp. 1. inſtando: Si illa hæcceitas eſt aliquid realiter & phiſicè ſuperadditum ad naturam ſpecificam, ea non poteſt eſſe principium individuationis; ſed ita eſt: ergo. Patet min. neque enim forma eſt aut aliquid ejus, neque materia. Rurſus: ponitur realitas aliqua; at ea præciſa relinquitur tota natura ſpecifica: ergo eſt aliqua realitas naturæ ſpecificæ ſuperaddita. Maj. oſtenditur per ipſam rationem argumenti: Sicut ſe habet gradus ſpecificus ad genericum, ita individualis ad ſpecificum; ſed gradus ſpecificus importat de neceſsitate ipſam formam ac genericus, ſive aliquam ejuſdem formæ formalitatem, alioqui non poſſet genericus de eo prædicari in quid: ergo gradus individualis non poteſt eſſe differentia realiter alia à natura ſpecifica, & forma qua conſtituitur, atque ipſi realiter ſuperaddita.

169 Reſp. 2. directè neg. min. vel diſt. claritatis gratia: ſed addit realiter, neg. min. Addit formaliter, & ratione noſtra, conc. min. ſed hoc ſenſu neg. maj. cum ſua probatione; differentia enim ſpecifica eſt quidditativa, quarè addit generi gradum metaphiſicum; at verò differentia individualis eſt extrà quidditatem, quarè ſolùm addit materialem determinationē, quę quidditatem relinquit eandem: ſi ergo illa hæcceitas realitas eſt aliqua, realiter additur, realiter diverſificat & entitativè, quarè ea nequit eſſe ratio individuationis, hæc enim tantum eſt determinatio quædam ipſius naturæ ſpecificæ, non verò aliquid ei ſuperadditum, quarè non aliquo addito contrahitur natura ſpecifica,

fica, sed sola determinatione, quæ sibi convenit ex divisione materię.

170 Arg. 5. idem: Id est principium individuationis, ad quod sequitur tanquam passio unitas numerica; sed hoc est illa hæcceitas: ergo. Conf. Id est principiū individuationis; quod naturam specificam ultimò determinat; sed ita determinat hæcceitas: ergo. Conf. 2. Id est individuationis principium, quo individua inter se distinguuntur; sed tantúm hæcceitate distinguuntur, conveniunt enim in omnibus alijs: ergo. 3. principium individuationis est, quo individuum excedit naturam; sed tantùm hæcceitate excedit, tantùm enim dicit individuum naturam hanc: ergo.

171 Resp. neg. min. imò suppositum, quòd talis detur in sensum, quem ipse intendit, ultima enim realitas est gradus formæ & proinde differentia quidditativa. Itaque unitas non sequitur metaphisicè & ut vera passio, ut jam supra diximus, sed tantùm logicè, & quantùm ad conceptus nostros, sic autem tanquam ad radicem & ultimam rationem refundimus unitatem individualem ad materiam signatam, eò enim est hoc ens, quia habet hanc formam; hanc autem habet ex ordine ad hanc portionem materię; materia verò in portiones dividitur, ex quo quantitate signatur & fit divisibilis. Ad Conf. dist. maj. quod ultimò determinat per modùm differentiæ, neg. maj. hoc enim est differentia atoma quidditativa & metaphisica: quod ultimò determinat per modum affectionis & sine ulla additione, conc. maj. illa autem hæcceitas determinat per modum differentiæ cõtrahentis; est nempè realitas superaddita.

Ad 2. Conf. quando quidem illa hæcceitas est realitas superaddita, ea secluſa, sive per intellectum pręcisa, relinquitur natura duplex, quæ duplici hæcceitate afficiebatur, quarè non ipsa hæcceitate distinguebantur, sed ipsis entitatibus suis. Directè neg. min. distinguuntur enim ipsis entitatibus suis trãscendenter & intranſitivè, quod autem entitates sint duæ radicaliter oritur ex duplici portione materiæ, in qua duplex forma recipitur. Ad 3. neg. suppositum, quòd individuum metaphisicè addat supra naturam, & quia illa hęcceitas concipitur ut realitas superaddita, ea non potest esse differentia individualis. Itaque individuatione non perficitur natura, sed magis imperficitur, dividitur enim non per additionem alicujus perfectionis, quæ ad novũ esse nominale contrahatur; & quia prima ratio illius divisionis est materia prout quantitate signatur & habet in plures portio-

nes.

nes dividi, hæc est prima ratio & radicale principium individuationis in substantia materiali. Nonnulla alia adducuntur, quæ tamen ex his possunt facilè solvi.

ARTICULUS IV.

In quonam consistat distinctio?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

172 AD unitatem distinctio sequitur, quia uno modo est veluti sequela unitatis, quatenùs unum est indivisum in se, & divisum, seu quod idem est, distinctum à quolibet alio; alio modo immediatè opponitur unitati, quatenus unitas multiplicitatem tollit, quam ponit distinctio. N. Aug. Musæus tractatum edidit de distinctionibus ad mentem B. D. in quo latissimè præsentem versat materiam; quia tamen ipsum ad manus non habemus, ex his quæ sparsim habet B. D. mentem ejus deducemus. Priùs tamen de identitate, cui contraria videtur distinctio oportet determinare.

173 Itaque Mast. disp. 6. q. 7. art. 1. citatum adducit N. Musæum pro sent. afferente idētitatem nihil esse aliud quàm unitatem ipsam. Hanc ipse rejicit contendens identitatem cōsistere in relatione. Probat. 1. ex Phil. in 5. Met. tex. 16. ubi ait: *Quare patet, quòd identitas unitas quædam essentiæ est, aut plurium, aut cùm ut pluribus utatur, ut puta, cum dicit ipsum sibi ipsi idem, ut duobus enim ipso utitur.* Quo tex. apertè intendit Phil. quòd identitas non intelligitur nisi plurium ad se invicem; etiam enim quando unum dicit idem sibi ipsi, illud unum ut duo accipit intellectus; at *ad* relationem significat: ergo. Deinde ratione: tum quia identitas plura in unum quodammodo cogit, quare ad se refert sive re, sive ratione: tum, quia ex Phil. ibidem identitas in unitatem fundatur: tum insuper, quia identitas est convenientia plurium in substantia sive essentia, nempè unitas in essentia facit idem, in quantitate æquale, in qualitate simile; sed similitudo & æqualitas dicunt relationem: ergo & identitas. Tum tandem, quia unitas ex se non importat plura inter quę versiatur; quę de necessitate importat identitas.

174 Dicendum nihilominus, quòd identitas ipsa est unitas tantùm addens connotationem pluralitatis in alia ratione, aut acceptione, puram autem dicens & solam unitatem in ratione, qua sunt idem. Hæc quidem ex ipsis ferè terminis patet, communiter enim accipiuntur ut synonima unum atq; idem, & quod hoc

homo & equus identificentur in ratione animalis, nihil est aliud, quàm quòd una & eadem sit ratio animalis utrique communis; illa autem indivisio, quam de se habet in utroque animalitas, cùm in se accipitur, dicitur unitas, cùm verò ratione differentiarum accipitur duplex species illam unam rationem participàs, dicitur identitas. Quòd autem sit relatio, prorsus est imperceptibile: relata enim ea ratione, qua sunt relata sunt multa, non enim relatio intelligitur nisi ad alterum; at identitas omnem tollit alteritatem, & quæ alterum sunt ea ratione, qua alterum sunt, non sunt idem, formalissimè enim alterum esse importat distinctionem: quorsum ergo poterit intelligi identitas distinctione constitui, aut eo quod distinctionem transcendenter includit? Ita autem includit relatio, nempè, est quidditativè ad alterum.

Hoc itaque & nihil amplius intendit Phil. in verbis adductis, expresè enim ait, quòd idẽtitas quædam unitas est: cùm ergo ait, quòd est unitas multorum, non hoc potest intendere, quòd multa sint formaliter ipsa ratione, qua sunt idem; sic enim non unitas, sed multiplicitas esset identitas, sed tantùm intendit, quòd ea, quæ alia ratione sunt multa, secundùm quòd hac ratione non multa sed unum sunt, dicuntur idem; & quia sub expressione identitatis illam multiplicitatem connotat in alia ratione, quæ in alia ratione talem multiplicitatem non habent, non aliter possunt dici idem, quàm si intellectus uno utatur ut duobus, ut cùm dicit idem sibi ipsi, & ipse contextus litteræ hoc apertè indicat: postquam enim dixit, quòd quædam eadem dicuntur per accidens, ut cùm idem homo albus est & musicus idem dicuntur album & musicum, subjungit: *Quædam verò per se sicuti & unum: & enim quorum materia una, aut specie, aut numero una, eadem dicuntur. & quorum substantia una. Quare patet, quòd identitas unitas quædam essentiæ est.* Patet itaque, quòd directè intendit identitatem esse ipsam unitatem, cum sola expressione diversa ex illa connotatione.

175 Ad ea autem, quæ pro se adducit, facilè est respondere: Ad 1. quidem jam patuit sẽsus Phil. Ad 2. dicitur, quòd idẽtitas plura cogit in unum, sed, ex quo cogit in unum, non relinquit plura, quarè solùm habet connotare, quod alia ratione erant plura, nunc autem non plura, sed unum sunt; at si identitas esset relatio oportet & relinquere plura, quia non nisi unius ad alterum relatio intelligitur: ex quo ergo cogit in unum, potius sequitur, quòd nequit esse relatio. Ad 3. neg. assumptum,

non enim ait Phil. quòd in unitate fundatur, sed quod quædam est unitas; quamquam posset dici, quòd id quod addit quantum ad expressionem, nempè connotare pluralitatem in alia ratione, sequitur ad unitatem, & in ea fundatur. Ad 4. neg. conseq. in qualitate & quantitate illa convenientia relinquit distinctionem, imò sine distinctione non intelligitur; in substantia verò sive essentia tollit distinctionem, sine qua nequit intelligi relatio. Ad ultimum dist. maj. Importat plura in ipsa ratione qua est identitas, neg. maj. imò ipsam pluralitatem tollit ex quo facit idem: Importat plura in alia ratione, conc. maj. hoc autem non est ipsam pluralitatem importare, sed connotare.

176 De distinctione ergo multum controvertitur inter RR. an ea in positivo, vel in negativo consistat? Carleton apud N. Vill. disp. 2. Log. dub. 8. quem sequitur Spinul. docet, consistere in ipsis entitatibus, quę distinguuntur. Sed isti sunt extra præsentem controversiam, jam enim supponitur determinatum in præcedentibus, an passiones entis aliquid addant, vel sint ipsum ens? Quamvis autem ponatur esse ipsum ens, differre tamen, & aliquid addere supponitur quantum ad expressionem, quare quæritur, quid hæc expressio est? Prima itaque sent. docet consistere in negativo, nempè in carentia identitatis. Hanc esse communem ait Villan. ubi supra, & ei ipse subscribit, quamvis quodammodo intendat alias duas conciliare; eam tenent communiter Thomistæ apud Palanc. q. 21 Met.

177 Sed in primis hæc sent. circulum vitare nequit: si enim quæras quid est identitas, cùm ea sit ipsa unitas, est apertè indivisio, quæ nihil est aliud, quã carentia distinctionis, divisio, enim, quæ tollit unitatem non est præcisè separatio, sed sufficit distinctio: cùm ergo dicitur, quòd distinctio est carentia identitatis, sensus relinquitur, quòd est carentia indistinctionis, seu carentiæ distinctionis, quod aperta est negatio. Nec refert, quod intendit Ill. Palanco, quòd unitas in positivo consistit, quod per negativum explicatur, quarè distinctio illi opposita debet in negativo consistere, quo illi positivo opponatur, in quo consistit unitas. Contra enim est: passiones, juxta ipsos Thomistas, tantùm addunt enti conceptum explicitum: si ergo negatione explicatur unitas, ea secúdùm quod addit enti in negativo consistit, quarè id quod distinctio addit, quo unitatem excludit, & pluralitatem inducit, oppositum esse debet, nempè positivum.

178 Secunda itaque sent. docet cõsistere in positivo, nempè

pè in relationē, quam dicit secundum esse de prædicamento. Hanc tenent Scotistæ apud Mast. disp. 6. q. 7. Sed relatio secundùm esse, juxta ipsos Scotistas, distinguitur a fundamento suo: aut ergo se ipsa, aut alia relatione: Si primum, qua ratione distinctio hæc in ipsis extremis consistit, eàdem poterit consistere quævis alia: Si autem dicatur alterùm, hæc alia relatio item distinguitur, quarè alia relatione distingui debet, & itur in infinitum.

179 Hanc. replicam molestam dicit Mast. ait tamen à se soluram in Log. disp. 8. q. 5. Solutio, quam ibi habet n. 76. ad hoc reducitur, quòd relatio potest aliam relationem fundare; non tamen sequitur processus in infinitum, dabitur enim status in illa relatione, quæ cum alijs convenit in ratione fundandi, & exemplo explicat: nam duæ relationes paternitatis v. g. similes sunt, quarè relationē fundant similitudinis; istæ autem relationes similitudinis non alia relatione, sed se ipsis sunt similes, quia eandem habent rationem fundandi, quarè ibi fit status.

180 Sed & falsum est, quod assumit, & argumentum non solvit: In primis, similitudo in qualitatibus fundatur, in alijs autem convenientia non nisi analogicè & secundùm dici est similitudo, in quantitate æqualitas dicitur, in substantia identitas, in alijs convenientia non autem similitudo, quarè duę paternitates neque similes sunt nisi secundum dici, neque relationem fundant. Deinde: duæ qualitates similes sunt, istę autem similitudines etiam similes erunt, nec poterunt in ratione fundandi cōvenire, ratio enim fundandi qualitas est, quarè in his numquam fiet status. Præterea: in exemplo ipsius, duæ paternitates similes sunt non precisè in ratione relationis, alioqui non magis una paternitas alteri esset similis, quàm oppositę relationi, quarè ratio fundandi est talis determinata relatio; at relatio consurgens alia est: numquam ergo poterit haberi eadem ratio fundandi. Insuper: quæcumque similia sunt, eò talia dicuntur, quia conveniunt in ratione fundandi similitudinem: si ergo ita convenire ratio est quarè non requiratur nova relatio, nullum simile erit tale per relationem.

Missa autem illa doctrina, non vitatur processus in infinitum: distinguitur enim Petrus à Paulo v. g. relatione, in qua consistit distinctio; non minus autē ista relatio à Petro distinguitur, quàm Petrus ab ipsa relatione, & licèt in duabus relationibus posset imaginari eadem ratio fundandi, quo se ipsis, & non relatione superaddita distinguerentur; at Petrus a relatione sua

semper habet diversam rationem fundandi, quare semper relatione distinguitur, & ab ista relatione alia relatione distingui debet: si autem Petrus entitate sua intransitivè distinguitur ab illa relatione, tunc sequitur, & quòd distinctio non erit passio addita, & quòd eadem entitate poterit distingui à Paulo. Hinc ista sent. non potest ponere relationem secundùm dici, ut nostra ponit, quia relatio secundùm dici non est aliquid superadditum; ponit autem hæc sent. quòd distinctio est passio superaddita extremis, quæ distinguuntur, quarè in quocumque illam ponat, est aliquid distinctum, & de eo tenet factum argumentum.

181. Nobis ergo dicendum, quòd distinctio consistit in positivo, quod est relatio secundum dici, nempè passiones entis tantùm addunt conceptum explicitum, seu sunt objectivè & metaphisicè ipsum ens, quod ex alia & alia conceptione dicimus ens, unum, aut distinctum, quarè tantùm ratione nostra faciunt numerum cum ipso ente; relatio autem secundum dici est ipsa rei quidditas, quæ se ipsa intransitivè habet modum relatæ, sicut differentia dicitur qualitas secundum dici, quia se ipsa habet modum qualitatis, & si intellectus noster accipit relationem, illa est relatio rationis, quam ipse format ex fundamento, quod sibi præbet ille modus relativi: distinctio ergo est ipsa quidditativè entitas, quæ distinguitur, quæ quatenus se ipsa non est alia, habet quendam modum relativi ad illam.

182 Prob. 1. ex B. D. in 4. Met. quæst. 8. qua docet, quòd attributa entis talia dicuntur quatenus addunt enti, & sunt extra conceptum ejus, nempè præcisione imperfecta, & quantùm ad conceptum explicitum; æt verò quod concipitur esse extra conceptum entis, aut erit negatio, aut relatio, tantùm enim de relatione non prædicatur ens, cùm ea non sit aliquid, sed ad aliquid: quodlibet ergo entis attributum erit negatio, aut relatio; & sola unitas nequit addere relationem, subjungit ipse, quia tantùm unum in se dicitur & non ad alterum, ut in processu patebit de alijs: ergo.

183 Prob. 2. à ratione: Distinctum formaliter & ex terminis dicitur ad alterum; sed nō secundùm esse, & vera relatione: ergo secundum dici, & modo transcendente, quem ut veram relationem concipit intellectus. Patet maj. distinctum enim non nisi ab altero intelligitur. Min. autem ex dictis in antecedentibus prob. quia attributa entis non possunt aliquid addere supra ens objectivè & metaphisicè, sic enim tantùm relinquitur extra ens nihil; quod si ait supra B. D.

quòd

quòd extra conceptum entis relinquitur relatio, ideó quòd ipsa non est aliquid, sed ad aliquid, loquitur quantùm ad conceptum explicitum, & modum nostrum concipiendi, in sent. enim ejus relatio nihil addit fundamento suo.

184 Prob. 3. Hoc tantùm intellecto & quovis alio circunscripto, quod unumquodque est hoc aliquid in se ipso, intelligitur non esse aliud; sed non esse aliud est ab altero distingui: ergo distinctio non importat aliquid positivum suprà ens. Neque dicas, ex hoc deduci consistere in negativo, nempè ipsum non esse alterum negatio est aut negabilitas de altero: nam negabilitas est prædicabilitas, non esse verò alterum ipsa est prædicatio, quarè quantùm ad expressionem nostram utrumque supponit distinctionem, cujus est quædam passio. Multa alia possent adduci, ex his autem sufficienter patet conclusio, & patebit ampliùs solutione argumentorum.

§. II.

Solvuntur argumenta.

185 ARg. 1. Ill. Palanc. Distinctio non consistit in relatione rationis; sed aliunde neque in relatione reali: ergo non consistit in positivo, quod sit relatio. Maj. patet, distinctio enim datur à parte rei, & est passio entis; relatio verò rationis fit opere intellectus. Prob. min. 1. quia relatio realis supponit extrema distincta: non ergo in ipsa, sed magis in fundamento ejus consistit distinctio. 2. quia fundamentum relationis realis ab ipsa relatione distinguitur; sed non alia relatione: ergo non in relatione consistit distinctio.

186 Resp. dist. min. Non in relatione reali secundùm esse, conc. min. Secundùm dici, neg. min. Ad 1. prob. dicitur, quòd relatio secundùm dici non supponit extrema, non enim vera relatio est, sed ipsum extremum, quod se ipso habet modum relativi, & potest relativè concipi, quarè tantùm addit expressionem, & conceptum explicitum, & ita debent concipi attributa entis. Ad 2. quidquid sit de relatione secundùm esse, de qua latè diximus in Logica, patet, quòd relatio secundùm dici est quidditativè ipsum fundamentum, quod se ipso habet concipi modo relativi.

187 Arg. 2. idem: Distinctio formaliter consistit in eo quòd unum non sit aliud; sed unum non esse aliud est formalissimè negatio: ergo. Resp. neg. maj. negatio enim de altero prædicatio est, & negabilitas est prædicabilitas, quæ ipsum prædicabile supponit, & rationem, vi

cu-

cujus est prædicabile: ipsum ergo ens eò quòd quidditate sua intransitivè ita se habet ad alterū, non est ipsum, & de eo potest negari, quia semper negatio ad affirmationem reducitur, & in ea fundatur. Neque potest concipi entitas præcisivè ab eo quod est sic se habere, ut ipse in instātijs contendit, nisi tantùm quantùm ad conceptum explicitum, quia ipso suo esse intransitive ita se habet, & sicut non potest præcindi ab eo quod sit hęc entitas, ita neque ab eo quod ita se habeat.

188 Arg. 3. In eo consistit formaliter distinctio, quo 1. fit divisio inter ens & ens; sed primò fit per negationem identitatis: ergo. Prob. min. Ens non dividitur in ens & ens additione alicujus positivi, alioqui divisione fieret magis ens, nempè acciperet illud positivum: ergo illa divisio fit formaliter per negationem. Conf. 1. Dum creaturæ divisim participant perfectionem, quæ in Deo est indivisa, aut in se illa perfectio est magis ens, & magis positivum, quàm in Deo; aut non: Primum dici non potest: ergo dici debet secundum, & consequenter illa divisio non fit per aliquid positivum, hoc enim adderet illa perfectio in se ipsa, & sic esset magis ens. 2. Ab eo formaliter provenit divisio in ens & non ens, à quo provenit limitatio ut hoc sit hoc & non amplius; sed hęc limitatio formalissimè consistit in negatione amplioris entitatis: ergo. 3. Aqua ab aqua non dividitur quātitativè additione aquę, sed sola separatione: ergo ens ab ente non distinguitur additione alicujus positivi, sed sola sejunctione; sejunctio autem entis ab ente est formalissimè carentia identitatis.

189 Resp. 1. instando: divisio tollit immediatè & formaliter unitatem, quæ est indivisio: ergo non fit formaliter negatione aliqua. Patet conf. quia unitas in negatione consistit; negatio autem non negatione, sed positivo excluditur. Resp. 2. neg. min. Ad prob. dicitur, quòd positivum, in quo consistit distinctio, non est quid additum. Quo ad omnes Confirmationes patet, omnes enim procedunt contra positivum re ipsa additum: illud ergo positivum sola est expressio conceptūs nostri, sive ipsa rei quidditas, quam ex alio & alio conceptu accipit intellectus noster ut ens, unum, distinctum, & sic de alijs.

190 Arg. 4 Id, quo precisè sublato ab entitate Petri, licèt nihil aliud auferatur, auferetur distinctio ejus à Paulo, est formalissimè ipsa distinctio; sed precisè sublata carentia identitatis aufertur distinctio: ergo. Patet min. carentia enim identitatis identitate ipsa excluditur, quam poni est formalissimè distinc-

tinctione excludi. Resp. 1. quod eisdem terminis probatur, quòd identitas formalissimè consistit in carentia distinctionis, & tunc circulo explicantur attributa entis, quo nihil dicitur. Resp. 2. neg. min. Ad prob. dicitur, quòd carentia identitatis, & entitate sua sic se habere quod non sit aliud, expressiones sunt, quibus id respondet ex parte objecti, quod est rei quidditas, quarè non potest unum per intellectum excludi, quin aliud excludatur, & cùm præcinditur, aut quoquomodo non concipitur carentia identitatis, hoc ipso non concipitur sic se habere; quia tamen negatio ad positivum reducitur, & in eo fundatur, prior est illa expressio, qua concipitur sic se habere, & in hac consistit distinctio.

191 Arg. 5. ex Hurt. Res quælibet per id, quo constituitur, distinguitur ab omni non ipsa; sed constituitur entitate sua: ergo in ipsa consistit distinctio. Conf. Si non ipsa sua entitate distinguitur res ab alia, distinguitur aliquo superaddito; at ab hoc etiam distingui debet: ergo alia distinctione, & itur in infinitum. Resp. quòd arg. procedit contra sent. quæ ponit passiones aliquid addere supra ens, nos autem in ipsa entitate ponimus consistere, & solùm habere diversam expressionem, de qua quærimus, quid sit. Ad formam ergo dist. conf. In ipsa entitate & expressione qua est ens, neg. conseq. In ipsa entitate sub alia expressione, conc. Ad Conf. neg. maj. non enim aliquid superadditum requiritur, sed entitas sub diversa expressione.

192 Arg. 6. Mast. dissimilitudo præter negationem unitatis in qualitate, est quid positivum & relatio superaddita consequens ad negationem illam: ergo pariter in proposito præter negationem identitatis addit distinctio positivam relationem. Patet ant. quia negatio similitudinis non sufficit ad formalem rationem dissimilitudinis, datur enim illa negatio inter albedinem & chimæram, non autem dissimilitudo. Prob. conseq. quia distinctio opponitur identitati sicut dissimilitudo similitudini: ergo sicut dissimilitudo non mera carentia est similitudinis; ita distinctio non est carentia identitatis.

193 Resp. neg. conseq. in sensu, quem intendit arguens, nempè, quòd sit relatio secundum esse & superaddita. Ad prob. dicitur, quòd similitudo est convenientia prædicamentalis & secundum esse, quæ proinde speciale prædicamentum constituit, quarè addit licèt non physicam realitatem, saltim rationem quidditativam; at vero unitas, sive identitas est passio transcendens, non enim ipsa quidditate sua in-

telligitur qualitas similis, aut conveniens, sicut ipsa quidditate sua intelligitur una & eadem, quarè similitudo & ejus oppositum addit rationem quidditativam, unitas vero aut identitas, & ejus oppositum addit tantùm expressionem, & quantùm ad hanc tenet arg. quarè addit distinctio expressionem relativam, seu relationem secundùm dici.

194 Arg. 7. idem: Essentiæ rerum secundùm se non sunt relativæ; sed secundùm se distinguuntur: debet ergo relatio addi. Conf. 1. Quod distinguitur, & id, quo distinguitur, non est ipsa distinctio formaliter, quod distinguitur enim est habens distinctionem, & quo distinguitur est radix & principium distinctionis, non autem ipsa distinctio: ergo neque essentia ipsa, neque ratio essentiæ constitutiva est distinctio, sed aliquid essentiæ superadditum. 2. essentia secundùm se neque distinctionem, neque identitatem fundat, sed ad utrumlibet se habet indifferenter, & ad id, cum quo convenientiam habet identitatem, ad id verò cum quo non habet convenientiam, distinctionem fundat: ergo ipsa distinctio est aliquid superadditum, quo determinatur illa indifferentia.

195 Resp. quòd ex illis præmissis directissimè & nullo addito deducitur oppositum: si enim essentia secundum se habet distinctionem, non autem relationem, patet, quòd distinctio non est relatio. Secundum se ergo quælibet essentia est id quod est & non aliud, quarè ab omni non ipsa distinguitur, quarè distinctio metaphisicè & ex parte objecti est ipsa quidditas, quia tamen alia est expressio essentiæ, & distinctæ, sub hac 2. expressione modo relati concipitur. Ad 1. Conf. Illa relatio, quam ipse ponit, est id quo distinguuntur extrema, & quidquid ponatur in quo distinctio consistat erit, quo extrema distinguuntur, quarè sequitur, quòd non erit distinctio ipsa distinctio, seu quòd idem est id in quo consistit distinctio. Itaque neg. maj. tùm quia distinctione distinguuntur extrema, quarè id, quo distinguuntur, est ipsa distinctio; tum deinde, quia unumquodque se ipso est id quod est & non aliud, quarè se ipso distinguitur, & id quod distinguitur est transcendenter & quidditativè ipsa distinctio. Ad 2. neutrum erit passio entis, si neutrum ipsa entitas fundat. Neg. ergo ant. quia se ipso habet ens esse id quod est, & unitatem, seu identitatè in prædicatis suis, atque distinctionem ab omni alio.

196 Arg. 8. idem: Distinctio ex terminis est ad aliud: ergo positiva relatio est. Patet ant. non enim à se ipso sed ab alio oportet distingui. Con. 1.

Quan-

Quando opposita possunt eidem convenire in ordine ad diversos terminos, illa sunt relativa; sed ita se habent idem & diversum: ergo. Patet min. quia rationale v. g. est idem homini, & distinctum à lapide. 2. Distinctio opponitur identitati; non purè contradictoriè, quia contradictio non exigit extrema positiva, ut exigit distinctio; neque item contrariè, quia contrariè aut sunt activa, aut ex activis oriuntur: ergo opponuntur relativè.

197 Resp. dist. maj. Est ad aliud secùndum esse, neg. maj. Secundùm dici, conc. maj. & hoc sensu conf. Itaque distingui ab alio est non esse aliud, quod dicit formaliter ex parte objecti esse in se ipso id quod est, quarè tantùm habet modum & expressionem relati, non autem relationem secundùm esse. Ad 1. Conf. eodem modo dist. maj. Sunt relativa secundùm esse, aut secundùm dici, conc. maj. Præcisè secundùm esse, neg. maj. Ad aliud: 1. neg. conseq. possent enim opponi privativè. 2. neg. min. opponuntur enim distinctio & identitas, sicut distinctio & non distinctio & non identitas. 3. dist. conf. Ergo opponuntur relativè secundùm dici, conc. conseq. Secundùm esse neg. conseq.

*** *** ***
*** ***
***

ARTICULUS V.

Quotuplex sit distinctio, ubi de distinctione modali?

§. I.

Explicantur species distinctionis.

198 N. B. D. in 2. dist. 17. q. 1. art. 1. ad 4. docet ex Phil. 10. Met. tex. 11. quòd non est omninò idem *differens* & *diversum*, sive *distinctum*: nam differens dicitur, quod sub eàdem communi ratione, aliqua particulari differentia determinatur, qua ab altero distinguitur, dicitur enim differens à differentia; diversum autem, sivè distinctum ab altero dicitur, quod tota entitate sua aliud est: latiùs ergo patet distinctum, quàm differens, quæcumque enim differunt, distinguuntur eo, quo differunt, non autem è conversò, quæcumque distinguuntur differentiam habent, qua differant; nihilominus autem communiter pro eodem accipitur differens ac distinctum.

199 Itaque Phil. suprà adductus aitin 3. Met. quòd tot sunt species unius, quot entis; ac æquè excurrunt, & æquè cum ente convertuntur unitas ac distinctio: pariter ergo hęc eodem

modo dividitur ac ens. Prima ergo generali divisione distinctio dividitur in realem & rationis, sicut ens ipsum. Realis dicitur, quæ re ipsa datur ante opus intellectus; rationis verò, quæ non nisi per intellectus operationem. De hac divisione diú, multumque controvertitur, an ea sit adequata, vel detur distinctio media? Partem affirmativam tenēt Scotistæ ponentes distinctionem ex natura rei, Bachonistæ ponentes formalem in esse intelligibili; & qui cum Herrico & Alensi ponunt distinctionem intentionum, ad quam potest reduci, quam dicunt virtualem intrinsecam. E contrà autem, quòd non datur distinctio media inter realem & rationis, contendunt totis viribus Thomistæ.

200 In primis quidem illa triplex, sive etiam quadruplex distinctio media, quamvis diversimodè explicetur, eadem est, quæ nomine distinctionis intentionum tribuitur Henrrico, & quam sub hac expressione rejicit B. D. q. 9. de ess. & essent. ubi ait, ex Com. sumpsisse originem; per inde enim est formalitatem, aut virtualitatem, aut intentionem dicere id quod in eadem entitate ponunt ante opus intellectus. Deinde: ad dubitationem, ut jacet, idem omnes respondere tenentur: aut enim realis distinctio accipitur pro distinctione, quæ datur ante opus intellectus, & hoc sensu ipsi Scotistæ & alij negant distinctionem mediam; illa enim, quæ media dicitur, datur ante opus intellectus, quarè est hoc sensu distinctio realis: aut accipitur realis distinctio pro reali simpliciter, & rei à re, & hoc sensu Thomistæ tenentur cōcedere distinctionem mediam; quam enim ponunt modi à re modificata talis est, cùm modum dicant non esse rem; & nos ipsi, quamvis modum à re modificata non distinguamus realiter, de quo §. seq. mediam distinctionem hoc sensu admittimus; distinctio enim realis simpliciter duas res ponit; atverò distinctio modalis est rei modificatæ à se ipsa non modificata, quarè media est.

201 Hac ergo missa controversia, modos distinctionis, qui communiter in scholis admittuntur, expendamus: 1. dividitur distinctio realis in realem simpliciter, & secundum quid: realis simpliciter est, quę inter duas res versatur. Hujus triplex signū communiter assignatur, nempè separatio unius ab altero, ratio causæ & effectus, & realis relatio: Primum, quod communiter potissimum habetur, desumi dicitur ex Phil. 4. Topic. cap. 1. dicente: *Amplius, si possit alter sine altero esse, non est idem.* Secundum manifesta ratione patet; causalitas enim ad se ipsum nihil habere potest, quarè effectus de ne-

necessitate differt à causa sua. Tertium pariter; quia relatio ex quidditate sua est ad alterum.

202 Sed in primis locus Phil. lib. 7. habetur, & in illo cap. agit Phil. de locis arguendi ab eodem, & illis verbis intendit, quòd si contingat alterum sine altero esse, non benè arguitur, *non enim erit idem*, ex quo sequitur quidem, quòd quando alterum sine altero est non identificatur, non autem aut quòd alterum sine altero esse sit separari, aut quod hoc arguat distinctionem realem simpliciter, de qua intenditur: Utrumque jam alibi ostendimus, nempè disp. 4. Log. n. 382. paries v. g. re ipsa habet quòd sit visus, & existit nullo videnre; non autem proinde visum esse aut separatur realiter, aut realiter distinguitur, non alio nisi quia non est realitas aliqua, idem de privatione, quam re ipsa habet materia ante adventum formæ, susceptæ forma, non habet; non tamen aliquid ab ea separatur: unum ergo sine altero esse non arguit separationem, nisi aliunde ostendatur id, sine quo est, esse aliquid quod prius esset in eo quod manet. Praterea: multa contingit distingui, quæ ex necessaria cónexione non possunt sine se invicem consistere: licèt ergo separatio arguat distinctionem, non possumus ad illam confugere pro venanda distinctione, quæ sæpe sine illa haberur.

Non magis oportuna sunt alia duo: licèt enim causalitas ad aliud terminetur, non semper effectus est res aliqua, quare arguit distinctionem, non verò realem simpliciter. Idem de relatione: aut enim de relatione accipitur secundùm esse; & tunc omnia quidem, quæ ita sunt relativa distinguuntur, non autem è converso quæcumque distinguuntur relationem habent; si autem de relatione secundum dici, quæcumque quidem distinguuntur talem habent, cùm autem relatio illa ipsa sit distinctio, ut patuit art. precedenti, æquè erit facilè distinctionem cognoscere ac relationem illam: principium ergo unde venanda est distinctio realis simpliciter, sive rei à re, ipsa est extremorum quidditas, si nempè unumquodque sit res aliqua, quid autem nomine rei significetur, dicemus §. seq.

203 Distinctio realis secundùm quid multiplex est, secundùm quod multipliciter alterum extremum deficit à ratione entis, aut etiam prout ipsa distinctio deficit à ratione talis: poterit ergo 1. dividi in formalem, sive actualem, & virtualem; & distinctio virtualis est distinctio realis secundùm quid, quia non simpliciter habet rationem distinctionis: formalis verò dicetur secundùm quid, quia licet ipsa distinctio in actu & formaliter sit talis, ipsa tamen extrema deficiunt,

unt, quia alterum non habet rationem entis, quarè licèt alterum distinguatur simpliciter, alterum verò non distinguitur, quia unúquodque habet attributa sicut ipsam habet rationem entis.

204 Itaque distinctio virtualis dicitur virtus, capacitas, seu fundamentum ad distinctionem, quando nempè res in se ipsa una & indistincta, aut ex multiplici operatione, aut ex quovis alio fundamentum præbet ut intellectus de illa duos cóceptus formet, tunc illi conceptus, seu perfectiones, quæ illis respondent, dicuntur in re distingui virtualiter: hęc virtualis distinctio duplex est; quando enim utrique conceptui respondet idem cum sola diversitate expliciti, & præcisione ex parte actus, dicitur distinctio virtualis minor, penès implicitum & explicitum, aut includentis ab incluso; quando verò utrique conceptui diversa forma alitas respondet cum præcisione ex parte objecti, & ita quòd una in conceptu alterius non includatur, dicitur distinctio major, excludentis ab excluso, aut etiam rationis ratiocinatæ, prior enim solet dici rationis ratiocinantis; priori modo distinguntur definitio & definitum, atque etiam pars à toto, ut rationale ab homine, posteriori autem partes ipsę definitionis inter se. Dividitur à nonnullis distinctio virtualis major in intrinsecam, & extrinsecam, & dicitur extrinseca, quæ in re nullam ponit multiplicitatem, sed tantùm capacitatem & fundamentum; intrinseca verò, cui respondet in re multiplicitas, non realitatum, sed virtualitatum, quarè prior non sufficit ad verificanda contradictoria ante opus intellectus, benè autem posterior. Hęc tamen distinctio intrinseca solo nomine est virtualis, re enim actualis distinctio est ante opus intellectus, & parum refert si extrema dicas virtualitates, aut formalitates, quarè ipsa est distinctio ex natura rei.

205 Distinctio actualis secundùm quid potest dividi in positivam & negativam, & utraque in adæquatam aut inadæquatam: distinctio negativa adæquata erit, quę versatur inter duas negationes, quæ non opere intellectus, sed re ipsa distinguuntur, seu potius una non est alia, sicut autem negatio esse non habet, ita neque distingui; inadæquata autem erit, quæ versatur inter rem & carentiam: positiva adæquata erit, quæ versatur inter duas relationes aut modos, licèt enim re ipsa & secluso opere intellectus à se invicem distinguantur, neutrum tamen extremum est res seu ens simpliciter, quarè non simpliciter, sed secundùm quid distinguuntur: inadæquata erit, quæ alterum extremum habet, quod sit ens simpliciter,

citer, & hæc multiplex ponitur communiter, secundùm quòd multipliciter alterum extremum deficit à ratione entis.

Prima est distinctio modalis, ut ea communiter ponitur, nempè modi à subjecto suo, licèt enim subjectum sit res & ens simpliciter, modus tamen non simpliciter, sed secundùm quid & in obliquo est aliquid. Hanc nostra schola non admittit, quia modus à subjecto suo tantùm ratione differt. Secunda est distinctio ex natura rei formalis, & est aut formalitatis à formalitate, quæ erit adæquata, aut inter entitatem & formalitatem, quæ erit inadæquata; quid autem nomine formalitatis significetur, non uno modo explicant; aliqui enim, secluso ordine ad intellectum, formalitatem dicunt, quod est aliquid rei, ut pars, aut gradus, quod tamen separari non potest, & ideò non res, aut realitas, sed formalitas dicitur; alij ex ordine ad intellectum explicant, & formalitatem id dicunt, cui correspondet conceptus adæquatus & propria difinitione definibilis, quod tamen non potest ab alio separari, cujus aliquid est. Hanc distinctionem Scotistæ ponunt inter gradus metaphisicos, & ab entitate phisica, eàdem distingui dicunt passiones ab ente, modum à re, existentiam ab essentia, & in Deo attributa inter se & à natura Divina.

Parum ab ista differt tertia, quam ponunt Bachonidæ & dicunt formalizalem, sive in esse intelligibili, extrema enim dicit etiam formalitates, & ex natura rei distingui asserit; sic autem differre ait, quæ habent diversam intelligibilitatem, quarè distinctionem dicit formalem in esse intelligibili. Hoc idem nomine intentionis accipit Hérricus, quarè distinctio intentionum ab ista nõ differt, & idem dicendum de virtuali intrinseca, virtualitates enim, cùm ponantur ad diversos conceptus formandos, ipsę sunt intelligibilitates sent. Bachonicę. Hos omnes distinctionis modos nostra sent. non admittit, de quo satis actum est in Log. quarè distinctio realis secũdum quid apud nos est, quæ non ponit duo extrema simpliciter, sed unum & idem aliter se habens, ut tei modificata à se ipsa non modificata, aut relatæ à se non relata; non enim duo sunt album & simile, sed ipsa tantùm albedo, similiter non duo sunt Petrus, & Petrus sedens, sed ipse Petrus, re ipsa autem differt sedens à non sedente; hoc autem, quia singularis est sent. B. D. oportet seorsim expendere.

***

§. II.

Quid sit modus, & qualiter constitui debeat modalis distinctio?

106 QUo faciliùs percipiatur quidditas modi, quid nomine rei accipitur, congruum erit expendere. Res itaque uno modo dicitur ab eo quod est realiter esse sive in re extra, & sic accipitur contra id quod est ratio, seu tantùm per actum rationis habet esse; alio modo dicitur ab eo quod est ratum & firmum, & sic contra id quod habet esse valdè debiliter, & sic videtur res contra modum accipi: non autem sufficienter conceptus rei exprimitur per hoc, quòd dicatur esse quod saltim Divinitus potest ab altero separari; tum quia multa separari non possunt, quæ tamen res sunt, ut de materia asserit communis Thomistarum sent. quæ sine omni forma nequit existere, & proculdubiò essentia sine existentia esse non potest, esset enim sine esse; tum deinde, quia separabilitas passio est quædam, quę rem ipsam supponit, quæ est aut non est separabilis.

Itaque res & ens idem omnino sunt; ens autem ab eo quod est esse dicitur, quatè id est de se & ex proprio conceptu res aliqua, seu aliquod ens, cui de se & ex proprio conceptu aliquòd esse competit, & eo modo est ens, quo esse sibi competit; esse autem aut est participiale & existendi, aut nominale & quidditativum, & hoc, quia ens in actum & potentiam dividitur, aut est perfectio, aut perfectibile: quod ergo de se & ex proprio conceptu tale est, quòd aut sibi competit esse & existere in re, aut est subjectum natum ab aliquo perfici & perfectum esse suscipere, aut actus aliud perficiens, & potens communicare tale perfectum esse, erit de se ens aliquod & res completè aut incompletè, actus aut potentia, prout ad esse comparatur, quod sibi competit, neque alia suppetit via venandi conceptum rei aut entis, nisi ex ipso esse, sicut nihil est, quod esse non habet.

107 Ex hoc possumus deducere quid de se & ex proprio conceptu modus est. P. Arriaga sec. 1. Met. ait, communem esse modi definitionem, *quod nec Divinitus potest à subjecto separari*, & hanc malle se tenere profitetur, quàm aliam P. Huit. Sed in primis hæc neque est definitio, neque ullomodo explicat quid est modus, sed quandam tantùm passionem valdè communem; patet enim, quòd relatio à fundamento suo, existentia ab essentia, negatio, aut carentia ab eo quod carere dicitur, & id generis multa alia separari non pos-

possunt eo sensu, quo id de modo dicitur, nempè sine illis consistere. Deinde: sui oblitus illam relinquit, & ait modum à priori definiendum, quod est *actualis informatio subjecti*. Sed sessio Petri modus ejus est, non autem informatio.

P. Hemelmam in 1. p. trac. 11. disp. 2. cap. 2. docet ex communi sent. quòd modus est entitatula quædam parva & diminuta, quæ de se verè est aliquid, & se ipsa excludit nihil, quare reciprocatur cum ente & attributa ejus habet, quare modalem distinctionem ponit modi à re modificata realem quidem & ante opus intellectus, & ita quidem communis modus loquendi tenet. Sed tunc eò tantùm modus diceretur non esse res aliqua, quia minus ens esset, quàm subjectum, cujus est modus, absolutè autem res esset & ens, quod tamen stare non potest, quia materia & forma minus esse habent, quàm totum, cujus sunt partes, non autem proinde dicitur non esse ens aut res, sed entis & rei aliquid, sicut de modo dicitur.

208 N. B. D. multis in locis, quæ adducit N. Gavard. de Attrib. q. 2. art. 2. docet, modum sic congruè posse definiri: *Determinatio adjacens rei*, quare modus nihil est aliud, quàm passiva determinatio, qua res sic se habet, aut sic: potest autem duplex modus concipi; alter veluti transcendentaliter conveniens rei ex se ipsa, de quo late N. Gerard. in 1. dist. 7. q. 1. art. 1. & 3. ubi exemplum adducit ex Phil. tum cap. de Subst. tum in 5. Met. quib. in locis asserit, quòd differentia substantialis habet modum qualitatis, qualificat enim quodammodo & determinat genus, & quærenti, qualis substantia est homo? Respondetur, quòd rationalis; iste autem modus ipsa est quidditas rei, quæ se ipsa in transitivè talem habet determinationem: alter modus ab extra rei modificatæ convenit, & veluti contingenter, nempè sine quo res contingit inveniri, ut sessio Petri, sigillatio cæræ; de hoc potissimè quæritur, & prior est tantùm determinatio adjacens, hic verò posterior dici potest determinatio proveniès ab altero, quo ejus quidditas sufficienter determinatur.

Quoniam igitur quidquid imaginetur ullomodo superadditum non passiva determinatio est, sed determinans, determinatio verò ipsam dicit rem determinatam sic se habentem, sent. B. D. est, quòd modus nullomodo differt in re à subjecto suo, & nihil omninò addit, quòd possit distingui contra ipsum subjectum nisi sola ratione, quarè distinctio modalis non versatur inter rem & modum, sed est rei modificatę à se ipsa secundum se. Hanc sent. docet B. D. de es-

se-

se, & essent. q. 8. in 2. dist. 27. q. 1. art. 2. dub. 2. lat. & sepe alibi, sequuntur omnes uno ore discipuli Arg. in 3. dist. 5. q. 1. art. 1. Gerard. in 1. dist. 7. q. 1. art. 1. & 3. Fulgent. Mans. Gavardi, & alij apud ipsum, uno excepto Villan. qui disp. 5. Log. dub. 4. cap. 1. n. 87. communem sent. supponit de distinctione modi à re modificata, nisi forte ad hominem ibi arguit, quod tamen non explicat.

209 Dicendum ergo, quòd modalis distinctio tantùm est rei modificatæ à se ipsa non modificata, modus verò à re sola ratione differt. Hanc B. D. conclusionem his verbis proponit cit. Gerard. Ex his etiam concludo, nõ benè percipere mentem Æg. illos, qui ponunt, quòd distinctio realis sit ponenda inter modum & materiam tanquam inter duo extrema; nam modus per se sumptus, cùm non sit aliqua res, ut superius patuit, nullomodo potest accipi in ratione unius extremi in distinctione reali, sed debet accipi modus simul cum materia, ita ut totum hoc, scilicet, materia simul cum modo, cadat in ratione unius extremi, materia verò sine modo in ratione alterius extremi, & per consequẽs differentia realis modalis non erit ponenda inter modum & materiam, sed inter materiam modificatam & non modificatam, & illi, quia aliter imaginantur, nõ attingunt mentem D. ponentis illam opinionem.

De mente B. D. non est cur dubitemus, aut in adducendis locis ejus pro conclusione immoremur; modus enim semper est, aut effectus formæ, aut determinatio quædam ejus, ut sessio Petri, & sigillatio cæræ nihil sunt nisi positio quædam partium in ordine ad locum, & determinatio extensionis, quæ est effectus quantitatis: quandoquidem ergo de mente B. D. circa effectum formæ abundè actum est in Phis. ex ibi dictis sufficienter constat mens ejus de præsenti cõclusione; & siquidem ibi probatum est, quòd effectus formæ est modus se habendi subjecti, qui non est aliquid differens ab ipso subjecto, aut medium inter ipsum & formam, diversificat tamen subjectum à se ipso secundùm se, omnia ibi dicta hanc conclusionem probant, quare unam tantùm aut alteram adducemus rationem.

210 Prob. ergo 1. conclusio: Si modus differt ullomodo realiter a subjecto suo, aut subjectum non modificatur, aut itur in infinitum, & non est devenire ad modum, quo formaliter modificatur; sed utrumque est inconveniens: ergo. Prob. maj. Si sessio v. g. distinguitur realiter a Petro, aut Petrus in entitate, ut contra distincta ab illo modo, cui conjungitur, aliter se habet ac

ne prius; aut non: Si hoc secundum dicitur, non modificatur ex quo modum suscipit, non enim aliter se habet: Si autem dicatur alterum, sic arguo: Petrus ut contradistinctus à sessione aliter se habet: ergo acceptus contra sessionem habet determinationem, qua sic se habet, & quæ est modus se habendi sic: de hac ergo determinatione, qua aliter se habet, idem fit argumentum; aut ea distinguitur, aut non distinguitur à Petro: si hoc secundum, idem dicatur de sessione, pariter enim ea est determinatio Petri, qua aliter se habet: si autem distinguitur, reddit dilemma prius factum: aut acceptus contra hanc determinationem aliter se habet; aut non: & si hoc secundum dicitur, habens determinationem non determinatur: si autem alterum, alia determinatione determinatur, & itur in infinitum.

211 Hæc ratio duobus modis potest solvi: dices ergo 1. quòd quamvis modus distinguatur à subjecto, modificatur & determinatur subjectum modo ipso à se distincto, sicut quamvis forma à materia distinguatur, ipsa forma perficit, & materia à forma perficitur. Dices 2. quòd accipere Petrum contra sessionem suam est accipere ipsum secundum se, & sic non modificatur, neque aliter se habet, sed tantùm in sensu composito ad ipsam sessionem.

212 Hæc utraque solutio ex non intelligentia oritur factę rationis: imaginabimur itaque, quòd intelligentia motrix intimè conjungitur cælo, quia tamen tantùm ut motor assistens conjungitur, non verò ut forma perficiens, ex illa intima conjunctione eodem modo se habet cælum in entitate sua, sive in sensu composito accipiatur cum intelligentia, sive in sensu diviso; vel ut demus exemplum magis ad propositum: quantitas æquè intimè unitur corpori ac animæ nostræ, unitur enim corpori informato per animam; ex ista autem unione perficitur & aliter se habet corpus in entitate sua ut distincta à quantitate, non verò perficitur & aliter se habet anima, quia corpori informativè, animæ verò non nisi entitativè unitur quantitas: illud ergo perfici non est formaliter, sed causaliter ipsa quantitas, alioquī non poterit percipi cur corpus non anima perficiatur, aut cur corpori informativè, animę verò tantum entitativè uniatur quantitas: perfici ergo in sensu formali non ipsam quantitatem significat, sed determinationem, quam ex ipsa habet corpus sive materia, non verò anima, & ideò huic entitativè, illi informativè conjungitur quantitas, licèt utrique æquè intimè.

Similiter ergo in proposito, si modum concipimus aliquid ullomodo distinctum, & re ipsa superadditum subjecto, illa subjecti entitas, quæ alia est, in sensu conjuncto, & ex conjunctione ad modum, aut relinquitur sicut anima ex conjunctione ad quantitatem, aut sicut materia: Si illud 1. non modificatur, sicut omninò non perficitur anima à quantitate: Si autem hoc 2. modificatur quidem, sed causaliter illo modo superaddito, formaliter verò determinatione, quam ex conjunctione ad illum & in sensu composito ejus habet in entitate sua, quæ alia est ab ipso modo; & cùm hæc determinatio sit modus se habendi, quem consequitur ex conjunctione ad illam realitatem, de hac reddit idem argumentum, quarè standum in primis & dicendum, quòd modus non realitas est, à qua determinetur subjectum, sed determinatio ipsa indistincta, & quę est ipsum subjectum sic se habens, quæ à forma causatur, sive extrinseco modificante.

213 Prob. 2. evertendo contrariam sent. Si modus distinguitur realiter à re modificata, non modaliter, sed entitativè distinguitur, & realiter simpliciter; sed hoc est inconveniens: ergo. Min. supponit contraria sent. Maj. autem ostenditur: Si modus à re modificata realiter distinguitur, non modus est, sed res & ens; & solùm habet minus esse ens, quàm subjectum, à quo distinguitur; sed minus esse ens non tollit quin entitativè distinguatur: ergo. Patet maj. quia quòd se ipso formaliter, & ut contra aliud accipitur, aliquid est, excludit nihil, & attributa entis habet, verum ens est, licèt fortè minus ens sit, quàm aliud; tunc autem modus aliquid esset contra subjectum, & illi adderet aliquid, esset item distinctum, & distinctionem fundaret, quæ est passio entis. Min. item patet; quòd enim accidens, puta albedo, minus sit ens, quàm substantia, cui inhæret, non tollit quin entitativè distinguatur, & realiter simpliciter, quia de se & acceptum contra ipsam substantiam verè aliquid est: pariter ergo, si modus de se esset aliquid subjecto suo additum, entitativè & simpliciter, & non modaliter distingueretur.

Neque dicas, modalem dici illam distinctionem, quamvis realis sit, quia modus est extremum, quod distinguitur. Licèt enim accidentalem velis dicere distinctionem, qua albedo à subjecto suo distinguitur, eò quòd accidens est extremum quod distinguitur, hoc non tollit, quin entitativa sit, & realis simpliciter: ergo pariter. Quodsi iterum dicas, quòd realis simpliciter est distinctio albedinis, quamvis sit accidentalis, quia hoc additum non

non est distrahens, sed tantùm diminuens; cùm autem dicitur distinctio modalis, hoc additum est distrahens. Contra: aut ponit duo extrema, quorum utrumque sit aliquid, licèt inæqualiter; aut non ponit duo extrema: si hoc secundum, erit additum distrahens, sed habemus intentum; si autem alterum, non distrahens, sed diminuens tantùm est illud additum, sicut cùm dicitur distinctio accidentis, aut accidentalis.

§. III.

Solvuntur argumenta.

214 COmmunem sent. de distinctione modi à re modificata nullus, quem viderim ex instituto probat, quarè argumenta in cõtrarium ea tantùm sunt, quæ contra se objiciunt nostri Arg. & Gerard. quę adducemus, ut ex eorum solutione magis pateat conclusio. Arg. 1. N. Gerardus: Modus de se aut est nihil, aut aliquid; si 1. nequit diversificare subjectum à se ipso secundũ se; si autẽ 2. debet ab ipso subjecto distingui: ergo. Patet maj. sũt enim extrema contradictionis aliquid & nihil, sicut esse & non esse. Ostenditur min. quantum ad 1. tum quia, quod non est, non est diversificativum: si ergo modus de se non est, seu nihil est, non diversificat subjectum; tum deinde, quia cui nihil additur eodem modo manet & non diversificatur: si ergo subjecto nihil additur, ex quo habeat modum, non ex hoc diversificatur. Quantum ad 2. item: quod enim de se est aliquid, de se fundat attributa entis, quarè habet distinctionem ab omni non ipso.

215 Resp. neg. maj. Ad cujus probationem dicitur, quòd si sumantur eodem modo sunt extrema contradictionis, non autem si diversimodè sumantur, quod enim abstractivè est nihil poterit esse aliquid concretivè; & ita est in proposito: Modus itaque nihil est additum subjecto, cum hoc tamen aliquid est concretivè, nempè ipsum subjectum sic se habens; cùm itaque arguitur, quod non est, non est diversificativum, verum est eo modo, quo non est; & quia modus non est abstractivè & quasi contra subjectum, neque diversificativum hoc sensu est, quia tamen est ipsum subjectum sic se habens, ipsum per hoc sic se habere diversificatur à se ipso secundum se. Ad aliud neg. assumptum, de quo expressè quærit B. D. Quodl. 5. q. 14. & probat, quòd potest aliquid distingui à se ipso realiter, quin aliquid recipiat, aut aliquã habeat in se mutationem, & patet, quòd album quin mutetur, aut aliquid recipiat, per hoc quod fiat aliud album, aliter se ha-

habet, & incipit esse simile, quo differt à se ipso ut erat prius.

216 Arg. 2. Non est distinctio media inter realem & rationis, sicut ens in reale & rationis adæquatè dividitur, æquè enim excurrunt, & ad convertentiam dicuntur ens, & distinctum; sed ex nostra conclusione sequitur distinctio media: ergo ea non tenet. Patet min. quia distinctio modalis non est realis, quia non ponit duo extrema, ut illam nos ponimus; aliunde neque est rationis, quia datur ante opus intellectus: erit ergo media. Resp. neg. min. in sensu, quem intendit maj. aut maj. in sensu, quem habet min. Itaque si distinctio realis sumitur absolutè non oportet, quòd ponat duas entitates, sed duo utcumque ante opus intellectus, & sic licèt non duo sint res & modus, duo sunt quodammodo res modificata & nõ modificata: si ergo distinctio modalis accipitur modi à subjecto, sic est rationis, quia licèt modus sit in re, non est tamen in re aliud à subjecto, sed tantùm per rationem; si autem accipitur subjecti modificati à se ipso secundum se, sic est realis, quia re ipsa duo sunt, & licèt nõ aliud & aliud ens, tamen alterum, sive aliter se habens, quod sufficit.

217 Contra hanc solutionem potest instari: quia non quòd modus sola ratione differat a subjecto suo, & tamen faciat ipsum differre realiter: si enim sola ratione differt, tantùm ratione est aliquid, cùm distinctio sit passio entis, & unumquodque sic differat sicut habet esse: si ergo tantũ ratione differt à subjecto suo modus, tantùm ratione habet esse, & tantùm ratione poterit diversificare; quod tamen apertè patet esse falsum. Resp. quòd ad esse sequitur distinctio, & quia modus de se & seorsim à subjecto non est aliquid, non fundat distinctionem; ut autem subjectum diversificet à se ipso, non oportet, quòd de se sit aliquid, quia ista distinctio non in ipso modo fundatur, sed in ipso esse subjecti aliter se habentis, quarè solùm requiritur, quòd non sit nihil in concretione ad ipsum subjectum, ut dictum est ad 1. quòd ergo modus sit in re non facit actus intellectus, quòd verò sit aliud à subjecto, non nisi per actum intellectus habet.

218 Arg. 3. Talis modus non est in materia, nisi ex unione ad formam, & universaliter modus, de quo loquimur, est determinatio proveniens ab altero; sed à forma, & ab illo altero, quodcumque sit, differt realiter subjectum: ergo magis ab isto modo. Vis hujus rationis illo nititur Scoti principio, quod jam suprà solutum est, nempè, si subjectum differt ab eo, quod est prius, magis debet differre ab eo,

to', quòd est posterius, quia prius & magis immediatè sibi convenit id, quod est prius, cùm per hoc conveniat sibi alterum.

219 Resp. neg. conseq. Ad prob. dicitur tenere quando id quod per alterum convenit est aliquid tertium; in proposito autem ille modus non est aliquid medium inter subjectum & formam, forma enim se ipsa immediatè unitur, & perficit, & subjectum se ipso perficitur, cùm sint actus & potentia; cum hoc autem stat, quòd subjectum verè perficitur, & in ipsa entitate sua aliter se habet, quarè se ipso intransitivè habet modum se habendi, quem non habebat prius, & differt à se ipso ut erat prius: non ergo magis immediatè sibi convenit id, à quo causatur iste modus, sed immediatè, neque iste modus est aliquid medio altero conveniens, sed ipsa sua entitas sic se habens ex conjunctione ad alterum.

220 Arg. 4. Argent. Si iste modus est idem cum subjecto, subjectum se ipso modificatur; si autem non est idem, differt à subjecto: ergo implicat, quòd non differat à subjecto, & tamen ipsum determinet, & diversificet. Resp. neg. maj. modificatur enim subjectum causaliter à forma determinante, formaliter verò ipsa determinatione, quæ non aliud est ab ipso, sed non proinde ipsum subjectum absolutè, sivè secundùm se, sed ipsum sic se habens, quarè posset dist. maj. Modificatur se ipso absolutè, sive secundum se, neg. maj. Modificatur se ipso determinato, & ita se habente, conc. maj. in quo nullum est inconveniens, causaliter enim à forma, sive extrinseco modificante determinatur.

221 Arg. 5. idem: Quod causatur à posteriori, nequit esse idem cum priori; sed modus iste ab aliquo causatur, quod posterius est, & superueniens subjecto: ergo nequit esse idem cum ipso subjecto. Hoc arg. idem est quod supra solvimus n. 219. Resp. itaque dist. maj. nequit esse idem cum priori absolutè accepto & secundùm se, conc. maj. tunc enim nihil causaret illud posterius; nequit esse idem cũ priori determinat o & sic se habente, neg. maj. tunc enim causat tãtùm illud posterius hanc determinationem, qua prius in se ipso ita se habet, non verò aliquid ipsi additum.

222 Arg. 6. idem: Quod est in potentia ad aliquid, & potest stare cum opposito ejus, differt realiter ab illo, quia nihil est in potentia ad se ipsum, aut cum opposito sibi potest stare; sed subjectum secundùm se est in potentia ad illum modum, & potest stare cum opposito ejus, quia secundùm se non habet modum, & potest illum habere, aut non habere: ergo. Resp. neg. min. non enim ad modum per se est in poten-

tentia subjectum, neque modus est aliquid in ipso receptum, sed tantùm est in potentia ad id, quo modificatur, quarè solùm sequitur, quòd ab isto differat.

223 Arg. 7. idem: Quod est id alicui, non est causa distinctionis ejus à se ipso; sed modus est causa distinctionis subjecti à se ipso: ergo. Resp. 1. quòd causa distinctionis non modus est, sed causa modificã. Resp. 2. dist. maj. quod est idẽ alicui absolutè, conc. maj. Quod est idem alicui tantúm secundùm quid & in aliqua acceptione, neg. maj. quia ex ipso quod tantùm in aliqua acceptione est idem, absolutè, sivè secundúm se non est idem, quarè facit diversum hoc sensu. Ex his poterit ad alia patere, si quæ sint.

ARTICULUS VI.

Quid sit veritas?

§. I.
Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

224 VEritas duobus modis accipitur, imò tribus, est enim veritas cognitionis, & veritas entis, & potest addi veritas enuntiationis, priori dicitur verus intellectus, quando cognoscit ut est, quarè est conformitas intellectus ad rem; posteriori non verus, sed verax dicitur enuntians, & consistit in conformitatẽ enuntiationis cum mente enuntiantis, quarè ad hanc de materiali se habet quod res sit aut non sit sicut enũtiatur, & tantùm requiritur, quòd enuntietur sicut apprehenditur; de his satis dictum est in Log. Veritas entis est, qua dicitur verum ens, ut autem verum aurum distinctum ab aurichalco, hæc est entis attributum, & de hac quæritur.

225 Nonnulli asserunt, non dari in re talem veritatem nisi tantùm fundamentaliter & in potentia, & solúm in intellectu dari in actu & formaliter veritatem, quarè ex Phil. desumitur, quod ut principium habetur, quòd bonum & malum sunt in rebus, verum & falsum in intellectu, quam sent. veluti communem proponit, & tenet N. Mans. lib. 3. Log. q. 3. §. 6. ubi docet, quòd universale est in re eo modo quo veritas & tempus, nempè fundamentaliter & in potentia, quam sẽt. tenere ait N. B. D. in 1. dist. 19. p. 2. q. 2. Sed longè alia est mens B. D. ut patebit infra, imó positionem illam, quòd veritas est in re sicut universale, ibi refert, & rejicit, eò quòd veritas est in anima ut in subjecto; universale autem licèt habeat esse in anima non verò ut in subjecto.

Dari itaque in re extra formaliter & in actu veritatem, quę est entis attributum, dubitari non debet: id expresè habet Phil.

Phil. in 2. Met. tex. 4. quo asserit, *Quòd qualis est uniuscujusque dispositio in entitate, talis est in veritate*, Nempè, ut exponit Com. quantum habet de entitate, tantum de veritate debet habere; at entitatem in actu & formaliter habet: ergo. Deinde ratione est manifestũ: unum quodque enim sicut est hoc aliquid, ita verè est id quod est, & veritatem habet, qua verè est hoc aliquid, ut aurum perinde habet esse aurum, & esse verum aurum, quo enim non erit verum aurum, non aurum erit, sed aurichalcum; at intrinsecè & in actu est id quod est: ergo intrinsecè & in actu habet veritatem qua est verum ens.

226 De quidditate ergo veritatis. 1. sent. docet consistere in denominatione extrinseca à veritate, quæ est in intellectu. Pro hac cit. Vazq. & alij. Sed meritò ea rejicitur cómuniter: præterquãquod enim veritas intrinsecè in re datur, ut jam patuit, non quia intellectus verus est, & verè apprehendit rem, ipsa est vera, ut aurum non eó erit verum aurum, quia ita esse apprehendatur ab intellectu, imò contingit sæpe falli intellectum, & apprehendere verũ esse ens, quod non nisi apparens est, & è converso. Rursus: cognitio, imò & cognoscibilitas supponit esse rei cognitę, aut cognoscibilis, & consequenter quòd verè sit, aut non sit talis: non ergo vera dici potest res ipsa á veritate intellectus, imò magis intellectus dici debet verus à veritate rei, ut quia illi conformatur.

227 Secunda sent. docet, veritatem consistere in negativo, nempè in negatione entis ficti, sivè fictionis, seu ut alij explicant, in negatione cujuscumque extranei, nempè unumquodque verè est tale, & veritatem habet talis entis, quatenus excludit omne id, quod non est de ratione talis entis, puta aurum est verum aurum, quatenus non habet aliquid extraneum à natura aurĩ. Pro hac cit. Aureol. & alij. Sed apertè patet, quòd prius est esse hoc aliquid, & verè habere naturam talis entis, quàm excludere extraneum, & non habere quod est extra naturam ejus, & hæc negatio in illa affirmatione fundatur, quarè veritatem supponit hoc negativum. Præterea: Ista negatio prædicati extranei æquè convenit vero & ficto; æquè enim verum aurum non habet aliquid ficti, ac fictum non habet aliquid veri, & sicut illud non esset verum aurum, si prædicata ficti haberet, ita hoc non esset fictum, si haberet prædicata veri.

228 Tertia sent. docet, consistere in positivo, quod neque absolutum est, neque relativum, licèt à nobis modo relativi explicetur. Ita Mast. disp. 5. q. 6. n. 146. Movetur: quia sicut

ens

ens ut sic, nec absolutum est, nec relativum, sed utrumque commune, ita veritas, quæ est passio convertibilis cum ente. Sed in primis: idem deberet dicere de alijs ētis passionibus, æquè enim aliæ cum ente convertuntur: & nihilominus alijs proprium conceptum assignat. Deinde: aliud est loqui de cōceptu abstracto ētis ut sic, aliud verò de attributo determinati entis, v. g. in quo consistit veritas, qua aurum dicitur verum aurum, Præterea: falsum est, quòd ens neque absolutum est, neque relativum; significat enim ipsum esse, quod absolutum est, licèt possit relationem fundare, quæ non aliud ens est, sed ipsius habitudo, seu ad aliud se habere. Insuper: si veritas neque absoluta est neque relativa, sicut ipsum ens, non poterit à nobis modo relativi explicari, sed sicut ens apud ipsum aliud absolutum, aliud relativum est, ita veritas in alio erit relatio, in alio absolutum quid, & non erit idem, quo aurum v. g. est verum aurum, & similitudo est vera similitudo; cùm tamen in utroque sit veritas eadem, quæ est entis attributum.

229 Quarta sent. docet, consistere in relatione rationis, quam nempè res quælibet ad intellectum fundat, quatenus ab eo conceptibilis est; verum enim, de quo loquimur, est objectum intellectus. Hæc tribuitur Durādo & alijs. Sed in primis illa relatio, quam res quælibet fundat ad intellectum, non est rationis; re ipsa enim res quælibet nata est concipi & immutare intellectum. Deinde: veritas est realis passio entis, eo sensu quo ens passiones habet, quarè conceptus ejus nequit in relatione rationis poni. Præterea: prius est esse in se id quod est, quàm sic vel sic esse conceptibile, neque quòd aurum sit verum aurum in hoc potest consistere, quòd ab intellectu sit verè conceptibile, imò quia in se est verum aurum, & talem veritatem habet, potest intellectum immutare, & ab eo cōcipi: quamvis ergo verum, de quo agimus, sit objectum intellectus, non in ipsa habitudine objecti consistit veritas, sed potiùs ea in veritate fundatur.

230 Quinta sent. docet consistere in relatione, quam res dicit ad ideam, quę est in intellectu Divino, sicut nempe artificiatū verè est tale per hoc quòd conformetur ideæ, quæ est in mente artificis, ita res per conformitatem ad ideam, quæ est in Deo. Pro hac citātur multi Thomistæ cum Capreolo, & Ferrariensi. Sed veritas, quæ est entis attributum, habet rationem mēsuræ, & insuper quandam manifestationem significat, quod utrūque ex Phil. latè ostendit B. D. ut patebit inferius; neutrum autem habet res per comparationem

rem ad ideam, quæ est in mente Divina, potiùs enim mensuratū est, quàm mensura: Sexta sent. docet consistere in relatione conformitatis ad propria prædicata, ut aurum eó formaliter est verum aurum, quia habet prædicata, quæ sunt de quidditate auri. Hæc eò displicet, quia relationem ponit secundum esse enti superadditam; quidquid enim ponatur enti superadditum, sicut ens eo secluso relinquitur, ita verum ens, & veritas ejus, se ipso enim ens est verum aut fictum ens. Præterea: Conformitas est similitudo, quæ non magis in uno est, quàm in alio, quarè non minus illa relatio erit in ente ad prædicata sua, quàm è converso.

231 Septima demum sent. docet, in ipsa entitate consistere veritatem, & nihil omninò enti addere, ut enim n. præcedenti diximus, ens se ipso verum ens aut fictum. Pro hac citantur Oviedo, Hurtado, & alij, & videtur tenere Ill. Palanc. q. 12. Sed hæc quæsito non respondet; supponitur enim ex prius disputatis, quòd veritas, sicut aliæ passiones sunt objectivè & metaphisicè ipsum ens, quod quidditate sua est unum, distinctum, & verum; cum hoc tamen diversæ expressiones sunt, & diversum conceptum explicitum importat, unumquodque attributum, & de hoc quæritur. Hoc itaque videre de veritate valdè est difficile quod vel ex ipsa patet sent. varietate; cui accedit, quòd N. B. D. de hoc quidem ex instituto determinat, tum lib. 2. Met. per plures quæst. tum in 1. dist. 19. p. 2. q. 2. adeò autem variè loquitur, quòd oportet pro mente ejus venanda loca latiùs expendere, quarè de hoc seorsim agemus.

§. II.

Expenditur mens B. D.

232 N. B. D. loc. cit. 1. in 1. art. illius q. quærit, an veritas sit in rebus? Postquam autem aliorum adducit explicandi modos; pro exponenda propria sēt. ita habet: *Propter hoc notandum, quòd secundum viam Phil. veritas ut in subjecto solùm est in intellectu, & ab hac veritate ea, qua sunt extra intellectum vera dicuntur; nam ut communiter exemplum ponitur, cibus dicitur sanus licèt nihil de sanitate formaliter sit in cibo; ita & res dicuntur veræ in quantùm veritatem causant, licèt veritas formaliter sit solùm in intellectu, ut sanitas in animali, & propter hoc dispositio cujuslibet rei in veritate est sua dispositio in entitate; quia sicut res se habet ad esse, sic se habet ad cognosci, & secundum quod ab intellectu cognoscitur, vel cognoscibilis est, dicitur vera, non à veritate, quæ sit in ipsa, sed à*

veritate, quàm in anima causare habet. En dissertissimè de hoc ipso quærens ait, quòd veritas non est in re, & quòd res dicitur vera à veritate intellectûs.

Quod sepè habet non solùm in eodem art. sed alibi; nam in seq. art. quærit, an omnia sint vera una veritate? Et §. *est ergo* ait, quòd verum est analogum, & dicitur de intellectu speculativo & de rebus, sicut sanum de animali & cibo, & articulum per hæc verba concludit: *Ex quo apparet, quòd licèt veritas sit ipsa rectitudo, & aliquid dicatur verum, quia est ut debet esse; non tamen oportet res esse veras veritate, quæ sit in ipsis; quia simpliciter rectæ sunt secundum viam Anselmi rectitudine, quæ est in Deo*: En iterum res non dicitur vera à veritate, quæ sit in ipsa.

Rursus: in 2. Met. quo sæpè de hoc ipso quærit, q. 2. cùm quæreret, an veritas in intellectu habeat esse? Ita resp. *Ad istam quæstionem dico, quòd veritas, sicut accìpimus hic veritatem pro adæquatione, est in ipso intellectu*; Et postquam hanc suam conclusionem prob; ita concludit: *Et ita patet, quòd sicut scibile dicitur relativè, non per relationem quæ sit in ipso, sed per relationem, quæ est in scientia, & cibus dicitur sanus, non per sanitatem, quæ sit in ipso, sed per sanitatem, quæ est in animali; sic res non dicitur adæquata adæquatione, quæ sit in ipsa, sed adæquatione, quæ est in ipso intellectu; dicitur etiam res vera, non per veritatem, quæ sit in ipsa, sed propter veritatem, quæ est in ipso intellectu.* Non ergo videtur dubium relinqui de mente B. D.

233 Nihilominus illis eisdem locis non minùs apertè oppositum asserit, quòd nempè veritas non solùm in intellectu, sed in re etiam habet esse: in primis enim cit. art. in 1. sent. adducit D. Ansel. lib. de Verit. docentem, quòd in rebus est veritas, quam positionem admittit & explicat, quaré §. *propter hoc*, ita concludit: *Et ita veritas non solùm est in intellectu, sed in rebus*, & in sol. ad 2. ita habet: *Ad 2. dicendum, quòd verum addit aliquid supra ens, & tamen cum ente convertitur; nam res dicitur vera secundùm quod habet esse in ordine ad intellectum, & quia quælibet res secundum quod habet esse est sic ad intellectum ordinabilis, universaliter rationem entis consequitur ratio veri.* Idem habet in sol. ad 4. Item seq. art. §. *Ideo notandum*, & §. *visò autem quomodo*. Similiter in 2. Met. q. 2. ita habet: *Et propter hoc est aliter dicendum, quòd cum veritas sit adæquatio, sicut dicit Avicena, duplex est autem ista adæquatio: una est adæquatio rei ad sua principia, & talis est in rebus ipsis, & res ipsæ sunt subjectum talis adæquationis, ideò quantò aliqua res*

magis adæquatur suis principijs, tantò magis est illud, sicut illa caro, quæ magis adæquatur principijs carnis magis est caro, & magis participat rationem carnis.

En eàdem claritate, qua prius dixerat, quòd veritas non est in rebus, sed tantùm in intellectu, asserit illis eisdem locis, quòd nõ solùm in intellectu, sed in re etiam datur veritas, & idem habet q. 1. & q. 3. q. 5. q. 17. & q. 22. quarè oportet, quòd aliter & aliter ipsa veritas accipiatur; neque enim manifestè, adeò potest ipse sibi contradicere, maximè in eodem loco, & non semel utrumque asserens. Pro intelligentia ergo conclusionis, & pro mente ejus habenda oportet hoc expendere.

234 Not. ergo, quòd aliud est loqui de veritate simpliciter & propriè dicta, aliud vero de veritate in determinata acceptione, ut de veritate transcendentali, quæ est passio entis, & qua unumquodque verè est id quod est, ut aurum est verum aurum: priori sensu veritas tantúm est in intellectu, & res non dicitur vera à veritate, quæ sit ipsa, cum quo stat, quòd veritas posteriori sensu verè sit in rebus: solùm ergo intendit B. D. quòd illa veritas, quę est in rebus non est simpliciter & propriè talis, quarè pro intelligentia videamus oportet, quid est veritas simpliciter loquendo, & inde poterit de facili haberi quod intendimus, nempè in quo consistit veritas, quæ est passio entis?

235 Not. itaque deinde est, quòd veritas non significat utcumque conformitatem; conformitas enim similitudo est, quę æquè habet esse in utroque extremo: significat ergo veritas talem specialem conformitatem, quæ est adæquatio, & hæc supra conformitatem ut sic & communitet, addit assequtionem. Id notãdum jubet ipse B. D. loc. cit. 1. sent. art. 2. per hæc verba: *Nam ut suprà ostensum fuit cùm de æqualitate Personarum disputavimus, adæquatio supra æqualitatem addit imitationem, & quia intellectus imitatur res, non è converso, adæquatio est in intellectu secundùm rei veritatem, in rebus autem non nisi secundum modum intelligendi.* Si itaque consideremus similidudinem, æquè similis est Petrus imagini suæ, & imago Petri; non autem ex ista dicitur veritas: si enim imago Petri est vera imago ejus quia ipsi similis est, non autem Petrus dicetur verè esse ipse Petrus, quia similis est imagini suæ: quia ergo imago sic est similis Petro, quòd ipsũ imitatur, & ejus similitudinem assequitur, ex ista similitudine dicitur vera imago ejus; quia verò ipse Petrus non imitatur imaginem suam, sed prædicata suæ quidditatis, non ex ilia similitudine dicetur verè esse id quod est, sed quia asse-

quitur prędicata suæ quidditatis.

236 Not. insuper, quòd non quælibet adæquatio est veritas, sed illa tantùm, quæ importat manifestationem: id desumit B. D. ex Phil. in 1. Prior. cujus hæc verba adducit art. 1. §. *Advertendum ergo: Oportet enim omne, quod verum est, ipsum sibi omninò manifestũ esse.* Deinde ratione patet: ignis enim genitus adęquationem habet ad ignem generantem; non tamen ex tali adęquatione dicetur verus ignis, quia ea non est manifestativa; poterit autẽ ignis generans deficere à ratione veri ignis, & tunc ipsi adæquari potius erit non esse verum ignem. Rursus: quia verum est objectum intellectus, quarè ipsi importat manifestationem. Prętera: quia res creata verè assequitur ideam, quæ est in Deo; veritas tamen magis est in idea intellectus Divini, quàm in re, quia res per ordinem ad intellectum Divinum non habet manifestationem, neque ipse intellectus Divinus ex adęquatione, quæ est in re creata notitiam accipit, quarè B. D. art. 2. §. *Idem notandum*, sic habet: *Ideo notandum, quòd veritas dicit adæquationem, non quamlibet, sed importantem notitiam, sive manifestationem apud intellectum; ideò, si ignis genitus adæquatur generanti, talis adæquatio non meretur nomen veritatis, eò quòd non dicit notitiam sive manifestationem apud intellectivam potentiam: igitur hujusmodi notitia, vel manifestatio, vel est illud quod est in veritate completivum, vel illud nobis indicat, eò quòd differentias completivas singulorum nominare nescimus. Ideò per se competit vero, quod sit quid manifestum, ut habitum est ex 1. Prior. & quia hujusmodi notitia & manifestatio non est in rebus, sed in intellectu, semper veritas quantùm ad suum esse completum in intellectu existit, propter quod nihil dicitur verum, nisi secundum quod ad intellectum ordinatur.*

237 Not. Prætera ex eodem B. D. quòd ad tria poterit comparari adæquatio rerum, & secundum hoc triplici modo accipitur veritas: nam 1. poterit comparari ad intellectum Divinum; 2. ad prędicata suæ quidditatis; & 3. ad intellectum nostrum. Ex comparatione ad intellectum Divinum sumitur veritas, quam habet unumquodque ut est ens creatum; ex hoc enim artificiatum dicitur verè tale, quia assequitur ideam, quæ est in mente artificis: Ex comparatione ad prædicata suæ quidditatis dicitur in se & transcendentaliter verum, ut illud est verum aurum, quod habet prædicata auri, & assequitur auri quidditatem; & secundum hoc ait D. Ansel. ab eodem B. D. adductus, quòd veritas est rectitudo sola mente perceptibilis;

lis, nempè unumquodque est verum secundum quod est rectum, & ut debet esse: Ex comparatione ad intellectum nostrum dicitur res vera veritate objectiva, sive secundum quam est objectum intellectus nostri; intellectus enim dicitur, ex quo rei intellectæ conformatur, talem verò conformitatem res ipsa causat, quatenus causat speciem & intellectionem sui.

238 Not. tandem, quòd ad intellectum nostrum duobus modis poterit res comparari, nempè aut ad intellectum practicum, aut speculativum, & opposito modo se habet ad utrumque; quia ad intellectum speculativum comparatur ut mensura ejus, ad intellectum verò practicum potiùs ut mensuratum; causatur enim ab intellectu practico res, & ipsius artificis menti conformatur, quare assequitur id, quod est in mente artificis, & ab ea mensurari habet; è contra verò causat res ipsa notitiam speculativam, & est illius mensura, ut magis est vera notitia rei, & magis perfectè rem cognoscit, quo magis illi conformatur. Tùc autem: relatio, quæ est secundum mensuram & mensuratum, non est secundum rem in utroque extremo, sed in mensurato est realiter, in mensura secundùm rationem; mensura enim non refertur ad mensuratum secundùm rem relatione, quæ sit in ipsa, sed relatione quæ est in mẽsurato, quatenus eam terminat, nempè non cognoscimus mensuram per dependentiam & habitudinem, quam ipsa habet ad mensuratum, sed per dependentiam & relationem, quam mensuratum habet ad ipsam, ut notat B. D. cit. art. 1. §. *advertendum ergo.*

239 Hæc oportuit latiùs expendere, tum pro tollenda cõtradictionis umbra, quæ est in littera B. D. tum quia ex his jam habetur quid est veritas, tum accepta simpliciter, tum ut est entis attributum: quia enim veritas est adæquatio assecutiva importans manifestationem, veritas simpliciter dicta est in intellectu speculativo, quatenus cognitione conformatur rei, & assequitur ejus quidditatem notitia sua, & hujusmodi veritate res non dicitur vera nisi quatenus illam causat; quia tamen ipsa res in se adæquationem habet ad prędicata suæ quidditatis, & hæc imitatur, hac adæquatione vera dicitur, & verè esse id quod est, quia verò hæc adæquatio non est simpliciter manifesta, sed tantùm quodammodo, quatenus potest esse objectum intellectus, & illi manifestari, hęc veritas non dicitur talis simpliciter; quoniam itaque illa adæquatio non est aliquid enti superadditum, quia per se ipsum adequatur aut non adequatur quidditati suæ, veritas non addit aliquid suprà ens.

§.

§. III.

Probatur nostra conclusio.

240 Dicendũ ergo 1. quòd veritas simpliciter & propriè accepta est in intellectu, & hoc sensu res est vera, non veritate, quæ sit in ipsa, sed aut per analogiam ad veritatem, quæ est in intellectu, aut causaliter, quatenus nempè illam causat; cum hoc tamen veritas, quæ est passio entis, & qua res dicitur verè esse id quod est, non tantúm extrinsecè & per denominationem à veritate, quæ est in intellectu, sed intrinsecè & formaliter datur in rebus. Hęc quantùm ad omnes suas partes sufficienter colligitur ex pręmissis: in primis enim, quòd veritas simpliciter loquendo tantùm sit in intellectu, ex eo patet, quòd veritas adæquationem significat mensurati ad mensuram suam, non quamcumque, sed manifestam, seu talem, quæ manifestationem importet; at hæc omnia in intellectu tantúm speculativo reperiuntur: ergo. Ostenditur hæc min. Res enim aut comparatur ad prędicata suæ quidditatis, aut ad ideam, aut ad intellectum practicum, aut ad intellectum speculativum; tunc autem, ad prædicata suæ quidditatis habet adæquationem mensurati, non verò manifestationem; ad intellectum practicum eodem modo comparatur ac ad ideam, quatè B. D. Tres tãtùm comparationes accipit, verè enim Deus se habet ut artifex, à quo res fit; hoc item modo non importat manifestationem, non enim eò quòd res tale esse habet manifestatur intellectui practico, sed magis è converso, quia intellectus practicus dictat & apprehendit talem esse debere rem, ea hoc esse exequitur, neque eó vera res est, quia imitatur intellectum practicum.

Relinquitur itaque, quòd solùm intellectus practicus adæquationem habet mensurati, quatenus assequitur quidditatem objecti, & ipsi adæquatur, & ex hac dicitur verus, & hæc manifestationem importat; quare hæc completè & quantùm ad omnia, quæ sunt de ratione veritatis, habet rationem talis: quòd autem hujusmodi veritate tantúm dicatur res vera extrinsecè & per analogiam ad veritatem intellectus speculativi, patet etiam; solùm enim habet quandam analogiam quantúm ad illud complementum, quod est esse quid manifestum, ex eo quòd potest esse objectum intellectus, & causare ejus adæquationem & fieri illi manifesta, & hoc intendit B. D. locis quæ aduximus §. præcedenti.

241 Quantum ad alterum, quód veritas, quæ est entis attributum intrinsecè & formaliter detur in rebus, docet expresse

Phil.

Phil. in 2, Met. cap. 2. quo sic concludit: *Quarè ut secundùm esse unumquodque se habet, ita etiam secundùm veritatem*, Eo modo, quo habet esse habet veritatem, qua verè est id quod est. Deinde ratione patet: quia talis veritas in eo consistit, quo verè est id quod est; sed non per denominationem ab aliquo extrinseco, sèd intrinsecè & formaliter in se ipso debet habere id quo est id quod est: quamvis ergo hoc incompletè & in aliquo tantùm sensu habeat rationem veritatis, talem tamen intrinsecè habet & formaliter res quælibet.

242 Dicendum 2. quòd veritas rei, seu quę est entis attributum cõsistit in adæquatione rei ad prædicata suæ quidditatis. Hæc item ex dictis colligitur sufficienter: 1. quia ex hoc præcisè & formaliter unumquodque verè est tale, quia habet prædicata quidditativa hujus, ut aurum est verè aurum, quia prędicata auri habet, & aurichalcum nõ est verè aurum, sed falsum & apparens, quia non prædicata auri, sed apparentis auri habet. 2. quia veritas in adæquatione consistit, quæ est imitatio, & mensurati, & quæ quodammodo importat manifestationem; sed ista tantùm habet res per adęquationẽ ad prædicata quidditatis suæ: ergo. Hęc min. eò patet, quia manifestationem, quæ est veluti complementum veritatis, tantùm habet res, quatenus esse potest objectum intellectus, & ejus veritatem causare; sed hoc fundatur in eo quod ipsa habeat prædicata quidditativa hujus, & illis adæquetur: ergo.

243 Dicendum 3. quòd veritas nihil addit supra ens objectivè & metaphisicè, sed consistit in relatione secundum dici transcendentali. Hæc est quæ potissimè respondet ad intentum articuli, ea tamen etiam ex dictis patet: quantum ad primum quidem; tum quia jam patuit supra, quòd attributa entis non addunt aliquid supra ipsum ens, sed tantùm expressionem, seu conceptum explicitum; tum quia, si quid adderet veritas, eo per intellectum secluso reliquitur ipsa veritas, quod est aperta contradictio, puta si veritas, qua aurum est verum aurum, consisteret in aliquo quoquomodo superaddito ad entitatem auri, hoc secluso, & accepta sola entitate auri, ea certè non aurichalcum, est, aut aliquid aliud, sed verum aurum, quarè veritatem habet, qua tale est: hæc ergo ex parte objecti in ipsa consistit entitate; tum tandem, quia, quælibet res per ipsam quidditatem suam intransitivè & quovis alio secluso habet tale esse & prædicata talis rei, quarè se ipsa adæquatur prędicatis talis rei, in qua adęquatione consistit veritas.

Quan-

Quantùm ad aliud item patet de facili: Relatio enim secundum dici nihil est aliud, quàm ipsa quidditas absoluta, quæ se ipsa habet modum relati, & conceptibilis est modo relativi, sicut differentia quidditativa se ipsa habet modum qualitatis, quarè est qualitas secundum dici; sed illa adæquatio, in qua consistit veritas rei, ipsa est quidditas absoluta rei, quæ se ipsa habet modum relati, & concipi modo relativi: ergo. Patet hęc min. adæquari enim ex terminis concipitur alteri, & modo mensurati; ex alia autem parte ipsum adęquari nihil est nisi talem quidditatem habere, quarè illa conceptibilitas ad alterum est modus transcendens, & relatio secundum dici.

244 Not. autem, quòd relatio hæc secundum dici non est, quòd res verè & re ipsa se habeat ad alterum, aut quòd sit conceptibilis quasi vere & re ipsa ad alterum se habens, sic enim esset relatio secundum esse, sicut in differentia essentiali habere modum qualitatis non est verè & re ipsa qualificare: quando ergo ad alterum concipitur id quod est tantùm relativum secundum dici, ista relatio, quam habere concipitur, est relatio rationis, nempè concipitur ac si haberet relationem, quarè quod in re extra est relatio secundum dici, in intellectu est relatio rationis, quatenus ex illo modo relati intellectus concipit ut verè relatum; hinc B. D. in 4. Met. q. 8. & sæpe alibi docet, quòd attributa entis addunt negationem aut relationem rationis, quod non est dicere, quòd ens rationis sit passio aut attributum entis realis, sed quòd fundamentum, quod habet intellectus ad illud ens rationis formandum est ipsum attributũ entis, quatenus quod in re nihil est additum enti, concipit ac si esse aliquid additum, puta, quod non est vera relatio, concipit ut veram relationem.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

245 ARg. 1. ex Phil. in 6. Met. tex. 8. quo ait, *Quòd bonum & malum est in rebus, verum autem & falsum in intellectu.* Resp. quòd verba tex. non indigent expositione, sic enim habet: *Non enim est verum & falsum in rebus (ut quod bonum, verum; quod verò malum, falsum) sed in mente, quæ verò circa simplicia, & circa ea, quæ quid sunt, non quidem sunt in mente*, pręmisserat autem tex. 7. *verum etenim affirmationem in composito habet, negationem verò in diviso, falsum verò hujus partitionis contradictionem.* Patet itaque, quòd loquitur de veritate secundum quam enun-

enuntiatio dicitur vera vèl falsa, & de hac ait, quòd non in rebus ipsis est, sed in mente; apertè autem ait, quòd veritas, quæ est circa simplicia, hoc est, qua unúquodque dicitur verè esse id quod est, non est in mente, sed in ipsa rei quidditate.

Aliam ex Alensi adducit Mast. expositionem non incongruam; quòd nempè bonum & malum dicuntur in rebus esse, quatenus appetitus, cujus illa sunt objectum, non habet vim concipiendi & formandi sibi idolum, quarè fertur ad res secundùm quod habent esse in re extra; intellectus verò, quia sibi format speciem, non attingit rem secundùm esse quod habet extra, sed prout est in ipso intellectu, quarè veritas, quę est objectum ejus, in ipso intellectu est; cum quo stat quòd veritas transcendentalis, & quę est passio entis, sit in ipsa re. Posset 3. dici, quòd loquitur Phil. de veritate completè & propriè accepta, & hæc non datur in re extra sed tantúm in intellectu speculativo, cum quo stat, quòd hæc talis veritas, quæ est passio entis, sit in re ipsa.

246 Arg. 2. Si veritas in re datur, ea non convertitur cum ente; sed eò ponitur in re esse, quia passio est cum ente convertibilis: ergo. Prob. maj. Si ea in re datur, in hoc consistit, quo unumquodque verè est id quod est; sed hoc æquè convenit enti & non enti: ergò. Patet min. quia ipsa negatio verè est negatio, & non affirmatio, aut positivum quid. Rursus: ipsa cognitio verè est cognitio; at veritas cognitionis alia est & dividitur contra veritatem, quæ est passio entis: ergo.

247 Resp. neg. maj. Ad prob. dicitur, quòd eo sensu quo, negationi competit esse, ei competit talis veritas, & sicut dicimus quòd est negatio, ita dicimus quod verè est; sufficit autem quòd ens æquivocè dicatur de positivo & negativo, ut ipsa negatio dicatur esse, nempè negatio: hoc ergo sufficit ut dicatur verè esse, quarè non aliter sibi competit veritas, quàm ut attributum ētis, & ratione ejus. Adde quòd quælibet sent. tenetur argumentum solvere, si enim negatio verè in se est negatio, id habet, in quo veritas consistit, quidquid illud sit. Ad aliud de facili patet æquivocatio; ipsa enim cognitio ens aliquod est, & veritatem habet talis entis, quamvis etiam possit habere aut non habere veritatem cognitionis, quatenus conformatur, aut non conformatur objecto: veritas ergo cognitionis non est qua verè est cognitio, quarè patet ad formam.

248 Arg. 3. P. Hurt. Verum esse in ente quolibet dicit esse cognoscibile sicuti est; sed esse cognoscibile est denominatio extrinseca: ergo. Patet min. dicitur

enim cognoscibile à cognitione, quę est forma extrinseca. Conf. 1. Esse cognitum est de nominatio extrinseca: ergo & esse cognoscibile. Patet conseq. utrumque enim dicitur ab eadem forma. Conf. In re non est relatio realis ad potentiam, sed potiùs in potentia ad rem, seu objectum suum: ergo esse cognoscibile non dicit relationem ipsius rei ad potentiam, sed potiùs potentiæ ad rem, quarè est denominatio extrinseca à relatione, quæ est in potentia.

249 Resp. 1. neg. maj. esse enim cognoscibile sicuti est, cuique convenit vero & ficto, quarè cognoscibilitas latiùs patet quàm ens; cùm tamen veritas sit passio convertibilis cum ente. Præterea; prius est quòd unumquodque sit in se ipso id quod est, quàm quòd sit sic vel sic cognoscibile, quarè non in cognoscibilitate consistit veritas, qua verè est id quod est. Rursus: cuique patet, quòd non in hoc consistit quòd aurum sit verum aurum, quòd sit cognoscibile, sed quòd habeat talia prædicata. Resp. 2. neg. min. ad prob. neg. assumptum, non enim à cognitione, sed ab aptitudine, quam in se ipso habet, dicitur quodlibet cognoscibile. Ad 1. conf. neg. conseq. cum prob. sua. Ad 2. neg. ant. licèt enim non sit relatio secundùm esse, est tamen secundum dici, quæ sufficit ut res in se & ex se dicatur cognoscibilis. Rursus: neg. subillatum conf. esse enim cognoscibile non significat relationem, neque quæ sit in re cognoscibili, neque quæ sit in potentia, sed absolutam quidditatem, quę se ipsa capax est ut intelligatur.

250 Arg. 4° quòd veritas nequit in relatione consistere: Veritas passio est cum ente convertibilis; sed ens commune est absoluto & relativo: ergo. Patet conseq. tunc enim relatio species est sub ente contenta. Conf. Relatio ipsa sicut propriam quidditatem habet, ita veritatem, verè enim est id quod est; sed veritati, quę equè reperitur in relatione & entitate absoluta, non benè assignatur quidditas in relatione: ergo.

251 Resp. 1. neg. min. relatio enim non est extremum contra absolutum, quarè se ipsa non contrahit ens, latè enim in Logica probavimus, quòd non distinguitur à fundamento suo ullomodo realiter. Resp. 2. dist. conf. Non consistit in relatione secundum esse, conc. conseq. In relatione secundum dici, neg. Conf. hæc enim non est aliquid ullomodo objectivè superadditum, sed modus transcendens, qui solam addit expressionem, quarè cuique convenit. Ad conf. eodem modo dist. min. Non benè assignatur quidditas in relatione secundum esse, conc. min. In re-

relatione secundum dici, neg. min.

252 Arg. 5. Conceptus entis se ipso & præcisivè à quovis alio verus est: ergo non consistit veritas in aliquo ullomodo superaddito enti. Patet ant. verè enim est id quod est. Conf. Si veritas in aliquo consistit ullomodo alio á conceptu entis, hoc verè est id quod est, & consequenter veritatem habet; sed de hac idem dicitur, nempè verè est id quod est: ergo sequitur processus in infinitum. Conf. 2. Si veritas est ullomodo aliud ab ente, ens ab isto præcisum non erit id quod est, non enim habebit veritatem; sed hoc est aperta contradictio: ergo. Conf. 3. Ens ab isto præcisum, in quo consistit veritas, cognoscibile est ut est in se ipso: ergo veritatem habet sine veritate, quod etiam est cõtradictio. Conf. 4. Per id formaliter constituitur ens in ratione veri, quo à ficto distinguitur; sed ipsa sua entitate à ficto distinguitur: ergo in ea quovis alio secluso consistit veritas.

253 Resp. quòd ista contra sent. procedunt, quæ ponit passiones aliquid addere enti. Resp. itaque conc. conseq. in ipsa enim entitate veritas consistit, quæ se ipsa omninò intransitivè habet prædicata suę quidditatis & illis adæquatur. Similiter ad 1. Conf. conc. conseq. non enim aliquo superaddito, sed se ipso quodlibet adæquatur prædicatis suæ quidditatis. Similiter ad omnes alias dicatur, illa enim relatio secundum dici nihil est nisi ipsa entitas, quę se ipsa intransitivè habet concipi relativè ad prædicata suę quidditatis, ac si veram relationem adęquationis & mensurati haberet, quo nihil omninò additur enti.

§. V.

Quid sit falsitas, & quomodo sit in re?

254 VEritati directè & immediatè opponitur falsitas, quarè pro pleniori veritatis intelligentia de falsitate restat agendum; quatuor autem de ea dubitantur: 1. quotuplex est? 2. in quo consistit? 3. quomodo sit in re? Et 4. qualiter veritati opponitur? De quibus breviter determinabimus; quamvis enim de quidditate præsertim nonnulla sit controversia, nullius ea utilitatis est, & difficultatem habet non parvam, ut ex P. Aug. potest colligi, qui in 2. lib. Soliloq. à cap. 4. usque ad finem libri de falsitate latè disserit, & multa habet subtilia.

255 Quantum ad 1. itaque easdem habet falsitas divisiones ac ipsa veritas, quarè dividitur 1. in falsitatem in dicendo, & in essendo: falsitas in essendo, quia non habet speciale nomen, reti-

nuit sibi nomen commune, & dicitur absolutè falsitas; falsitas verò in dicendo dicitur fallacia, sive mendacium. Hoc itaque consistit in difformitate enuntiati cum mente enuntiantis, quarè ad hanc, sicut de veracitate dictum est, de materiali se habet quòd res sit aut non sit; contingit enim mentiri, qui rem enuntiat ut est, & è conversò veracem esse, qui aliter enuntiat, quando nempè ipse aliter ac est apprehendit. S. P. Aug. ubi sup. cap. 9. distinguit inter mendacium & fallaciam, quæ pro eodem communiter accipiuntur; nempè mendacium est, quod non conformatur menti enuntiantis, non tamen animo & intentione fallendi; fallacia verò, cùm ex intentione fallendi non conformatur, & in exemplum adducit mimos in theatro repræsentantes, quæ sciunt falsa esse & fabulosa; isti quidem mendacium proferunt, quia cõtra mentẽ, non verò fallaciã, quia nõ animo fallendi, sed oblectandi. De hac agere non ad Metaphisicũ spectat, sed ad Moralem Philosophum.

259 Falsitas in essendo, quæ falsitati in dicendo opponitur, subdividitur in formalem & objectivam, seu rei & cognitionis: formalis falsitas, seu cognitionis consistit in difformitate intellectus ad rem, & est æquè in judicio & apprehensione, æquè enim falsa est apprehensio, quæ aliter concipit ac res ipsa habet, ac propositio; quæ aliter affirmat aut negat. De hac item ad Log. spectat: falsitas rei, seu objectiva solet etiam transcendentalis dici, non eo sensu quo veritas, quasi nempè sit attributum cum ipso ente convertibile, sed latiori acceptione, quod nempe non aliquo superaddito, sed ipsa sua entitate falsum est, quod falsum dicitur, ut aurichalcum ipsa sua entitate est falsum, sivè fictum aurum.

De falsitate hoc sensu agit Phil. in 5. Met. cap. 29. & ait uno modo dici, quod neque est, neque esse potest; alio autem quod est aut esse potest, non autem quod esse apparet, de hoc 2. quod ad propositum refert, hæc sunt verba: *Alia verò quæcumque sunt quidem entia, apta tamen natura sunt apparere, aut non qualia sunt, aut quæ non sunt, ut umbra, picturæ, & insomnia; hæc enim sunt quidem aliquid, sed non sunt ea, quorum faciunt phantasiam.* Eodem ferè modo falsitatem explicat S. P. ubi sup. nam cit. cap. 9. sic incipit: *Video enim tentatis quantùm potuimus omnibus rebus non remansisse quod falsum jure dicatur, nisi quod aut se fingit esse quod non est, aut omninò esse tendit, & non est.*

257 Hinc quantùm ad 2. de quidditate falsitatis, quamvis multiplex sit dicendi modus, cõmunis sent. docet consistere falsitatem, in eo quòd non sit quod

quod apparet; hoc enim utraque præcedens authoritas videtur intendere, ut aurichalcum eò falsum aurum est, quia apparet quidem, non verò est aurum; & sicut res ratione veritatis nata est causare cognitionem veram, ut aurum, quia est quod esse apparet aptum est causare cognitionem veram, ita ratione illius apparentiæ falsitas nata est causare cognitionem falsam, ut aurichalcum, quia apparet aurum, potest causare in intellectu cognitionem falsam.

258 Huic quidem, quantumcumque ea sit communis, ac quiescere non possumus, & alijs missis valde urget duplex S. P. argumentum, alterum habetur cap. 7. sic potest formari: Ovum ovo habet similitudinem, quarè alterum apparet; aliunde non est quod apparet: habet ergo utrumque, & tamen nullã ex hoc falsitatem habet. Alterum argumentũ habet S. P. cap. 15. quod sic formatur: æque aurichalcũ nõ est aurum & apparetaurũ, ac aurũ non est aurichalcum & apparet aurichalcum; sed non ita aurum dicitur falsum aurichalcum, sicut aurichalcum dicitur falsum aurum: non ergo sufficit apparere quod non est.

259 Pro expeditione itaque not. quod suprà de veritate diximus, eam nempè in adæquatione, & conformitate consistere, sed non quamlibet conformitatem sufficere, sed illam requiri, quæ importat assecutionem, & imitationem, & ita est mensurati ad mensuram suam; sic suo modo in proposito debemus de falsitate philosophari, quod nempè non utcumque apparere quod non est sufficit ad rationem falsitatis, sed ulterius requiritur, quòd se habeat veluti mensuratum deficiens à ratione illius, quod apparet, quod videtur intendere S. P. in verbis suprà adductis, ait enim, quod falsum *tendit* esse quod non est, aut se *fingit* esse quod apparet, quod satis indicat illam comparationem mensurati.

260 Dicendum ergo, quòd falsitas consistit in habitudine secundum dici ad id quod videtur se habere ut mensura, puta aurichalcum, ex quo apparentiam habet veri auri, videtur ejus quidditatem intendere & non assequi, quarè ipsa auri quidditas se habet ut mensura, cui difformatur, & quam non assequitur: sicut ergo ipsa sua entitate habet adæquationem ad prædicata aurichalchi, & modum relativi, seu relationem secundum dici, in qua consistit veritas, qua est verum aurichalcũ, ita ipsa sua entitate habet difformitatem ad prædicata veri auri, & modum relativi, seu relationem secundum dici, in qua consistit falsitas, qua est falsum, sive apparens aurum. Hæc quidem ex dictis patet sufficienter, quare superfluum est in ejus

ejus probatione immorari amplius.

261 Hinc jam duplex alia dubitatio de facili solvitur; quod enim falsitas verè est in re, ex eo patet, quòd ille modus relativi, & apparentia illius quod non est, in quo falsitas consistit, in re ipsa est, imo est objectivè & metaphisicè res ipsa. Quantum ad ultimum, posset quis imaginari, quòd falsitas veritati opponitur privativè, nempè carentia est veritatis; jam autem patet, quòd non nisi relativè opponitur, seu ad relativam oppositionem reducitur: quando enim duplex ratio eidem convenit respectivè ad diversos terminos, non ut forma & carentia, sed relativè opponitur illa duplex ratio, ut magnum & parvum, & aliæ similes; sed eidem hoc modo convenit simul veritas & falsitas, ut eadem entitas, quæ respectivè ad prædicata auri habet falsitatem, & est falsum, sive fictum aurum, habet aliunde veritatem, qua est verum aurichalcum: ergo.

ARTICULUS. VII.

Quid sit bonitas?

§. I.
Relatis sententijs nostra probatur.

262 DE bonitate quidem nonnihil controvertitur, quandoquidem autem ex dictis poterit quælibet difficultas evacuari, breviter ab hoc expediemur, tædet enim in his immorari, quæ nullius sunt sive ponderis, sive utilitatis. Bonitas ergo dividitur in moralem & phisicam: prior respectiva est & in conformitate consistit ad regulas honestatis, secundùm quam dicimur benè vel malè operari, quatè ea non est Metaphisicæ cõsiderationis: phisica, sive entitativa bonitas alia est substantialis, seu potius essentialis; alia accidentalis: prior perfectio est quidditativa rei; posterior, quę extra quidditatem & contingenter convenit. Deinde: alia est absoluta; alia respectiva: prior, qua in se unumquodque bonum dicitur; posterior verò est, qua præcisivè ab eo quod in se est, alteri bonum, seu conveniens est. Ulterius: alia est finis; alia medij: finis est bonitas, quæ per se intenditur, & propter se ipsam; mędij autem, quę propter finem, quarè in hac de materiali est bonitas & perfectio, quam in se res habet, aut non habet, sive etiam ipsi appetenti, & solùm attenditur congruitas ad aliud, quod se habet ut finis. Tandem dividitur bonum in honestum, utile, & delectabile: primum, quod ex honestate; 2. quod ex utilitate; & 3. quod ex complacentia & voluptate appetentis appetitur, est, quarè non triplex bonum, sed tri-

triplicem rationem, sive acceptionem significat hæc divisio, in eodem enim possunt illa tria reperiri.

263 In præsenti itaque potissimè controvertitur, quid est bonitas, seu in quo quidditas ejus consistit? 1. sent. docet consistere in negativo, in carentia nempè imperfectionis, seu defectus. 2. docet consistere in ipsa entitate, quatenus unumquodque, hoc ipso quod est, integritatem habet & perfectionem ejus, quod est. 3. docet consistere in modo positivo distincto, & superaddito entitati. 4. in relatione convenientiæ. 5. in relatione perfectivi. 6. ea que communior in relatione appetibilis; istæ tres ulterius differunt in eo quod alij relationem ponunt secundùm esse, alij secundùm dici, alij rationis. Quæ contra hos dicendi modos possent objici, ex præmissis possunt cuique patere, quarè ea mittimus.

264 Nobis consequenter ad dicta in præcedentibus dicendum 1. quòd bonitas, quę est entis attributum non est aliquid extra conceptum entis, seu ipsi objectivè & metaphisicè superadditum: aut enim aliquid, aut nihil est: si hoc 2. habetur intentum, quòd bonitas nihil addit enti; si autem 1. dicatur, non est extra conceptum entis, quod enim est aliquid, est pariter ens; & ulterius sequitur processus in infinitum, illud enim aliquid perfectum est & bonum bonitate sua, de qua idem redit argumentum. Dicendum 2. quòd bonitas non in ipsa consistit ratione entis: ut enim de alijs dictum est, attributa entis ipsum ens significant, non autem ut synonima, sive ex eadem ratione significandi, quod etiam Phil. asserit supra adductus: si ergo diversam habent rationem significandi, diversus cuique respondet conceptus intellectus, & de hoc quæritur, quid est?

265 Dicendum 3. quòd bonitas phisica, seu quæ est entis attributum ipsam significat entitatem sub habitudine secundùm dici integritatis & completionis ad id quod habere debet in eo quod talis est; docet nempè sæpissimè Phil. quòd bonum & perfectum idem sunt; est autem unùquodque perfectum quatenùs completè habet id, quod habere debet, sicut imperfectum ex eo quod aliquid sibi deficiat: jam autem patet, quòd ipsa sua entitate habet aut non habet id quod habere debet quatenus tale est; item quòd ex hoc modam quendam relativi importat, ex quo intellectus fundamentum habet ut relativè concipiat.

Hinc sicut veritas entitativa est adęquatio ad prędicata suæ quidditatis, & ex hac veluti sequitur veritas objectiva, quæ est habitudo cognoscibilitatis, & eo unum-

unumquodquè vèrè cognoscibile est, quia verum in se ens est, non autem in illa habitudine cognoscibilitatis consistit veritas, qua est verum ens, ita de bonitate dicendum, quòd non ea in habitudine consistit appetibilitatis, nè enim in eo formaliter consistit quod sit in se bonum & perfectum ens, quòd sit appetibile, sed quòd habeat id quod habere debet quatenus tale ens est, & ex hoc sequitur appetibilitas, quæ poterit dici bonitas objectiva.

266 Dices autem: res objectivè & metaphisicè accepta habet illam integritatem & completionem; at non ita habet appetibilitatem: si ergo appetibilitas, licèt non sit ipsa bonitas entitativa, saltim ex ea sequitur, hoc sufficit, ut non in illa integritate dicatur bonitas entitativa consistere. Patet min. quia res intelligibilis est secundum esse objectivum & quidditativum, appetibilis autem, sive amabilis non nisi secundum esse quod in re extra habet, aut habere potest. Hæc replica difficultatem tangit latè à Theologis controversam de amore Dei erga possibilia, possibile enim ut tale importat ipsum esse quidditativum. Posset dici, quòd res objectivè & metaphisicè acceptatantùm importat illam integritatem, in qua bonitas entitativa consistit, intentionaliter & repræsentativè, & eodem modo importat amabilitatem; non autem hoc sufficit voluntati, seu potentiæ appetenti; quod non est ex ratione boni, sive objecti, sed ex propria ratione ipsius potentiæ.

Nihilominus dicendum ex doctrina B. D. quam dedimus in Phis. disp. 1. n. 177. quod appetitus duplex est; alter, quem dicit B. D. desiderium consecutionis illius, quod appetitur; alter qui potest dici appetitus perfectionis, quibus in voluntate respondet amor complacentiæ, & concupiscentiæ: cùm ergo dicitur, quòd res non est amabilis nisi secundum esse phisicum, quod habet, aut habere potest, hoc tantùm verum est de appetitu consecutionis, sive amore concupiscentiæ, complacentiæ enim, sive amor perfectionis, ad ipsam terminatur perfectionem objectivè repræsentatam, præcisivè omninò ab eo quod sit vel non sit in re, imò & ab eo quod sit possibilis consequi, non enim eò quòd bona amanti, sed eò quòd in se perfecta est, terminat actum, seu appetibilis est res; illam autem perfectionem in suis prædicatis habet, cùm ea sit passio trancendens, & cuique patet, quòd in perfectione complacet voluntas eò precisè quòd perfectio est.

267 Superest de malitia, quę bonitati opponitur, determinare, in quo consistat: videtur quidem puram importare privationem boni, quia ex hac

malum dicitur entitativè & phisicè, quod imperfectum est, seu à perfectione deficit, & integritate, quæ sibi in ratione talis competit; aliunde autem sicut falsitas importat quidem non esse id, quod apparet, non autem in hoc non esse, sed in habitudine secundum dici consistit formaliter ipsa falsitas; ita de malitia dicendum videtur, quòd importat quidem defectum & privationem, consistit verò formaliter in habitudine secundùm dici illius, quod imperfectum dicitur, quia, ut ait S. P. non est malum nisi in aliqua natura bona, quarè non privativè, sed relativè opponuntur bonitas & malitia entitativè accepta, & eàdem ratione ostenditur: idem nempè una ratione bonum est & perfectum, alia autem malum & deficiens, ut quod imperfectum est aurum, perfectum est aurichalcum. Res est parvi ponderis, quarè parum refert sive sic, sive sic dicatur.

§. II.

Solvuntur argumenta.

268 ARg. 1. Ad bonitatem datur per se motus; sed non datur ad relationem: ergo non in relatione consistit bonitas. Patet maj. quia bonitas est ipsa ratio finis; datur autem motus ad consequendum finem. Resp. dist. min. Non datur ad relationem secundùm esse, conc. min. Ad relationem secundùm dici, neg. min. & conseq. eodem sensu. Itaque relatio secundùm dici ipsa est quidditas absoluta, quæ se ipsa transcendenter & intransitivè habet modum relativi, quod nihil est aliud quàm quòd fundamentum præbet intellectui ut relativè concipiat: cùm ergo ad illam quidditatem terminatur motus, terminatur ad relativum secundùm dici, & hoc sensu ad relationem ipsam, hoc enim non est ipsam relationem aliquo motu causari, quod tantùm intendit illud principium.

269 Arg. 2. Ex eo quòd aliquid sit ens sequitur, quòd sit perfectum quid, conveniens, & appetibile; sed bonitas hæc significat: ergo ea sequitur ex entitate tanquàm passio ejus; at quod ad aliud sequitur tanquam passio, ab ipso distinguitur, & ipsi superadditur: ergo. Resp. dist. maj. Sequitur transitivè & metaphisicè, neg. maj. Sequitur logicè, & tantùm penès conceptus explicitos, conc. maj. & concesa min. neg. conseq. & eodem sensu subsumptum. Itaque hoc præcisè intellecto, quòd aliquid sit ens, intelligitur quòd sit participatio aliqua Divinæ perfectionis, & subinde perfectio aliqua & bonitas, quarè in ipsa ratione, qua est aliquid & talis participatio, importat perfectionem & boni-

tatem entitativam, & consequenter hæc solùm est diversa expressio sive conceptus intellectus.

270 Arg. 3. Si bonitas non dicit aliquid enti superadditum, bonum & ens sunt synonima; sed hoc apertè negat Phil. in 4. Met. cujus locum suprà adduximus: ergo. Conf. 1. quia bonitas & entitas diversis conceptibus à nobis concipiuntur, & definitionibus explicantur: ergo ex natura rei differunt. 2. Conceptus entis prior est conceptu bonitatis, & ille quidditativus, iste qualitativus: ergo idem. 3. Bonitas in suo conceptu non includit entitatem: ergo. Ant. eò probat, quia passio non includit in conceptu suo naturam, cujus est passio. 4. Passio definitur per subjectum suum definitione per additamentum, ut habet Phil. in 7. Met. sed bonitas est passio entis: ergo illi additur. Hęc objicit Mast.

271 Resp. quòd omnia in principijs ejus instantur. Ad arg. 1. dicitur, quòd calefactivum esse, & esse Solem non sunt synonima; & tamen calefactivum & deficcativum in Sole non differre ex natura rei à Sole, & inter se docet ipse. Resp. 2. directè neg. maj. quia ut jam suprà ostendimus, synonima sunt, quæ non solùm idem significant, sed ex eadem ratione significandi; & quia nomina significant media conceptione, ut diversa sit ratio significandi, sufficit quòd diversus sit conceptus: ut ergo nomina non sint synonima non requiritur, quòd significent aliud & aliud, sed sufficit quòd idem alio & alio modo acceptum, sive sub alio conceptu significent.

Ad 1 Conf. eodem modo instatur: quia calefactivum & deficcativum in Sole diversis cõceptibus concipimus, & definitionibus explicamus; fatetur autem ipse, quòd non sunt formalitates Soli superadditæ. Directè dist. ant. Diversis conceptibus concipimus metaphisicè & ex parte objecti, neg. ant. logicè & penès expressionem, conc. ant. & neg. conseq. Duplex alia confirmatio supponit quod probandum erat, quòd nempè bonitas est vera passio entis. Itaque quod metaphisicè, & ex parte objecti passio est, hoc sensu additur, & per subjectum suum definitur; bonitas autem tantùm logicè & penès conceptus explicitos passio est, quo patet ad formam.

QUÆS.

QUÆSTIO III.
DE DIVISIONE ENTIS IN SUBSTANTIAM, ET ACCIDENS.

ARTICULUS. I.

An ſubſtantia ſit genus ad ſpiritualem & corpoream?

272 HÆc difficultas ſufficienter determinata eſt in Log. diſp. 2. q. 3 art. 1. §. 5. & diſp. 4. q. 2. art. 3. quia tamen ibi potiſsimè determinatum eſt de ſubſtantia ſpirituali, ut de corporea etiam conſtet, breviter licèt, iterum diſputabimus. Sententias quidem non eſt cur expendamus, de hoc enim ibi ſatis conſtat, quamvis de mente, & ſent. N. Manſ. poſſet quis dubitare; docet enim ex una parte, quòd Angeli non ponuntur in prædicamento ſubſtantiæ, & ſubinde non habent genus commune cum ſubſtantia corporea, quo ſent. tenet B. D. ex alia autem parte docet, quòd genus ſupremum in prædicamento eſt ſubſtantia communis ad corpoream & incorpoream, quo videtur tenere oppoſitum.

273 Dicendum ergo, quòd ſubſtantia communis ad corpoream & ſpiritualem non eſt genus. Ita habet expreſsè B. D. in lib. Prædicam. q. 3. qua cùm quæreret, an Deus & ſpirituales ſubſtantiæ cadant in prædicamento? Erat 3. arg. quòd ſubſtantia dividitur per corpoream, & incorpoream, ad quod per hæc verba reſpondet. *Ad 3. cùm dicitur, quòd ſubſtantia dividitur &c. dico, quòd iſta diviſio ſubſtantiæ per corpoream & incorpoream non eſt bona accipiendo ſubſtantiam ut eſt genus generaliſsimum, imò dico, quòd illa ſubſtantia, quæ eſt genus generaliſsimum convertitur cum corporeo*

174 Prob. deinde ratione: genus dicit partem potentialem quidditatis metaphisicę, quæ cum alia comparte, nempè differentia, faciat congruam definitionem, & constituat speciem; sed conceptus substantiæ in nullo dicit partem quidditatis metaphisicè potentialem ad differentiam: ergo. Maj. nota est, eò enim Phil. ait, quòd ens non est genus, quia non habet differentiam, cum qua faciat compositionem metaphisicam. Min. de substantia spirituali abunde probata est locis cit. quia Angelus est substantia simplex, in qua non est accipere gradus, nisi tantùm ex potentialitate ad esse, quarè quilibet conceptus importat ex parte objecti totam quidditatem, & ideo ait B. D. quòd in his differentia addita generi non facit congruam definitionem, sed cõmittitur ibi nugatio. Præterea: eàtenus in aliquo accipiuntur gradus metaphisicè & quidditativè, quatenus forma intelligitur aliter & aliter perficere materiam, ut gradus genericus significet materiam sub gradu communi formæ, gradus verò differentialis significet specialem gradum formæ, quia forma est ratio quidditatis, quarè ex ipsa debent accipi gradus quidditativi; sed Angelus non est forma in materia: ergo in eo non est accipere alium & alium gradum.

275 Prob. ergo illa min: de substantia corporea: Si conceptus substantiæ diceret gradum quidditatis in substantia corporea, conceptus corporis esset metaphisicè compositus ex duplici gradu; sed conceptus corporis est gradus metaphisicè simplex: ergo. Prob. min. Corpus substantiale metaphisicè acceptum significat materiam cum primo & universalissimo gradu formæ; sed si ille gradus esset metaphisicè compositus, non primum gradum formæ, sed secundum importaret: ergo. Prob. maj. Corpus metaphisicè acceptum, sive quod est genus in prędicamento substantiæ significat illum gradum, quo substantia radicat & exigit quantitatem, & corporeitatem accidentalem; sed primo & universalissimo gradu formæ radicat & exigit quantitatem: ergo. Patet maj. tum quia nihil aliud potest accipi nomine corporis, tum quia illo gradu, quo radicat & exigit quantitatem, primò differt a substantia spirituali. Patet item min. quia quantitas est passio materię ipsi coęva, ut Tract. de Gen. ostensum est, quare primo gradu, quo intelligitur à forma compleri, illum radicat & exigit.

276 Prob. 2. eadem min. Conceptus substantiæ significat materiam sub gradu formæ, quo constituitur nata in se & per se esse; sed iste in substantia corpo-

porèa non est gradus quidditatis metaphisicè determinabilis per corporeitatem : ergo. Patet maj. quia gradus substantię prædicatur in quid, quarè neque solam formam, neque solam materiam potest significare, quælibet enim est pars phisica, quæ non prædicatur in quid : debet ergo significare materiam sub forma secundùm illam conceptum, quem determinat definitio substantiæ. Ostenditur min. Ille gradus, quo forma cum materia intelligitur constituere substantiam, sive ens natum in se & per se esse, nequit concipi metaphisicè præcindens à corporeitate : ergo non est gradus metaphisicè determinabilis per corporeitatem. Patet conseq. Si enim metaphisicè non præcindit, ex parte objecti ad illam determinatur, neque cum ea potest cõpositionem facere. Patet item ant. Si enim posset metaphisicè præcindi à corporeitate, posset concipi metaphisicè indifferens ad corpoream & spiritualem; patet autem, quòd materia sub gradu formæ non est sic indifferens, sed determinatur ad substantiam corpoream.

Conf. & explicatur hæc ratio : Quidquid concipiatur significari nomine substantiæ nequit esse metaphisicè commune corporali & spirituali; sed genus est gradus metaphisicè & univocè cõmunis: ergo. Prob. maj. Quidquid concipiatur ex parte objecti significari nomine substantiæ, prædicatur in quid de substantia corporea; sed quod in quid prædicatur de substantia corporea nequit esse metaphisicè commune ad spiritualem : ergo. Prob. min. Quod prędicatur in quid de substantia corporea significat in re materiam aliquo gradu formæ perfectam; sed hoc nequit esse spirituali substantiæ commune: ergo. Patet maj. quia quidditas substantiæ corporeæ in re est totum ex materia & forma; quod autem in quid prædicatur, totam quidditatem debet significare. Præterea : dato quod partem significet aut aliquid ejus, hoc etiam spirituali substantiæ repugnat, nempè materia, aut forma receptibilis in materia; quo patet etiam min. Relinquitur itaque, quòd conceptus substantiæ tantùm penès explicitum communis est, objectivè autem aliud ei respondet in corporali, ac in spirituali substantia.

277 Argumenta in contrarium abundè soluta sunt in Log. una autem superest difficultas, & quidem non levis. Dices itaque : Substantia aliquam habet communitatem ad corpoream & spiritualem, utraque enim verè & in quid substantia dicitur; sed illa communitas non est analogi, aut æquivoci : erit ergo univoci, & consequenter generica. Patet conseq. quia nulla relinquitur alia. Min. autem ostenditur: quãtum

tum ad 1. quia ut nos ipsi explicuimus, sine attributione non est analogia; sed corporalis substantia non dicitur per attributionem ad spiritualem: ergo. Patet hæc min. quod enim ita dicitur, non dicitur per rationem, quam in se habet, sed per rationem, cui attribuitur, ut accidens non dicitur ens per entitatem, quam in se habet, sed per entitatem substantiæ, nempè non est ens nisi quia entis; at corporea substantia in se & per esse, quod in se habet, dicitur substantia. Quantum ad 2. etiam patet de facili illa min. Si enim diceretur æquivocè, ratio corporeæ esset additum alienans, & omninò distrahens rationem substantiæ, sicut quia ens ita dicitur de reali & rationis, ly *rationis* omninò distrahit rationem entis: similiter homo de vivo & mortuò, de vero & picto; *mortuum* enim *& pictum* distrahunt.

278 Nonnullam habet apparentiam hæc difficultas, resp. tamen B. D. in 4. Met. q. 4. neg. min. quantum ad 1. partem, & ad prob. ait, quòd non de necessitate requiritur, quòd unum attribuatur alteri, licèt requiratur attributio, sed sufficit si ambo attribuantur tertio; sanum enim dicitur de pulsu & cibo, & neutrum alteri attribuitur, sed ambo ad sanitatem hominis, verba ejus hęc sũt: *Unde sicut dicimus accidentia esse entia non per se, sed per attributionem, quam habent ad substantiam, sic etiam sunt quædam substantiæ materiales, & quædam immateriales; substantiæ materiales non dicuntur esse entia nisi per attributionem ad substantias immateriales; & substantiæ immateriales aliæ à primo principio, non dicuntur esse entes quia habeant ĕtitatem per se & per omnem modum, sed si dicuntur esse entes, hoc est per attributionem ad substantiam primam.* Posset etiam negari min. quantum ad alterum; quia ad æquivocationem non requiritur, quòd alterum improprièdicatur, sed tantùm quòd ratio significata sit omninò diversa, quod manifestè repetitur in proposito.

ARTICULUS. II.

An substantia materialis independenter à quantitate habeat partes?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

279 PRima sent. docet, substantiam materialem esse & antecedenter ad quantitatem partes habere nó solum distinctas, sed etiam extensas. Pro hac cit. Scotistæ apud Merin. in Log. disp. de quantit. q. 2. item Suar. disp. 40. Met. sec.

ſ ec. 4. Martin. Fonſec. Conimb. Rub. & alij. Secunda ſent. huic ex diametro oppoſita docet, non habere partes etiam ſub quãtitate neque extenſas, neque diſtinctas. Pro hac cit. Complut. diſp. 13. Log. q. 3. & ſequentibus, qui alios pro ea adducunt. Tertia ſent. docet, ſub quantitate habere partes diſtinctas & extenſas, de ſe autem habere diſtinctas, non verò extenſas. Pro hac cit. communiter Thomiſtæ, pro eadem N. Manſo adducit N. Villan. Arg. Gerard. & alios ex noſtris. Quarta demum ſent. docet, ſubſtantiam materialem ſub quantitate habere partes diſtinctas & extenſas, de ſe autem nullas omninò. Hæc eſt procnldubiò ſent. B. D. in 2. diſp. 3. p. 1. q. 1. art. 1. & paſsim in Theorem. de Sac. Alt. eandem tenet N. Gerard. in 1. diſt. 17. q. 2. art. 9. Argent. in 3. diſt. 6. q. 1. art. 1. & in 4. diſt. 13. q. 1. art. 1. in reſpondendo ad arg. Ocham præſertim ad 8. & latè Manſ. q. 5. de prædicam.

280 In primis, quod ad 1. ſent. attinet, ut ex DD. cit. colligitur, idem ponit ac 3. extenſionem enim ſic explicant, quod nihil eſt aliud quàm diſtinctio, nempè extenſionem tantùm concedunt ſubſtantiæ entitativam; hanc autem dicunt, quod una pars ſit entitativè extra aliam, quo ipſi intelligunt, quod entitas unius non ſit entitas alterius. Deinde, quod attinet ad 2. vix eſt credibile intendere quod communiter accipitur, quod nempè nihilo magis quantitate afficitur materialis ſubſtantia, quàm ſpiritualis, ut anima noſtra; quodſi hoc intendunt, ſatis apertè patet falſitas ejus: hoc enim eſt ſubſtantiam eſſe ſpiritualem, non quòd non ſit ſuſceptiva quantitatis, totus enim homo quantitatem ſubſtentat & in ſe ſuſcipit, cujus anima ſpiritualis eſt, ſed quòd quantitate non perficiatur & effectum ejus in ſe ſuſcipiat; quarè conceptus materialis ſubſtantiæ hoc importat, quòd ſit quantificabilis, ſeu quantitate perfectibilis.

281 Pro intelligentia ergo & ſolutione eorum, quæ pro illa ſẽt. adducuntur not. quòd duplex eſt totalitas, & duobus modis poteſt accipi diviſibilitas, aut indiviſibilitas: aut ſecũdùm totalitatẽ eſſẽtialem; aut ſecundum totalitatem quantitativam: priori modo eſſe indiviſibilem ſubſtantiam ſub quantitate eſt, quod ſub qualibet parte quantitatis reſervetur eſſentia ſubſtantiæ, & hoc verum eſt, quod nempè hoc ſenſu ſubſtantia ſub quantitate non dividitur: eſſe indiviſibilem alio ſenſu eſt, quòd ita ſit tota ſubſtantia ſub tota quantitate, ut ſit etiam tota ſub qualibet ejus parte, ſicut eſt anima noſtra, & non correſpondeat pars ſubſtantiæ parti quantitatis, & hoc ſenſu indiviſibi-

sibilis esse nequit sub quantitate materialis substantia.

282 Insuper not. quòd N. Manso pro 3. sent. adducit nostrum Villan. quantum autem ex ipso apparet, quamvis non se explicet sufficienter, nostram tenet; apertè enim n. 124. indicat tantum per quantitatem partes habere, nempe quod casu quo sine quantitate maneret & effectu ejus, partes, quas sub quantitate habebat, haberet indistinctas, seu identificatas. Deinde: vix est credibile, quòd quãdo B. D. adducit, & sent. ejus intendere se ait, aliud teneat, quàm quod expresse habet ibi B. D. habet autem nostram sent. ut mox patebit. Accedit, quòd nostri, quos pro se citat Argent, & Gerard. tenent apertè sent. B. D.

283 Dicendum ergò, quòd substantia materialis de se, & pro priori ad quantitatem non habet partes, nisi tantúm in potentia, quatenus capax est quantitate perfici, atque ea dividi & extendi: Prob. 1. ex Phil. in 1. Phis. ubi contra Parmenidem & Melissum disputat, & tex. 15. ita concludit: *Si igitur & substantia sit, & quantitas, id quidem non unũ, sed duo esse videntur: sin verò sit solùm substantia, infinitum sanè non est, neque magnitudinem ullam habebit; erit enim quantitas quædam.* Pro intelligentia hujus loci notat B. D. quòd Melissus posuit omnia esse unum infinitum, Parmenides verò esse unum finitum, quarè ait Com. quòd arg. hoc tex. inductum contra Melissum, tenet etiam contra Parmenidem; argumentum autem hoc est: aut id, quod isti ponunt, sola substantia est; aut substantia & quantitas: Si hoc secundum dicitur, non unum est; quia substantia & quantitas duo sũt: Si autẽ dicatur alterũ, neque finitum est, neque infinitum, neque ullam omninò habet magnitudinem, quia hæc soli competunt quantitati, non vero substantiæ, quarè contra utrumque tenet argumentum.

284 Resp. Merin. quòd Phil. arguit de finitate & infinitate non qualicumque, sed quæ propriè dicitur talis, qualis est, quæ sequitur ad extensionẽ quantitativam; non autem loquitur de finitate aut infinitate, quæ sequitur ad extensionem entitativam, quæ tantùm dicitur secundùm quid & cum addito, nempè entitativè, & propriè solùm est distinctio. Sed hæc solutio omninò voluntaria est, & de facili rejicitur: 1. nihil concluderet Phil. illo arg. Responderet enim Parmenides & Melissus, quòd omnia sunt unum infinitum entitativè, ad quod nihil refert quantitas. 2. arguit Phil. quòd sola substantia nequit dici finitum quid, aut infinitum, quia neque ullam habet magnitudinem; at si habet partes dis-

distinctas, magnitudinem habet: ergo hoc etiam illo argumento intendit excludere. Patet min. habens enim partes plures habet aut pauciores, sive multas, aut paucas, quo magnum aut parvum dici habet.

285 Ex quo prob. 2. conclusio ratione, quę ex illo tex. deducitur: Quod soli competit quantitati, substantiæ nequit convenire de se & pro priori ad quantitatem; sed habere partes soli quantitati competit: ergo. Prob. min. Magnum & parvum, majus & minus, tantum & tantum soli quantitati competunt, & si in aliquo reperiuntur est aut participatione, aut analogia ad quantitatem; sed illa formalissimè importat habere partes: ergo. Patet maj. illa enim formalissimè important tantitatem. Min. item, quia ubi est partes accipere, est accipere multas aut paucas, plures, aut pauciores, & consequenter accipitur ibi magnum & parvum, magnum enim erit quod multas habebit partes.

286 Ad hoc posset resp. quòd duobus modis potest accipi multiplicitas, in qua fundatur dici posse magnum & parvum & similia: uno modo ex unitate, quæ est principium numeri; altero verò ex unitate, quæ est passio entis, & priori modo soli competit quantitati multiplicitas, posteriori verò etiam substantiæ, & cuilibet enti. Itaque nos suprà diximus, differre unitatem quæ est principium numeri, & quę est passio entis; tunc autem multiplicitas nihil est aliud, quàm multiplex unitas: utroque ergo modo multiplicitas accipitur. Jam autem patet, tùm quòd ubi accipitur multiplicitas, accipitur eodem modo magnitudo & parvitas, majoritas, & minoritas; tum, quòd unitas, quæ est passio entis, & consequenter multiplicitas, quæ ex ea sumitur, non soli competit quantitati: relinquitur ergo quòd dici magnum aut parvum, & similia non soli competit quantitati, & quòd non repugnat talia substantiæ convenire.

287 Nonnihil habet apparentiæ hæc solutio, nihilominus contra eam instauratur ratio: Si substantia ante quantitatem partes habet, ex faciunt multiplicitatem & numerum de genere quantitatis; sed hoc est aperta contradictio: ergo. Prob. maj. Multiplicitas transcendentalis, & quæ sequitur unitatem quæ est passio entis, est rerum diversę quidditatis; sed si substantia haberet partium multiplicitatem, illa multiplicitas esset unius entitatis, & quidditatis: ergo non transcendentalis esset, & quæ est passio entis, sed quę est quantitas. Patet maj. si enim illa unitas est passio entis, cò multiplex est unitas, quia multiplex est entitas, & quidditas. Conf. Sic differrent partes substantiæ, si illas

de se haberet, sicut nunc differunt partes quantitatis, nempè ejusdem rationis essent, entitatis, ac quidditatis; sed partes quantitatis multiplicitatem faciunt numeralem & quantitativam: ergo.

288 Prob. 3. ex alio textu Phil. in 5. Met. cap. 13. quo sic incipit: *Quantum dicitur, quod in insita divisibile, quorum utrûque aut singula unum quid, aut quod quid apta sunt esse*, Et subjungit, quòd multitudo quantum quid est, si sit numerabilis; sed si substantia materialis partes de se haberet, & esset multitudo numerabilis, & divisibilis in eas: ergo esset quantum quid ante quantitatem, quod aperte implicat. Patet min. Si enim substantia de se partes habet, intellectus Angelicus accipiens portionem materiæ secluta quantitate videt quotas partes habet, & ipsas numerat; ursus: duas portiones illius materiæ designat, quarum qualibet quidditatem materiæ habet. Conf. Si substantia partes habet, aut esse aut non esse unitæ intelliguntur, non enim inter esse & non esse est accipere medium; sed unitę faciunt continuum, non unitæ discretum: ergo cùm illę sint differentiæ quantitatis, substantia de se haberet differẽtias quantitatis. Patet min. quia cõtinuum est cujus partes uniuntur, discretum verò cujus partes non uniuntur.

289 Ad hanc rationem resp. Elis. quòd distinctio partium substantiæ convenit de se, divisibilitas verò non nisi per quantitatem; quia non stat divisio sine contactu, qui tantùm media quantitate fit: quando quidem ergo de divisibilitate loquitur Phil. nihil inde colligitur contra distinctionem partium. Sed contra: 1. in eodem tex. ait, quòd multitudo quantum quid est, si sit numerabilis; sed sola distinctio facit multitudinem numerabilem, nempè partium ejusdem rationis: ergo. 2. quod est per accidens, non tollit quod est per se; sed quod contactus requiratur ad divisionem per accidens est, cò. nempè quòd fieri debet ab agente corporeo: ergo hoc non tollit, quin habens partes sit in eas divisibile de se, & possit ab Angelo dividi, qui non operatur per contactum. 3. Divisibilitas physica, quæ fit per separationem unius ab altero, fortè indiget contactu; divisibilitas verò matematica, sive metaphisica, quæ abstrahit à sensibili, contactu non indiget; at Phil. metaphysicè loquitur: non ergo de illa, sed de hac debet intelligi. 4. Divisibilitas physica, & quæ fit per contactum, se sola argu it quantum: ergo si alia addit Phil. non de hac loquitur, sed de metaphysica, secundùm quam non sufficit ad rationem quanti esse divisibile, sed in pluri-

ra ejusdem rationis, & quorum quodlibet sit unum quid & hoc aliquid: si ergo hanc haberet substantia eò præcisè quòd haberet partes distinctas, esset quantum quid.

290 Prob. 4. ratione, quam innuit B. D. de Sac. Alt. Theorem. 12. Si substantia de se partes habet, non potest in ea accipi totalitas substantialis; sed hoc est inconveniens: ergo. Ostenditur maj. tunc enim sic tota esset sub tota quantitate, quod pars parti responderet, & non tota posset accipi sub qualibet parte quantitatis, partes enim de se habens non aliter potest poni, sicut patet de ipsa quantitate; hæc autem est totalitas quantitativa, quod pars parti respondeat, substantialis verò, quòd totum sub qualibet parte reservetur. Min autem, quod nempè sit inconveniens in substantia non accipi illam totalitatem, ostendit B. D. quia fide docemur substantiam corporis Xpi D. esse sub quantitate panis, ita quod tota sit sub qualibet parte; at non posset ita esse si substantiæ non conveniret posse accipi secundum totalitatem substantialem: ergo.

Conf. & explicatur: Ideo substantia corporis Xpi D. est in hostia tota sub tota, & tota sub qualibet parte, quia non est ibi ratione quantitatis, sed ratione substantiæ, quarè non ad modum quantitatis, sed ad modum substantiæ ibi est; sed si substantia de se haberet partes, modus proprius ipsius substantiæ esset, quod esset partim & tota sub tota hostia ac pars sub parte: ergo partes de se non habet, quarè totalitas quæ sibi de se competit est indivisibilis, & qua tota sit sub qualibet parte; quodsi à substantia spirituali differt, eò tantùm est, quia potest quantitate dividi, & aliam totalitatem ratione quantitatis habere. Vide alias rationes apud N. Manso.

§. II.

Solvuntur argumenta.

291 Arg. 1. Potest Deus à substantia Oceani quantitatem ejus auferre, non enim magis dependet substantia à quantitate, quàm quantitas à substantia, & tamen Deus quantitatem sine substantia conservat; tunc autem si substantia de se non habet partes, sed tantùm à quantitate, plura sequuntur absurda: ergo illas de se habet. Ostenditur min. quia sequitur 1. quòd illa substantia in instanti confluereret in punctum sublata quantitate, quarè haberet motum localem in instanti. 2. non est cur magis ad hanc, quàm ad illam partem confluereat. 3. qui unam guttam biberet, totum hauriret Oceanum, quia indivi-

sibile totum accipitur, aut nihil. 4. partes semel distinctę per quãtitatem, deberent sublata quantitate identificari, quia tunc relinquitur, quod substantiæ de se competit; at hoc implicat, distinctio enim est passio transcendens, & inseparabilis ab entitate: ergo.

292 Hoc arg. nullius esse roboris ipse fatetur Merin. & certè si quid probat, non solùm distinctionem partium, sed etiam localem extensionem probat de se habere substantiam; illa enim substantia Oceani & esset alicubi sublata quantitate, & locum occupare intendit ipse arguens. Ad arg. ergo, an substantia sine quãtitate posset in re esse dubitat B. D. locis cit. & multi negant, in quibus Argent. Ratio autem est, quia substantia materialis à quantitate habet individuationem, sine qua esse non posset; item esse alicubi, sine quo etiam non posset in re intelligi; quantitas autem à substantia habet substentari in esse, quod posset sine substantia habere, si Deus illi conservet esse, quod habebat in substantia.

293 Quia tamen B. D. de hoc non determinat, aliter ex doctrina ejus dicendum, quòd posset Deus substantiã sine quantitate conservare, non autem sine determinatione & modo se habendi, quem semel sub quantitate habet, tùm propter rationes datas, tùm quia hæc determinatio ipsa est ejus entitas sic se habens: tunc autem neg. min. & ad ejus prob. dicitur, quòd tunc sublata quantitate relinqueretur aqua Oceani extensa, divisa, & omninò eodem modo ac erat sub quantitate, quamvis hęc omnia non de se sed per quantitatem, qua perficiebatur, illi conveniant, quarè nullum sequitur ex illis absurdis.

294 Arg. 2. Merin. De facto pars substantiæ, quæ est in una manu distincta est à parte substantiæ, quę est in alia; sed non per quantitatem: ergo de se ipsa substãtia partes habet. Prob. min. 1. quia si tantùm per quantitatem illæ partes differrent, non rectè dicerentur duæ partes substantię, sed deberet dici eadem substantia sub diversa quantitate; sicut de corpore divinicùs posito in duplici loco, quia tantùm ratione loci differt, non duplex corpus, sed idem in duplici loco dicitur. 2. eò formaliter, quo quolibet habet esse in se ens, habet esse unum & distinctum à quovis alio; sed pars substantiæ, quæ est in una manu, habet quod sit hoc tale ens de se, & non à quantitate: ergo & quod sit distincta.

295 Nihilo meliot hæc ratio est, quàm præcedens, supponit enim, quod est in quæstione, nempè substantiam de se habere partem & partem. Resp. itaque neg. min. ad 1. prob. neg. assump-

sumptum, neque adductum exēplum est ad propositum, data enim bilocatione, corpus à loco non perficeretur, quarè in se ex hoc idem maneret & eodem modo; substantia verò à quantitate perficitur, quare ly *tantum* causaliter debet accipi, formaliter enim distinguuntur partes se ipsis sub quantitate. Ad 2. prob. aqua in vase existens est una, & separatione fit duplex; patet autem quòd separationem non à se sed à quantitate habet: unitatem ergo, quam habebat prius, & dualitatem, quam nunc habet, à quantitate habet. Itaque quidditativam & tramscendētalem unitatem de se habet quodlibet ens, accidentalem vero potest à quantitate participare.

296 Arg. 3. Elis. Corpus de genere substantiæ partes habet realiter distinctas; sed corpus de genere substantiæ antecedit omninò quantitatem: ergo. Prob. maj. ex Com. in. 3. Phis. tex. 43. ubi corpus substantiale definit: *Quod formaliter extenditur quoad omnes suas partes.* Rursus: D. Th. in 1. p. q. 3. & alij Theologi probant, Deum esse incorporeum ex ejus simplicitate: ergo quia supponitur esse de quidditate corporis habere partes. Præterea: ex vi verborum ponitur in Sacr. Alt. substantia Xpi D. non autem quantitas; sed ponitur illa substantia cum suis partibus: ergo illas de se habet. Insuper: Corpus organicum est de genere substantiæ, siquidem, est pars physica viventis; sed partes habet: ergo. Tandem: potest quilibet Sacerdos intentionem suam determinare ad medietatem hostiæ; sed tunc indivisa quantitate per verba consecrationis dividitur substantia panis, & altera medietas manet, altera convertitur in corpus Xpi D. ergo.

297 Resp. dist. maj. Habet formaliter & in actu, neg. maj. Habet aptitudine, cóc. maj. quatenus nempè aptum est quantitatem suscipere. Ad 1. prob. ex ea magis deducitur, quam intendat, aut possit admittere arguens, sequitur enim quòd substantia de se partes habeat etiam extensas: textus itaque Phil. expositione non indiget, sic enim habet: *Unumquodque autem infinitum esse est impossibile: corpus enim est, quod omniquaque dimensionem habet; infinitum autem, quod infinitè extensum est: quarè infinitum corpus undequaque extensum erit in infinitum.* Idem eisdem ferè verbis habet Com. quarè patet, quòd sermo est de corpore de genere quantitatis, quod nempè extensione constituitur omnimoda, sive triplici, & sic quod ait Com. *quoad omnes partes* idem intendit quod Phil. cum ait *omniquaque*, hoc est, secundùm trinamdimensionem.

Ad

Ad 2. prob. neg. conseq. est enim de ratione corporis aptum esse quantitatem suscipere, & ea dividi, & quia hoc spiritui repugnat, ex simplicitate, seu indivisibilitate hoc sensu benè probatur incorporeitas. Ad 3. dist. maj. Ponitur substantia secundùm se, neg. maj. quia sic non est corpus physicè, & ut est altera pars viventis: Ponitur sola substantia, determinata tamen secundùm modum se habendi, quem à quantitate habet, conc. maj. & cõcess. min. neg. conseq. Itaque si quid probat argumẽtum, probat substantiæ de se convenire extensionem; ponitur enim ex vi verborum corpus organicum, quod extensionem debet habere, sine qua non intelligitur heterogeneitas partium: corpus ergo organicum, quod ex vi verborum ponitur in hostia, materiam significat determinatam, & cum modo se habendi præstito à quantitate, ut latè in Phys. explicuimus. Quo patet ad 4. Ad ultimam, non negamus substantiam sub quantitate partes habere alias à partibus quantitatis, quod tantùm illa ratio probat, sed quòd illas de se habeat.

298 Arg. 4. Rub. Divisa substantia quanta fit duplex entitas substantialis; sed hoc nequit substantia acquirere per divisionem, aut à quantitate habere: ergo habet de se. Prob. min. quantum ad 1. quia divisio non est productiva substantiæ, ut ex una duplex fiat. Quantum ad 2. quia quantitas nequit habere effectum substantialem. Hoc arg. ipse tenetur solvere: licet enim deten, q uòd substantia de se partes habet, eæ non sunt plura tota, & plures substantiæ, ut sunt post divisionem. Directè neg. min. Ad prob. dicitur, quòd divisio non est productiva substantiæ, neque id requiritur, nulla enim ibi producitur, sed multiplicatur, non quidem quidditativè, quod neque ex quantitate posset haberi, neque sola divisione, sed materialiter, & quantum ad unitatem individualem, quæ est extra quidditatem.

299 Arg. 5. Quod convenit causæ & effectui, per prius causæ convenit, quàm effectui; sed substantia causa est quantitatis: ergo partium distinctio, quę substantiæ & quantitati convenit, per prius substãtiæ, quã quantitati convenit. Resp. 1. quòd eadẽ conseq. deducitur de extensione, & de quovis alio effectu quantitatis. Resp. 2. dist. maj. Quod convenit causę ut causa est, prius ipsi, quàm effectui convenit, conc. maj. Quod convenit causę, non precisè ut causa est, neque effectui ea ratione, qua est effectus, neg. maj. Tunc autem illa partium distinctio neque substantiæ convenit quatenus causa est quantitatis, neque quantitati quatenus est effectus, sed magis

quan-

quantitati quatenus perficit & causa est, & substantiæ quatenus perficitur.

300 Arg. 6. & est replica ad præcedentem solutionem: Substantia non nisi ut partes habens causa est quantitatis: ergo pro priori & ut causa est quantitatis partes habet. Prob. ant. 1. quia alioqui non magis esset receptiva quantitatis substantia materialis, quàm spiritualis, quæ enim utraque de se esset indivisibilis. 2. quia quantitas talis est forma, quæ de se exigit ita recipi, quòd pars ejus parti subjecti respondeat, & eò non potest in substantia spirituali recipi. Resp. dist. ant. Non nisi ut partes habens actu, neg. ant. In potentia, conc. ant. quo patet ad utramque prob. Substantia spiritualis non potest quantitate perfici, quia sibi repugnat ab ea dividi, aut alium effectum participare. Rursus: quantitas ita recipitur, quòd pars parti respondet, non tamen partibus quas subjectum antea haberet in actu, sed quas ipsa perficiens causat.

301 Arg. 7. Quod recipitur ad modum recipientis recipitur: ergo quando quantitas in substantia recipitur, non ipsa substantia ad modum quantitatis, sed magis quantitas ad modum substantiæ se accommodat, & consequenter partium distinctionem non habet substantia ex quantitate recepta. Resp. 1. quòd eodem argumento probatur de quovis alio effectu quantitatis, imò cujuslibet formæ accidentalis, non substantiæ per formam, sed magis formæ convenire ab ipsa substantia, patet enim quod quælibet in substantia recipitur. Directe neg. conseq. non enim illud principium potest intendere, quòd nihil habeat subjectum á forma quam recipit, sed tantùm quod forma recepta perficit subjectum suum, non quantum ipsa potest, sed quantum subjectum capax est perfici, ex quo nihil ad propositum, capax enim supponitur substantia materialis.

302 Arg. 8. Si materia non de se, sed à quantitate tantùm partes habet, semper & de necessitate tantum est materiæ, quantum est quantitatis; sed hoc est apertè falsum: ergo. Patet min. quia non esset accipere rarum & densum. Prob. maj. quia non est accipere tantum de materia nisi secundùm partes ejus; sed tunc non esset accipere partes ejus nisi secundùm partes quantitatis: ergo. Hoc arg. ipsa sua ratione inflatur; patet enim, quòd tantum & tantum quantitatem significat. Directè neg. maj. Ad prob. dicitur, quòd raritas & densitas non conveniunt substantiæ secundùm se, sed sub quantitate, & quia sub quantitate partes habet alias à partibus quantitatis, est accipere proportionem, & magis de istis, quàm de

de illis ; quo accipitur rarum, aut densum.

ARTICULUS. III.

Quid sit accidens ?

303 Duobus modis accidens accipitur, prædicabiliter, & prædicamentaliter: priori modo accidens dicitur quidquid est extra quidditatem rei, hoc enim prædicatur contingenter, licèt in se non sit accidens ; hoc sensu existentia accidens est, & si in se non sit de prædicamento accidentis : posteriori modo dicitur, quod quidditate sua est de prædicamento accidentis ; quia tamen prædicamenta non significant realitatem, sed affectionem, seu modum essendi ex quo sumitur prædicatio generalis & non reducta in aliam, ut in Log. explicuimus, & latè habet B. D. q. 4. de mens. Ang. adhuc accidens prædicamentale nobis dividitur in physicum & metaphysicum : physicum realitatem significat, quæ est forma perficiens, & hujusmodi sunt quantitas, & qualitates nonnullæ; metaphysicum dicit objectivè & in re rationem quidditativam, seu modum se habèdi ipsius substantiæ, non verò realitatem ei superadditam, una enim realitas aliter & aliter accepta est multiplex prædicamentum, & hoc sensu multiplex accidens, ut eadem realitas caloris in se est qualitas, ut ab agente fit, est actio, ut in passo causatur, passio.

304 De accidente physico quæritur quid sit, an nempè realitatem & entitatem importet de se aliam ab entitate substantiæ ? Mast. disp. 12. q. 1. citat B. D. in 4. Met. q. 3. docere, quòd accidens non est intrinsecè ens, sed tantùm per denominationem extrinsecam ab entitate substantiæ. Deinde, Thomistas communiter docere ait, quòd accidens habet quidem intrinsecè entitatem, qua tamen nequit dici ens absolutè, sed tantùm secundum quid & cum addito. Contra utramque sent ipse docet, quòd accidens intrinsecè & essentialiter ita est ens, quòd in se & absolutè conceptum dici debet ens simpliciter & sine addito, licèt comparativè ad substantiam sit ens imperfectum, hoc est minus perfectum, quàm substantia.

305 Sed in primis quod ad sent. attinet B. D. non benè sensum ejus percepit Mast. in illa enim q. 3. se remittit ad dicenda in 6. Met. ibi autem de hoc ex instituto quærens, resp. quòd accidens propriam habet entitatem distinctam ab entitate substantiæ : sensus ergo, quem ibi intendit, & frequentissimè de hoc agens satis expressè declarat hic est, quòd accidens entitatem habet propriam, quæ tamen adeò est debilis ut propter illam non me-

mereatur dici ens, sed propter entitatem substantiæ, cui attribuitur, seu quòd idem est, non dicatur ens propter entitatem suam in se acceptam, sed tantùm ut substantiæ attributam, verba ejus q. 1. de ess. & essen. §. *sed dices* hæc sunt: *Nam accidentia comparata ad substantiam non sunt entia propter entitatem, quæ sit in eis; non quidem quòd nullam habeant entitatem, sed quia illa est ita debilis, & ita propinqua non enti, ut propter illam non mereantur dici entia*; & paucis interjectis: *vel possumus dicere, quòd dato quòd accidentia dicantur entia propter entitatem, quæ est in eis, numquam dicentur entia propter entitatem illam in se acceptam, sed propter entitatem illam attributam alteri.*

Vides ergo, quòd non denominatione extrinseca dicitur ens de accidente, alioqui divisio in substantiam & accidens esset æquivoca, sicut in reale & rationis, sed entitatem habet accidens, qua tamen non debet dici ens absolutè, sed attributione tantùm, quod longè est aliud à denominatione extrinseca. Deinde: fatetur ipse, quòd comparativè ad substantiam non nisi secundumquid dicitur ens ipsum accidens; at nullam habet aliam acceptionem, ut mox patebit, si enim in se & absolutè ens esset, non accidens sed substantia esset, cum hoc nomine substantiæ intelligatur, ens in se & per se ipsum tale: ergo non nisi secundùm quid dici potest ens ipsum accidens.

306 Dicendum itaque, quòd accidens propriam habet realitatem distinctam à substantia, talem tamen, quæ tantùm ex attributione ad substantiam est aliquid & ens, & consequenter accidens, secluſa attributione ad substantiam, non potest dici ens. Prior pars à nemine negatur, & patet aperte: tum quia non sic dividitur ens in substantiam & accidens, sicut in reale & rationis; tùm quia non posset re ipsa substantiam afficere & perficere, nisi aliquid esset re ipsa aliud à substantia. Posterior pars, de qua est controversia, prob. 1. ex Phil. in 7. Met. cap. 5. ubi dubitationem proponens, qualis esse debeat definitio accidentis, resp. quòd ex additione necesse est manifestare, & postquã de aliquibus exemplificat, ita concludit: *Patet igitur, quòd solius substantiæ definitio est; si enim & cæterorum quoque prædicamentorum, necesse est ex additione esse, ut qualitatis;* At si quidditatem haberet accidens, & multò magis si entitatem, in se & sine attributione ad substantiam, posset item in se definiri, & non per additamentum: ergo. Patet autem, quòd nihil refert solutio, qua aliqui respondent, quòd loquitur de accidente in concreto, quia exempli-

plificat de simo : tum, quia ait quòd solius substantiæ definitio est ; tum quia de qualitate exemplificat.

307 Prob. 2. ratione, quæ ex hoc tex. colligitur : Si accidentia in se & seclusa comparatione ad substantiam haberent entitatem propriam, possent definiri definitione absoluta, quidditativa, seu non per additamentum ; sed hoc negat apertè Phil : ergo. Patet maj. tunc enim illud esse, quo in se & sine attributione ad substantiam esset hoc aliquid, acciperet absolutè intellectus, & ejus quidditatem posset hoc modo explicare. Min. expressa est in tex. ait enim, quòd sola substantia definitionem habet, & quòd alia tantùm eam habet ex additamento. Conseq. autem eò est manifesta, quia si ens absolutè dici posset accidens, seu per entitatem, quam in se habet sine attributione ad substantiam, eò esset, quia entitatem hoc sensu haberet : si ergo illam non habet seclusa attributione, absolutè & propter entitatem suam in se acceptam ens dici non potest.

308 Prob. 3. ex B. D. quoniam de ejus mente dubitat Mast. Itaque in 7. Met. q. 2. probat ex instituto, quòd tantùm per additamentum potest accidens definiri ; patet autem, quòd sic habet esse & quidditatem, sicut definitione explicatur. Clarius autem in 6. Met. q. 2. quærit, an accidentia habeant entitatem & naturam ? Postquam autem arguit, quòd sic, ita habet : *Hoc argumentum verius concludit, nam accidentia habent aliquam entitatem & naturam : dixerunt tamen quidam, quòd nullam penitùs entitatem habet*. Et postquam motiva hujus opinionis adduxit, subjungit : *Istud stare non potest, scilicet, quòd nullo modo habeant aliquid entitatis, quia tunc nullam haberent definitionem, neque simpliciter, neque per additamentum.* En opinionem rejicit, quam illi imponit Mast.

Deinde subjungit : *alij dicunt, quòd habent essentiam & entitatem eandem, quam habet substantia*, Et de hac opinione pariter ait : *Istud etiam stare non potest*. Deinde statuit, quòd entitatem habent aliam ab entitate substantiæ, diminutam tamen : qualiter autem hoc debeat intelligi, refert 1. sent. quòd sicut natura generis in aliqua specie reservatur propriè, & perfectè, in alijs verò minus perfectè, ita ratio entis propriè & perfectè reservatur in substantia, in accidente verò diminutè & imperfectè. Hæc est sent. Scoti, subjungit autem : *Sed hæc via non est secundum mentem Phil.* Ratio autem, quam deducit ex 4. Met. est : quia ens non dicitur de substantia & accidente, neque purè æqui-

æquivocè, ut posuerunt quidam, neque univocè & secundum unitatem communitatis & prædicationis, sed analogicè & secundum attributionem; si autem illo modo diceretur, diceretur univocè & secundum unitatem prædicationis. Adde, quòd si ens diceretur de accidente sicut genus dicitur de specie minus perfecta, nullo sensu diceretur secundum quid; equus enim, licèt species sit minus perfecta, quàm homo, nullo autem sensu dici potest imperfectè & secundum quid esse animal.

Præterea hac excluſa sent. ita subjungit B. D. *Sed propter hoc vellet aliquis dicere, quòd accidentia habent entitatem diminutam, non tamen tanta diminutione, quin in ipsis sit aliqua natura, in qua benè salvetur ratio entis, quamvis non completè ut in substantia. Sic dicens non evadit aliquid inconveniens, quòd ens sit genus univocum ad substantiam & accidens.* En ut per se notum supponebatur suo tempore, quòd esset inconveniens dicere ens univocum aut genus ad substantiam & accidens: patet ergo, quòd medium tenet B. D. inter duas illas sent. ut ens neque omninò æquivocè, & tantùm per denominationem extrinsecam dicatur de accidente, neque ullomodo univocè, & per entitatem, quæ sit in ipso absolutè, & in se acceptam, sed analogicè, & per entitatem, quam habet, non tamen in se acceptam, sed substantiæ attributam.

309 Prob. 4. ratione: Accidens ita habet rationem entis, sicut sibi convenit esse; sed tantùm & præcisè illi convenit esse ex attributione ad substantiam: ergo habet quidem entitatem, talem tamen, qua in se non possit dici ens, sed tantùm ex attributione ad substantiam. Patet conseq. Si ex attributione ad substantiam esse habet, propriam habet entitatem, qua est aliquid ejus, nempè perfectio & forma aliquid tribuens substantiæ; si autem hoc tantùm sensu illam habet, secluſa attributione, non habet. Patet item maj. quia ab eo quod est esse dicitur essentia & entitas. Ostenditur itaque min. 1. Quod in se aliquid est, & ens aliquod, in se exigit existere; sed quod in se & de se existere exigit substantia est: ergo accidens in se non habet esse aliquid. Patet maj. si enim ab eo quod est esse dicitur essentia, ita cuique competit esse, sicut essentiam habet. 2. tota quidditas accidentis est alteri inniti, inhærere, seu esse entis ens: ergo secluſa attributione ad alterum nihil sibi relinquitur, si enim sine attributione aliquid in se ipso accipitur, hoc aliquid non alterius perfectio, sed in se hoc aliquid est, & sic non accidens, sed substantia est.

310 Arg. Mast. in contrarium: Ens reale ut sic dicitur id, quod aut est, aut esse potest in natura citrà quamcumque intellectus operationem, per hoc enim ab ente rationis distinguitur, & à nihilo, quod autem in se sit, vel in alio, pertinet ad specialem rationem talis entis; sed accidens secluſa operatione intellectus potest esse in natura: ergo in se ipso verè habet rationem entis. Conf. Quia Phil. ens reale dividit in substantiam & accidens, & est divisio univoci in univocata, ut in antecedentibus probatum supponitur: ergo verè & re ipsa accidens contrahit & in se ipso habet rationem divisi, & consequenter per illam poterit dici ens.

311 Hoc unicum est, quod pro se adducit Mast. in præsenti, quod tamen non bene distribuit medium, ly enim in se, & ratione sui absolutè, quod necessè est in cõclusione deduci, de hoc enim est controversia, non ponitur in præmissis. Itaque ens dicitur unumquodque sicut est aut esse potest in natura; jam autem secluſa attributione ad substantiam omninó non posset accidens esse in natura; si enim tantùm habet inesse, & natum esse perficere aliud, si hoc aliud secludatur, nihil sibi relinquitur, quare si accipiat intellectus nullã, esse possibilem substantiam, omnino non potest concipere, quòd sit aut esse possit in natura accidens: relinquitur ergò, quód sit ens hoc tantúm sensu quo potest in natura esse, nempè ex attributione ad substantiam, & tanquam perfectivum ejus, quarè probat arg. quod non negamus, nempè accidens esse verum ens reale, & non purè equivocè dici ens; non autem probat, quod negamus, quòd nempè in se ipso & secluſa attributione possit dici ens. Ad Conf. dicitur, quòd illa divisio est analogi in analogata, & hoc sensu rationem divisi participat accidens, & sicut ipse probatam supponit univocationem, ita nos analogiam supponimus.

ARTICULUS IV.

An inhærentia sit de quidditate accidentis?

312 QUid sit inhærentia latè disputat Mast. contẽdens, modum esse ab accidente distinctum: aliqui unionem, alij informationem dicũt. Sed utrumque habet substantialis forma; quæ tamen non proinde inhæret. Inhærentia itaque est talis specialis modus essendi in alio, quo id, quod inhæret, perficit subjectum, cui inhæret, & aliquod perfectum esse communicat, & vicissim ab eo in esse substentatur, & hoc utrumque ad inhærentiam requiri facile ostenditur: non enim

sus-

sufficit in alio esse & perficere; patet enim, quòd substantialis forma perficit materiam, in qua est, non tamen inhæret: neque item sufficit in alio esse, & ab eo subsistentari, ut enim observat B. D. Quodl. 6. q. 6. humanitas Xpi D. habet quidem modum accidentis, quatenus non in se & per esse proprium, sed in supposito Verbi est, non autem propriè est accidens, aut inhæret, quia non unitur ut forma perficiens: utrũque ergo requiritur. An autem hoc sit aliquid ullomodo distinctum realiter ab essentia accidentis? Vide dicta de unione inter materiam & formã, non enim est hic specialis difficultas.

313 Ad propositum itaque 1. sent. docet, inhærentiam esse de quidditate accidentis, non solùm formalem, sive actualem, sed aptitudinalem. Hæc putatur sent. Phil. & antiquorum, qui proinde putabant, impossibile esse accidens sine subjecto conservari, quamvis contendat Scotus hanc impossibilitatem non ex eo deduxisse Phil. quòd putaret actualem inhærentiam esse de quidditate accidentis: quidquid de hoc sit, eandem sent. quantùm ad aliqua accidentia, quæ nempè dicuntur modalia & respectiva, ut sunt relatio, actio, & similia, tenent Albertin. de prædicam. quantit. disp. 1. q. 4. Elis. dist. 2. q. 3. art. 2. Secunda sent. docet, neque actualem, neque aptitudinalem inhærentiam esse de quidditate accidentis absoluti. Hanc tenent Scotistæ, & latè propugnat Mast. disp. 12. q. 3. Tertia sent. docet, actualem inhærentiam non esse de quidditate accidentis, esse autem aptitudinalem. Hanc tenent Thomistæ, & nostri. Quarta demum docet, ipsam aptitudinalem inhærentiam debere distingui, & radicalem esse de quidditate accidentis, non verò formalem. Ita Lalem. disp. 8. partit. 1. & de accidentibus entitativis tenet etiam Eliseus ubi suprà.

314 Sèd quod ad 1. attinet sent. fide docemur, in Eucharistia conservari accidentia sine substantia, quarè saltim quantitas est sine actuali inhærentia; & consequenter dubitari non debet, quin hæc non est de quidditate accidentis; quod vero alij addunt de modalibus & respectivis, nostra sent. abundè in precedentibus probata realitatem non agnoscit substantiæ superadditam, cui soli posset inhærentia competere, præter physica & absoluta accidentia. Deinde: 4. omninò nugatoriè & ad eludenda argumenta in contrarium distinguit aptitudinalem inhærentiam radicalem & formalem: nihil enim potest concipi radicalis illa inhærentia aptitudinalis, nisi radix ipsius formalis inhærentiæ aptitudinalis; radix autem nihil est nisi aptitudo, quarè erit illa radicalis inhæ-

ren-

rentia aptitudo ad aptitudinem inhærendi, quod egregia est nugatio: non ergo aliquid potest concipi præter ipsum inhærere, nisi ipsam inhærentiam radicare, quod est aptum esse inhærere, seu aptitudinalem habere inhærentiam.

Præterea: inconsequenter distinguitur de accidentibus entitativis & modalibus, sive respectivis: uniformiter enim cujuslibet sent. DD. docent, conceptum *in* univocè & genericè communem esse omni accidenti, & ipsam relationem habere docent talem conceptum *in*, quo univocè cum reliquis convenit in ratione communi accidentis; sed per conceptum *in*, ut accipitur omni accidenti communis ipsa significatur inhærentia sive actualis sive aptitudinalis, ut ea est de ratione accidentis: eodem ergo modo debent de quolibet loqui, & si conceptus *in* in absolutis & entitativis non quidditatem, sed passionem significat, ut vult sent. Scotistarum, idem debet significare in modalibus aut respectivis; si autem quidditatem, ut volunt Thomistæ, idem dici debet de omnibus, alioqui conceptus *in* non convenit univocè omnibus.

315 Dicendum, quòd aptitudinalis inhærentia est de quidditate accidentis physici, sive cui inhærere convenit. Prob. 1 ex Phil. in 7. Met. cap. 1. quo quosi quam dixit, quòd accidentia dicuntur entia, eò quòd entis propriè dicti, nempè substantiæ, aliquid sunt, subjungit: *Unde dubitaverit aliquis; utrum ipsum ambulare, ac sedere, & sanum esse, & unumquodque horum ens, an non ens est; similiter de quo, cumque cæterorum similium? Nihil enim horum est per se natura aptum neque possibile à substantia separari*, Et paucis interjectis subjungit: *Aliorum enim categorematum nullum est separabile, sed hæc sola: ratione quoque hoc primum est, necesse est enim in cujusque ratione inesse rationem substantiæ.* Hujus tex. iste est sensus, quòd sola substantia est ens & hoc aliquid natum in se accipi, & separatim à quovis alio; cetera autem eò quòd sunt ipsius substantiæ affectiones quædam, & nonnisi entis ens, non possunt sine substantia accipi, quarè necesse esse ait in ratione cujusque substantiam accipi, & ideò meritò dubitatur, an dici debeant ens, aut non ens; sed non posse accipi sine substantia est quidditativè importare ordinem ad ipsam & aptitudinem inhærendi: ergo quamvis autem de actuali inhærentia erraverit Phil. cujus sent. per ea, quæ fides docet corrigitur, de aptitudine tamen, & quidditate accidentis non est cur calumnietur sententia ejus.

316 Prob. 2. ratione: Id, quo non intellecto non intelligi-

tur

tur quidditas accidentis, est de quidditate ejus; sed non intellecta aptitudine inhærendi non intelligitur quidditas accidentis: ergo. Prob. min. Non intellecta aptitudine inhærendi non intelligitur id, quo præcisè accidens à substantia differt; sed hoc non intellecto non relinquitur ejus quidditas: ergo. Patet maj. tunc enim non relinquitur inalietas. Conf. & explicatur: Inalietas sive aptitudo essendi in alio id est, quo ens ad accidens determinatur; sed hoc est quidditas ipsius accidentis: ergo. Patet maj. cùm enim ens dicitur determinari per esse per se, & in alio, ly *in alio* non potest significare actualem inhærentiam, tùm, quia sine actuali inhærētia salvatur accidens in Eucharistia; tùm quia verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem; atverò aptum esse in alio, ut ens determinat, nihil potest aliud significare, quā aptum inhærere: ergo. Rursus: Si aptitudo inhærendi passio est extra quidditatem accidentis, naturam supponit, ad quam ipsa passio sequatur: quid ergo hæc natura est? Neque enim ipsi assignant, neque pro priori ad esse in alio quid intelligitur nisi ipsa ratio entis; hujus autem nequit esse passio inalietas, sive aptitudo inhærendi, cùm ratio entis sit communis ad substantiam & accidens, passiones autem dicantur ad convertentiam cum eo cujus sunt passiones, ut omnis homo est rationalis, & è contra.

317 Ad hanc rationem resp. 1. Scotistæ, quòd conceptus accidentis quietativus intellectus, quem proinde significat definitio ejus, non accipit nudam ejus quidditatem, sed passionem etiam includit, quarè per primam passionem definitur accidens, & hanc significat ly *in alio*. Sed in primis novum omninò est & voluntariè asseritur, quòd conceptus quidditativus non sit quietativus. Deinde hoc misso, & dato per primam passionem definiri accidens, assignent rationem quidditativam, ad quam illa passio sequatur, & quæ sit quidditas accidentis, qua intellectus non quietatur: immediatè enim ens determinatur per ly *in alio*; hoc autem ipsius entis passio esse nequit. Præterea: si per ly *in alio* non quidditativè differt accidens à substantia, assignent quo quidditativè differt; at nihil in accidente accipiunt nisi ens in alio: quandoquidem ergo ens ratio est, qua conveniunt differentia quidditativa & 1 esse debet ly *in alio*, quod ipsam significat aptitudinem inhærendi.

318 Resp. 2. Lalem. & Elis. quòd differentia quidditativa accidentis, quæ significatur per ly *in alio*, est aptitudo inhærendi; non autem formalis, sed radicalis, quarè ipsa formalis aptitudo pdjo est extra quidditā-

ditatem accidentis. Sed in primis : hac solutione uti non possunt Scotistæ, illa enim radicalis aptitudo ad alterum est eodem modo ac formalis, quarè non relinquit quidditatem absolutam accidentis, quod est eorum fundamentum. Deinde mera verba continet, quibus Scoti fundamentum eludere intendunt, nec tamen illa via possunt : 1. ex jam dictis patet, quid enim illa radicalis aptitudo significat, nisi radicem inhærētiæ ? Radicare enim est fundare & exigere, quod idem est ac aptum esse ; nugatoriè autem dicetur accidens aptum esse ad aptitudinem. Secundum item ex data ratione patet, eodem enim modo ad alterum dicitur radicalis, ac formalis aptitudo: non ergo ex hoc ratio Scoti solvitur.

319 Arg. itaque 1. Mast. Nullus respectus est de quidditate absoluti ; sed inhærentia aptitudinalis respectum significat ad subjectum, cui potest inhærere: ergo siquidem conceptus quidditativus accidentis absolutus est, talis inhærentia non est de quidditate ejus. Multipliciter hoc urgent Scotistæ ; mitto tamen confirmationes, quia omnes eandem difficultatem continent, & ex solutione hujus patebit ad omnes.

320 Hoc in primis instatur : posit enim Mast. & tenent communiter Scotistæ, quòd aliter philosophandum est de relatione, ac de reliquis : tunc autem, relatio totam quidditatem suam habet ad terminum ; aliunde autem cum reliquis habet conceptum *in*, ex quo duo sequuntur: alterum, quòd inhærentia, sive conceptus *in* nullomodo poterit relationi convenire cum reliquis, si enim talis conceptus *in* significat respectum ad subjectum, relatio, cujus tota quidditas est ad terminum, nihil potest importare ad subjectum. Neque refert dicere, quòd esse ad terminum est tota quidditas relationis secundum conceptum *ad*, non autem secundum conceptum *in*. Non, inquam, hoc refert: quòd enim relatio habet secundum quod ab accidentibus absolutis differt, habet secundum conceptum *ad* ; sed quod inhærentia sit de quidditate ejus habet quatenus ab alijs differt : ergo secundum conceptum *ad* quo tota est ad terminum, habet respectum ad subjectum, quod aperta est contradictio. Sequitur 2. quòd si conceptus *in* communis est relationi cum alijs, sicut relationi convenit inhærentia, seu comparatio ad subjectum, quæ significatur per conceptum *in*, ita debet reliquis convenire ; sed relationi convenit quidditativè : ergo.

321 Directè resp. dist. maj. Nullus respectus secundùm esse, conc. maj. Secundùm dici neg. maj. & eodem sen-

ſu min. inhærentia enima aptitudinalis non eſt relatio ſecundùm eſſe, ſed ipſa quidditas abſoluta, quę ſe ipſa habet modum relativi. Itaque ſicut nullus cōceptus accidētalis eſt de quidditate ſubſtantialis prædicati, & nihilominùs differentia ſubſtantialis habet modum qualitatis & eſt qualitas ſecūdū dici, quia hoc non eſt aliqua ratio ſuperaddita, ſed ipſa ſubſtantialis quidditas, quæ ſe ipſa intranſitivè talem modum habet, ita in propoſito in alietas modus eſt relativi, quo ipſa quidditas accidentis ſubjectum connotat, cui natum eſt inhærere, non autem reſpectum ſignificat, ſed abſolutam quidditatem, quæ ſe ipſa talem modum habet.

322 Arg. 2. Si aptitudinalis inhærentia eſt de eſſentia accidentis, quantitas & qualitas non erunt genera generaliſsima; ſed hoc eſt inconveniens: ergo. Patet maj. quia tunc habent ſupra ſe illam inhærentiam, quæ eſt ratio quidditativa, & communis, quarè erit genus. Reſp. 1. quòd ipſi hoc tenentur ſolvere: ſi enim illa inhærentia non quidditas eſt, ſed paſsio, alicujus naturæ paſsio eſt: quod ergo de hac natura ipſi dicant, de inhærentia dicetur. Præterea: communis ratio accidentis ſuperior eſt & quidditativa in quocumque ea conſiſtat. Directe neg. maj. Ad prob. dicitur, quòd illa inhærentia ex parte objecti non eſt gradus aliquis metaphyſicè contrahibilis per differentiam, ſed eſt tantùm conceptus formalis, cui ex parte objecti tota quidditas uniuſcujuſque reſpondet, ſicut dictum eſt de conceptu entis.

323 Arg. 3. Id eſt rei quidditas, quod primò concipitur in ipſa; ſed hoc non eſt in accidente aptitudo inhęrendi: ergo. Prob. min. Prius eſt in unoquoque quod in ſe eſt, quàm quod eſt in ordine ad alterum; ſed aptitudo inhærendi accidenti convenit in ordine ad alterum, nempè ad ſubjectum, cui debet inhęrere: ergo. Reſp. neg. min. Ad prob. neg. min. in ſe enim eſt aptum ſic perficere, & hanc ejus quidditativā aptitudinē & capacitatē, ſeu exigentiā ſignifica illa inhærētia: quāvis ergo ſignificetur modo illius, quod ſe habet ad alterū, quarè eſt relativūſecūdūdici, nō autē ad alterū eſt, ſed in ſe.

324 Arg. 4. Nequit res intelligi ſine eo, quod eſt quidditas ejus; ſed intelligitur accidens ſine aptitudinali inhærentia: ergo. Prob. min. quia Matematicus accipit quantitatem abſtrahendo ab omni ſubjecto, & nos rectè intelligimus albedinem etiam ſecluſa aptitudine inhærendi, & nulla imellecta ſuperficie. Conſ. Quod eſt de quidditate alicujus non concluditur per demōſtrationē ſed illa primodialis inhęrentia demonſtratur

accidente : ergo. Prob. min. iste syllogismus demonstratio est: forma denominans nata est inhærere subjecto quod denominat; sed accidens est forma denominans subjectum suum : ergo. Sed hic concluditur de accidente aptitudinalis inhærentia : ergo ea passio est.

325 Resp. ad arg. neg. min. Ad prob. neg. assumptum, quantum ad 1. quia Matematicus agit quidem de quantitate præcisivè à subjecto, & à modo, quem in subjecto habet ; non tamen proinde ipsam intelligit sine aptitudine inhærendi, si enim intelligit ejus quidditatem, intelligit de necessitate, quod forma est perfectiva, & consequenter nata communicare substantiæ hoc tale perfectum esse : similiter quantum ad 2. licèt enim possimus albedinem concipere sine superficie, non autem sine aptitudine perficiendi ipsam, neque enim possumus quidditatem ejus concipere, quin concipiamus, quòd hæc talis forma est, & consequenter taliter perfectiva, alioqui cõciperemus ipsam ut natam in se existere, & sic ut substantiam. Ad Conf. neg. min. Ad prob. dicitur, quòd ille syllogismus non est demonstratio, sed syllogismus identicus, non enim passio, quæ concluditur, differt à medio, quo concluditur.

***

ARTICULUS V.

An accidens habeat propriam existentiam distinctam ab existentia substantiæ ?

326 DE hoc quærunt Mast. disp. 12. q. 1. & disp. 8. q. 4. Suar. disp. 31. sec. 11. alij autem ferè supponunt, quòd accidens sicut propriam entitatem, ita etiam propriam èxistentiam habet. N. B. D. expressè docet, quòd accidens non habet existentiam aliam ab existentia substantiæ, sed quòd inhærere est in substantia existere, & existentia ejus. Ita habet Quodl. 2. q. 1. *§. Respondeo dicendo*, & Quodl. 6. q. 6. in fol. ad ultimum argumentum, & sæpe alibi. Elis. dist. 2. q. 3. art. 3. distinguit de existentia : nam aliam dicit interminatam, qua nempè constituitur existens ut sic, & indifferenter ; aliam verò terminatam, qua existit in determinata specie. Ait ergo, quòd accidens habet propriam existentiam interminatam, de existentia verò terminata distinguit ulteriùs, & docet, habere terminatam metaphysicè, non verò physicè.

327 Hæc distinctio de existentia nova est & prorsus apparet imperceptibilis : 1. quia existere nihil intelligitur aliud, quàm in re poni, & existentia ipsa est actualitas, qua sic res ponitur ; in hoc

hoc autem quòd est in re esse non est accipere gradus, aut determinationem, & indeterminationem, sed res quælibet determinata & individua est, aut non est in re. 2. determinatio, aut indeterminatio ipsius est quidditatis & essētiæ: quamvis ergo ratio cōmunis & indeterminata, posset concipi in re poni, nō ipsa existentia esset interminata essentia, quæ fieret existens. 3. ipse docet, quòd existētia gradualiter ab essētia differt, quia nempè gradus est ultimus quidditatis: supponit ergo determinationē per alios gradus; quòd si ista existētia, quæ est ultimus gradus est existētia terminata, alia existentia interminata nō poterit à gradu essentiæ indeterminato distingui, & tunc eàdem ratione neque existentia terminata poterit à gradu determinato distingui. Præterea: entitatem & essentiam habet accidens physicè aliam ab entitate substantiæ; sed existentia ultimus gradus est essentiæ: ergo.

328 Nobis ergo dicendum absolutè, quòd accidens non habet propriam existentiam aliam ab existentia substantiæ. Ita B. D. locis cit. Prob. 1. ratione: Accidens ex quidditate sua ita habet esse in natura, quòd sibi competit inhærere & ab altero substentari; sed hoc ipso sibi repugnat propria existentia existere: ergo. Prob. min. Substentari est ab altero habere esse; sed propria existentia existere, licèt in alio, non est ab altero habere esse: si ergo accidenti quidditativè competit sic inesse quod est substentari, ei competit non proprium esse habere. Patet maj. eò enim substantialis forma non substentatur à materia, quia non ab ipsa esse habet; eò humanitas Xpi D. à suppositō Verbi substentari dicitur, quia per esse ejus existit; & eò substentatio ad genus efficientis reducitur, & à Deo potest suppleri, quia non recipi est, sed esse accipere. Min. item ex terminis patet; suppositum autem conseq. quod est principalis maj. ex præcedentibus patet; inhærere enim non tantum recipi significat, aut informare, quod utrūque forma substantialis habet, sed ita informare, quòd esse habeat à subjecto.

Conf. Si accidens propriam habet existentiam aliam ab existentia substantiæ, non intelligitur perficere ut existat, sed magis quia existit; sed tunc non erit accidens: ergo. Patet min. Si enim quia existit & est in re perficit, esse habet in se, & de se, quarè substantia erit. Ostenditur maj. Si propriam habet existentiam, illam à producente accipit; sed per prius habet, quod à producente accipit, quàm quod substantiæ communicat: ergo quia est & esse habet perficit substantiam. Patet min. à producente enim substantiæ communicatur,

& in substantia ponitur, quare actio producentis causa est mediatè illius, quod substantię communicat: prius ergo ad actionem producentis comparatur, & si ab ista habet esse, prius habet esse, quàm inesse, & consequenter sibi non competit inesse, prout hoc est inhærere.

329 Prob. 2. Ita accidens habet esse, sicut habet produci & extra causas poni; sed talem habet quidditatem, quòd sibi de se non competit produci & extra causas poni, sed tantum cum substantia, & productione ejus: ergo non de se habet esse, & existentiam propriam. Patet maj. quia existentia est actualitas, qua res extra causas ponitur. Ostenditur min. 1. quia accidens non est ens, nisi quia entis: ergo non aliter producitur. 2. ex doctrina B. D. sæpè in præcedentibus adducta: quia agens non agit neque quòd potentia sit potentia, neque quòd actus sit actus, sed tantùm quòd actus conjungatur potentiæ suę, quarè tantùm intelligitur productio quatenus intelligitur essentia existentiæ conjungi; sed accidens talis essentia est, cui de se non competit existentiæ conjungi: ergo illi non competit produci. Patet hæc min. de se enim competit existentiæ conjungi, cui de se competit existere.

Conf. Si accidens de se fieret & produceretur, non accidens, sed substantia esset; sed si propriam existentiam haberet, de se fieret, seu produceretur: ergo. Patet min. sicut enim unùquodque habet existentiam, sic habet produci, quod est sub existentia poni. Ostenditur maj. Conceptus substantiæ est, ens natum in se existere; sed quod existentiam habet propriam, & sibi de se convenientem, natum est in se existere: ergo. Patet min. sicut enim unumquodque natum est formam suscipere, ita effectum ejus: quod ergo in se & de se existentiam habet propriam, natum est in se & de se existere, sicut natum est talem existentiam suscipere.

330 Arg. 1. P. Suar. Accidens entitatem habet distinctam ab entitate substantię: ergo & existentiam. Hanc conseq. ipse supponit ex identitate essentiæ cum existentia; posset autem ostendi 1. Quia ab eo quod est esse dicitur essentia & entitas: ergo distincta entitas & essentia à distincto esse. 2. Quia ens constituitur in actu & extra statum possibilitatis per existentiam; sed accidens entitatem habet in actu & extra statum possibilitatis distinctam ab entitate substantię: ergo & existentiam.

331 Resp. neg. conseq. Ad 1. prob. neg. pariter conseq. quia non requiritur diversum esse, sed sufficit diversimodè se habere ad idem esse; nempè esse, aut

aut significat ipsam existentiam, & ita accipit arguens; aut significat existere, quod est effectus ejus: ut diversificetur essentia, & diversa sit entitas, hoc 2. sufficit; ad hoc autem ut accidens diversum habeat effectum, sufficit quòd diversimodè se habeat ad eandem existentiam substantiæ. Resp. 2. quòd esse non præcisè significat existere, sed esse substantiæ cõpletæ est existere, formæ verò est perficere seu perfectũ esse quod ipsa communicat; hoc secundum sufficit ut ab eo dicatur essentia & entitas, ut accipitur contra quidditatem aut naturam, & hoc sensu diversum & proprium esse habet accidens, quarè concesso hoc sẽsu ant. neg. conseq. Ad 2. prob. neg. maj. nõ enim existentia, sed effectu ejus constituitur ens in re & extra causas: ut ergo accidens diversum sit ens in actu & extra causas sufficit, quòd ab eadem existentia substantiæ habeat diversum existere.

332 Arg. 2. idem: Accidens habet fieri & produci nova actione distincta ab illa, qua fit & producitur substantia; sed talis existentiam communicat: ergo talem habet accidens aliam ab existentia substantiæ. Hoc arg. dicit Mast. sibi evidentissimum, & ita confirmat ex Flandrensi: Implicat aliquid corrumpi suo proprio esse remanente; sed corrumpitur accidens manentu substãtia, & existentia ejus: non ergo hoc existit, sed propriam habet. Patet maj. hoc enim est corrũpi, amittere esse. Min. item frequentissima experientia patet.

333 Resp. 1. quòd si accidẽti cõveniret proprium fieri, seu haberet proprium esse, non aliter posset fieri, si enim productio est communicatio existentiæ, non nisi propria productione posset propriam existentiam suscipere: patet autem, quòd eadem actione, qua producitur ignis, producitur caliditas ejus, imò existens aqua, postquam frigiditatem amisit, non aliqua actione illam recuperat, sed per hoc solùm quòd removearur calidũ; sine actione autẽ productiva nõ cõmunicatur existẽtia, quæ est terminus ejus: nõ ergo existẽtia cõpetit accidẽti. Resp. 2. neg. maj. nõ enim illa actio est factiva seu productiva sed, trãsmutativa substantiæ; quarè nõ directè & immediatè ad existentiam accidenti communicandam, sic enim subjectum ejus esset accidens, & forma, seu terminus *quo* existentia, sed ad substantiam terminatur, & hæc est subjectum illius actionis, terminus verò formalis *quo* ipsa forma accidentalis, quæ proinde non propriè producitur, sed educitur, & in substantia ponitur, atque sub existentia ejus.

Ad Conf. neg. maj. in sensu arguentis, nempè prout esse significat existentiam, & patet in mor-

morte Xpi D. quæ vera fuit hominis corruptio per separationem animæ à corpore; manſit tamen exiſtentia ipſa. Ad prob. ergo dicitur, quòd corrumpi eſt amittere eſſe, prout hoc non exiſtentiam, ſed effectum ejus ſignificat: ita ergo corrumpitur accidens, quòd licèt maneat exiſtentia ſubſtantiæ, à qua prius ſubſtentabatur, & habebat exiſtere, jam hoc non habet.

334 Arg. 3. In Euchariſtia manent accidentia ſine ſubſtantia; at ſine ſubſtantia non poteſt exiſtentia ejus manere: ergo propriam habent illa accidentia. Patet conſeq. neque enim poſſet nova exiſtentia creari, qua exiſterent, neque oportet ad novum miraculum recurrere. Min. autem oſtenditur: quia temerarium eſt & fidei repugnans, aliquid ſubſtantiæ panis manere in hoſtia; ſed exiſtentia aliquid ejus eſt: ergo. Hoc item Matt. dicit ineluctabile.

335 Nihilominus duobus modis poteſt reſp. 1. nēg. min. & ad prob. ejus diſt. maj. temerarium eſt aliquid ſubſtantiæ manere ſubſtantivum, & de ipſa ejus entitate, conc. maj. Aliquid quod tantùm adjectivè eſſet aliquid ſubſtantię, neg. maj hoc enim ſenſu ipſa accidentia ſunt aliquid ſubſtantię, exiſtentia autem tantùm hoc ſenſu eſt aliquid ſubſtantiæ, diſtinguitur enim ab eſſentia & entitate nominali realiter, ut diſp. ſeq. probabitur: nullum ergo eſt inconveniens, quòd exiſtentia ſubſtātiæ maneat. 2. poteſt negari conſeq. Ad prob. dicitur, quòd licèt non maneat exiſtentia ſubſtantię, neque propriam habeant accidentia, non opus eſt, novam creari, ut ipſa conſerventur in eſſe, ſed poſſunt à Deo conſervari cum illo modo ſe habendi, quo in ſubſtantia erant, & ab ipſa ſubſtentabantur. Utraque ſolutio probabilis eſt, & quælibet poteſt ſubſtineri.

DIS-

DISPUTATIO SECUNDA. DE ENTE SUMPTO PARTICIPIALITER.

ENS dicitur participialiter sumi, quando sumitur per modum participij, nempè essens, sive existens: nominaliter verò, cùm sumitur substantivè per modum nominis, prout est ipsa essentia sivè entitas, cui esse competit: de ente hac posteriori acceptione disp. præcedente actum est, de priori nunc aggredimur, nec tam de ipso ente, quippè de hoc nihil speciale supereſt, quàm de actualitate, qua sic existens constituitur; talis autem est existentia & subsistentia, quarè de his duobus disputatio instituitur.

QUÆSTIO V.
DE EXISTENTIA.

ARTICULUS. I.

An in rebus creatis differant realiter essentia, & existentia?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

1 NUlla ferè in toto processu cõtroversia æquis adeó disputatur rationum lacertis, ferè enim sunt innumera, quæ pro qualibet sent. adducuntur, & cuique sua videtur evidentissimè demonstrata: nobis neque de aliorum fundamentis judicium ferre, neque eis libet uti, sed B. D. unum aut alterum proponere, & quæ in contrarium adducuntur solvere. Prima ergo sent. docet, essentiam ab existentia non distingui ullo modo realiter, sed ratione tantum sive ratiocinante, sive ratiocinata. Ita Nomin. ex quibus latè N. Arimin. in 2. dist. 8. q. 2. art. 2. ex nostris item Venet. Albiz. Franc. à Xp. ex alijs Duran. Aureol. & alij; eandem latè tenet P. Suar. disp. 31. Met. & sequuntur frequenter DD. Soc. Secunda sent. docet distingui realiter simpliciter. Hanc tenẽt communiter Thomistæ, & ex DD. Soc. Molin. Fonsec. Conimb. Albertin. Rub. eandem tenent nostri cum B. D. in 2. disp. 3. p. 1. q. 1. art. 2. Quodl. 1. q. 7. & latè de ess. & essent. q. 9. & sequentibus, & sæpe alibi. Tertia sent. docet, distingui ex natura rei, aut modaliter, & ita Scotistæ, aut gradualiter, & ita tenent Bachonistę, hęc autem ad difficultatem pertinet sequẽtis art. quo quæritur, quid ipsa est existentia, ex quo constabit, quo gradu distinguitur?

2 Dicendum itaque, quòd in rebus creatis existentia distinguitur realiter ab essentia. Prob. 1. fundamentali ratione, qua utitur B. D. locis sup. cit. & desumitur ex P. Aug. in 12. Confes cap.

cap. 19. cui titulus est: *quæ liquidò vera?* Sub medium autem inter alia ita habet: *Verum est, quod omne mutabile insinuat notitiæ nostræ quandam informitatem, qua formam capit, vel qua mutatur & vertitur.* Eandem sent. habet S. P. de Gen. ad lit cap. 14. & fæpe alibi. Supponit itaque ut liquidò verum, quòd nequit intelligi in aliquo mutabilitas & transitus de uno ad aliud, quin compositio intelligatur ex duobus, subjecto nempè, quod transit, & est in potentia ad terminum, ad quem transit, & hoc dicit S. P. informitatem, quatenus quædam est capacitas ad illum terminum, & ex termino ipso, qui mutatione acquiritur, vel amittitur.

Ex hoc autem B. D. sic formatrationem: De ratione creaturæ est, quòd sit mutabilis de non esse ad esse, & de esse ad non esse, & quidem reali mutatione; sed mutabilitas insinuat in re mutabili compositionem ex informi subjecto, quod mutatur, & transit ad terminum, & ex termino, cujus amissione vel acquisitione mutatur: ergo de ratione creaturæ est, quòd habeat compositionem realem ex essentia & esse. Maj. fide nota est, incæpit enim creatura transitu de non esse ad esse, & potest non esse. Min. est expressa in tex. S. P. conseq. autem legitima.

2 Ad hanc rationem ait ipse B. D. responderi posse, quòd mutabilitas informe subjectum & realem compositionem indicat in re creata, sed non de necessitate compositionem ex essentia & esse; per hoc enim quòd ex materia & forma componatur, acquisitione formæ transit ad esse, & amissione ejus ad non esse. Sed contra reponit ipse: 1. Compositio ex materia & forma non est de ratione rei creatæ, non enim ea reperitur in Angelis; at mutabilitas de non esse ad esse, & è contra, est de ratione rei creatæ: ergo ista mutabilitas non illam compositionem infert. 2. In ipsa corporali creatura duplex cernitur mutabilitas; altera in essentia nominali, qua esse incipit hoc tale, quod prius non erat; altera quantùm ad esse participiale, qua incipit esse in re: ergo duplex debet accipi compositio, & duplex mutabile subjectum, & utraque compositio realis esse debet, quia realis est utraque mutatio; at prior compositionem arguit ex materia & forma: ergo posterior ex essentia & esse.

4 Dices: pro priori ad existentiam nihil est, quod possit transire, præcedit enim tantùm possibile, quod per nos nihil est aliud ab essentia creatoris: non ergo de hujusmodi transitu, qui nullus est, poterit accipi tex. S. P. sed de hac, quam videmus in corporalibus, mutatio-

ne de una forma ad aliam. Sed cóntra: 1. S. P. absolutè ait, quòd omne mutabile insinuat illa duo, subjectum, quod mutetur, & terminum, sive actum, cujus acquisitione, aut amissione mutetur; sed creatura simplex in essentia sua, puta Angelus, absolutè est quid mutabile, & quidem reali mutatione, potest nempè amittere esse quod habet: ergo illa duo habet, & sicut comparatur ad mutationem, qua potest amittere, ita ad illam qua acquisivit. Præterea: id quod significat definitio, etiam pro priori ad existentiam non est omninò nihil, sed tantùm dicitur nihil subjectivè & in actu, cum hoc tamen aliter comparatur ad esse chimera, ac homo: ergo id, quod definitio significat, aliud est ab ipsa existentia; licèt autem hoc pro priori ad existentiam non esset aliquid subjectivè & in actu, sive physicè, nunc autem sub existentia aliquid est physicè & in re: ergo.

5. Præcedens fundamentum multis urgetur confirmationibus, quæ licet novam non addant difficultatem, quia tamen non leviter explicant, libet subjungere. Conf. itaque: 1. Sicut generatio & corruptio comparantur ad materiam & formam, ita creatio & annihilatio ad essentiam & existentiam; sed generatio & corruptio probant distinctionem simpliciter, & realem compositionem ex materia & forma: ergo & creatio & annihilatio eandem compositionem probant ex essentia & esse. Maj. ex terminis patet; sicut enim generatio est acquisitio formæ, & corruptio est amissio ejus, ita creatio est acquisitio existentiæ, & annihilatio est amissio ejus. Min. omnes supponunt Peripatetici, cum quibus agimus, & conseq. ad hominem non leviter urget; ponunt enim Moderni Philosophi, quod generatio tantum est quædam modificatio materiæ penes transpositionem & convinationem partium ejus; contra autem arguùt omnes Peripatetici, quod illa modalis diversificatio non salvat generationem, & veram productionem, & hoc ipsi concedunt, contendimus autem, quòd verè generatur res, & quòd hoc sola modali diversificatione materiæ non salvatur, quarè inde inferimus realem, physicam, & entitativam compositionem ex materia & forma; sed creatio vera est productio: ergo eandem arguit ex essentia & esse.

Conf. 2. Si compositio ex materia & forma tantùm est modalis & penès partium ipsius materiæ diversam convinationem, ut ponit Modernorum sent. destructio compositi nullum ens destruit, quia tantùm tollit modum, quem materia habebat, & tamen neque relinquit essentiam, quæ erat, neque existentiam, qua etiam

erat, & consequenter, ut corruptio destruat aliquod ens, oportet accipere physicam & entitativam compositionem ex materia & forma; sed annihilatio proculdubiò destruit ens, & tamen neque essentiam destruit, quę sicut improducibilis, ita inanihilabilis est, neque existentiam, quæ si non distinguitur, non est realitas destruibilis: oportet ergo realiter distingui. Mitto alia, quæ ex his possunt cuique patere.

6 Secundum fundamentum B. D. quod nescio qua ratione nostri prætermittunt, ex Phil. desumitur, tum in 1. Phis. tex. 64. tum in 7. Met. tex. 26. & 27. tum item in 8. quibus omnibus eandem habet sent. quòd nempè fieri non potest, nisi compositū, ait itaque in 1. Phis. *Quare patet ex dictis, quod fit, semper compositum esse.* Et 7. Met. clarius, & quasi rationem assignans ait: *Dico autem, quòd æs facere, rotundum non est ipsū rotundū, aut sphærū, facere sed aliquid aliud, ut puta speciē hanc in alio.* Quibus intēdit, quòd facere circulū æreum nō est facere rotūditatem, aut æs, sed rotunditatē in ære; & paucis interjectis concludit: *Manifestum igitur est, quòd neque species fit, aut quodcumque oportet nominare formā, quæ in sensibili, neque est ejus generatio, neque est hæc ipsum quid erat esse; hoc enim est, quod in alio fit, aut ab arte, aut a natura, aut à potentia rerū ipsarū esse facit, facit namque æs esse sphæra, in hoc namque hoc facit, & hoc est sphæram esse.*

Rationem hujus assignat B. D. quia actio agentis non potest facere, quòd potentia sit potentia, neque quòd actus sit actus, hoc enim de se habent, quare tantùm facit, quòd actus conjungatur potentiæ, & quòd potentia sit sub actu, & consequenter non potest intelligi actio, quin in termino ejus intelligatur compositio ex potentia & actu, quod intendit Phil. ut actio ipsa intelligatur conjungere actum potentiæ suæ. Neque dicas, quòd licet actio non faciat quòd potentia sit potentia, aut quòd actus sit actus, facit tamen quòd actus, aut potētia sit in re. Contra enim est: aut esse in re nudam dicit entitatem actus aut potentiæ ut erat ante actionem; aut conjungi alicui, quod ante actionem non habebat. Si hoc secundum, habetur propositum: si autem secundum, reddit unum ens, entitatem enim & quidditatem talem ante actionem habebat.

7 Dices iterum: actio agentis facit potentiam vg. esse in re, quin eam alicui actui conjungat, ex hoc solùm quòd per actionem agentis ea ipsa terminat, aliter se habet, & quæ erat in potentia fit in actu. Sed contra hoc aliter se habere intelligi nequit quin aliquid a

quo proveniat; est enim modus, determinatio proveniens à forma. Præterea: modus qui rei convenit intransitivè, & sine aliquo à quo sibi conveniat, transcendens est, & qui semper & invariabiliter convenit, v. g. differentia substantialis, habet modum qualitatis, qui sibi de se convenit, quarè transcendenter & invariabiliter habet; at esse in re, quod rei convenit ex actione agentis non ita, sed variabiliter convenit: ex aliquo ergo convenit, quòd sibi illa actione communicatur, & quo aliter se habet: non ergo potest actio intelligi, quin actum potentiæ conjungat, ut intendit Phil.

8 Ex hoc itaque rationem deducit B. D. In omni eo quod fit & verè producitur de necessitate est realis compositio ex essentia & esse; sed creatura fit & verè producitur: ergo. Maj. patet ex præmissa doctrina Phil. si enim actio de necessitate habet conjungere actum potentiæ suæ, sicut actio generativa formam substantialem inducit, quarè infert compositionem ex materia & forma, ita actio alterativa formam accidentalem, quarè infert compositionem ex substantia & accidente, & eodem modo actio productiva ponit rem sub esse, quarè arguit compositionem ex essentia & esse.

9 Hoc fundamentum latius prosequitur B. D. q. 12. de ess. & essent. & ibi confirmat 1. Quia actus & esse in tantùm potest intelligi incipere in quantum intelligitur in alio poni, nempè communicari potentiæ suæ; sed nõ intelligitur in alio poni; nisi in re quę fit intelligatur realis cõpositio ex essẽtia & esse: ergo. Maj. patet, quia actus de se est actus, & esse de se est esse: ergo incipere nõ habet nisi quatenus alicui cõmunicatur. Min. itẽ patet, nõ enim intelligitur, cui cõmunicatur nisi intelligatur potentia & subjectum, cum quo faciat compositionem.

Confirmat 2. Quia non posset creatura annihilari, nisi in ea esset compositio realis ex essentia & esse; sed potest creatura annihilari: ergo. Maj. ostendit ex Phil. in 9. Met. cap. 7. quo docet, quòd malum & defectus non invenitur in rebus nisi expotentia: quod ergo potest creatura realiter deficere ex eo est, quia habet realem potentiam ad esse, & consequenter realem distinctionem. Deinde ratione: actus enim secundum quod hujusmodi non deficit ab actu: ergo tantùm deficit, quatenus deficit à potentia, & definit illi conjungi.

10 Tertium fundamẽtum desumit B. D. ex 26. propositione de Causis, qua dicitur, *Quod omnis causati cadentis sub corruptione non fit corruptio nisi propter separationem à causa sua.* Ex hac deducit B. D. quòd quia actione agentis fit res in actu talis, qua-

lis

lis erat prius in potentia, ex hoc ipsa consequitur relationem ad agens, quod absolutè verum est, & à nemine negatur, tunc autem arguit: Essentia Angeli, ex quo facta est & in re existit, fundat relationem ad agens, à quo fit; sed illa relatio non potest fundari in nuda entitate essentiæ: ergo ex quo est existens aliquid aliud habet, quo illam relationem fundet, & hoc est existentia. Patet min. tum quia essentia invariabilis est, illa autem relatio variabilis; tum quia essentia prout per definitionem significatur, independens est à creatione.

Conf. Relatio se ipsa non acquiritur aut amittitur, quia ad relationem non datur motus, quarè solùm acquiritur, quia aliquid acquiritur, in quo ipsa fundetur, & amittitur eo amisso; sed Angelus creatione incipit habere relationem, quam prius essentia ejus non fundabat: ergo aliquid creatione acquirit, & hoc est esse. Rursus: Non potest intelligi relatio realis non intellecta reali novitate aut in eo quod fundat, aut in eo quod terminat talem relationem, quia relatio se ipsa non inducitur, aut motum terminat; sed in termino ad quem est relatio rei, quæ creatur, nulla potest intelligi novitas: ergo in essentia, quæ creatur, aliquid creatione inducitur, quo incipiat aliter se habere, & hoc est esse.

11 Quartum fundamentum: Alia est potentia generis ad utramque differentiam, & materiæ ad hanc & illam formam, nempè genus potest cum qualibet conjungi, aliam autem quidditatem habet sub hac & illa, animalitas enim equi est anima equi, & animalitas hominis est forma hominis, eò quòd genus significat gradum formæ; atverò materia ita potest sub hac aut illa forma esse, quòd eandem habet quidditatem sub qualibet: hinc genus potentia est ad differentias sola ratione differens, quia eis mutatis mutatur realitas ejus; materia verò est potentia realiter differens, quia mutata forma ejus realitas non mutatur; sed essentia potentia est ad esse & non esse non sicut genus ad differentias, sed magis sicut materia ad formas: ergo etiam differt realiter. Patet min. quia eadem essentia, quæ non erat, fit & ponitur sub esse, & eadem, quæ erat, destruitur & amittit esse. Hanc rationem prosequitur B. D. de esse & essent. q. 9. 12. & 13. ubi alias vide.

§. II.

Solvuntur argumenta.

12 ARg. 1. Mast. Id quo ponitur res extra nihil, & extra suas causas est existentia; sed per suam

&c.

actualem entitatem & essentiam res ponitur extra nihil & extra suas causas: ergo ipsa sua essentia est existentia: Breve quidem argumentum, subjungit ipse, sed omnino convincens. Conf. Essentia & existentia eandem habent contradictionem: ergo idem sunt realiter. Patet conseq. quia unius affirmationis una est negatio. Ostenditur ant. Quia non est aliud nihil quod privat essentia, & quod privat existentia, nihil enim est non esse, quod utrique opponitur.

13 Resp. dist. maj. Id quo ponitur extra nihil subjectivè & physicè, conc. maj. Quo ponitur extra nihil quidditative & metaphysicè, neg. maj. & eodem sensu min. Itaque definitio rosæ nó significat nihil; significat autè quidditatè rosæ secluſa existentia: ipsa ergo essentia se ipsa, sine existētia excludit nihil; non autem ipsa sic habet esse extra causas: nó ergo idē est esse extra nihil, & extra causas: Nihil itaque duobus modis poterit accipi; dicitur enim, quòd res antequā existat nihil est in actu & subjectivè, nō autē tunc est absolutè nihil sicut chimera, sed metaphysicè objectivè est essētia aliqua: essētia ergo se ipsa & per suaprædicata excludit nihil absolute, nō autē se ipsa est extra causas, aut excludit nihil subjectivè & in actu, quatè neq; se ipsa est essētia actualis actualitate physica & participiali, & quia hac cōstituitur existēs, nō nisi existentia distincta & superaddita hoc habet.

Ad Conf. facilè ea instatur; idem enim nihil opponitur homini & equo, cùm in ipso non esse non sit unde accipiatur aliud & aliud. Directè itaque neg. ant. vel claritatis gratia poterit distingui: Eandem habet contradictionem objectivè & metaphysicè, neg. ant. logicè & quantum ad affirmationem & negationem, sub dist. absolutè conc. subjective & quantum ad esse in re & participialiter, neg. Itaque non esse, ut idem est ac chimera opponitur essentiæ, & existentiæ etiam, utraque enim aliquid est, nihil autem totum negat; si autem nihil accipiatur strictiùs, hoc est, nihil de linea participiali, sic directè opponitur existentię, quæ est actualitas de illa linea, essētia verò licèt nihil sit de hac linea, est tamē aliquid & aliqua quidditas: nó ergo ex ipso nó esse potest accipiquidditas & distinctio, sed magis ex ipso esse & quidditate debet accipi nó esse, quod ipsa excludit.

14 Arg. 2. idem: Essentia actualis, ut est res ab existentia distincta, vel est quid pendens & productum à Deo; vel non: Si pendens & productum: ergo existens, quia existere nihil importat aliud, quàm productum esse, sic autem existeret sine existentia, cùm accipiatur contra ipsam existentiam: Si autem non est dependens & productum; ergo

alia

aliqua est entitas actualis, quæ à Deo non dependeat; hoc est apertè absurdum: ergo dici debet, quòd entitate sua est existens, producta, & dependens à Deo. Hoc idem argumentum de existentia fit, quod N. Manso dicit molestissimam instantiam: Existentia, ut contradistincta ab essentia, aut est, aut non est res & essentia aliqua: Si non est, habetur propositum, quod existentia nihil est ab essentia distinctum: Si autem est, hæc essentia se ipsa existit, quarè idem dici poterit de ipsa essentia; si enim alia existentia existeret, sequeretur processus in infinitum.

15 Resp. 1. instando: materia, ut est entitas à forma distincta, aut terminat, aut non terminat actionem generantis: Si terminat, generatur materia sine forma, accipitur enim contra formam: Si non terminat, sola forma erit totalis terminus generationis, quod nullus admittit. Directè dicitur, quòd essentia actualis, ut contradistincta ab existentia, est quid productum, à Deo dependens, & in re existens, duo enim sunt essentia & existentia, & utrumque est in re. Ad arg. in contrarium, quòd esset in re sine existentia, neg. assumptum, non enim in re esse accipitur sine existentia, hoc est ly *sine* non physicam separationem, sed præcisionem intellectus significat, quamvis autem intellectus præcindat existentiam, non præcindit, neque potest, quod ab ipsa existentia habeat essentia ita esse. Ad Conf. dicitur, quòd existentia est res aliqua, non absolutè sed de linea participiali; existit autem se ipsa eo sensu, quo albedo est alba, in qua manifestè instatur argumentum; non autem hoc sensu essentia potest se ipsa existere.

16 Arg. 3. idem: Si essentia distinguitur realiter ab existentia: ergo essentia non est formaliter & intrinsecè ens & existens, neque secundùm suum esse intrinsecum est formaliter extra causas, quarè totum, quod ex essentia & existentia componit nostra sent. non habet utramque partem extra causas, nequit enim essentia constitui intrinsecè & in entitate sua extra causas per aliquid à se distinctum, nempè quod ita habet non intrinsecè habet, & in entitate sua, sed extrinsecè: si ergo intrinsecè & in ipsa sua entitate debet constituit extra causas, hoc nequit fieri existentia distincta.

17 Resp. 1. instando de effectu cujuslibet formæ: non enim substantia poterit intrinsecè in ipsa sua entitate extendi, si quantitas est entitas realiter distincta, non enim intrinsecè in entitate sua habet, quod habet per aliquid à se distinctum. Directè dist. conseq. Non est formaliter & intrinsecè, hoc est ex

præ-

prædicatis suæ quidditatis, conc. conseq. hoc enim soli Deo competit : formaliter & intrinsecè, hoc est, in ipsa sua entitate ut est in re, neg. conseq. & ad rationem subinductam dicitur, quòd existentia unitur essentiæ sicut quælibet forma subjecto suo, & sicut ex illa unione subjectum participat formam, & fit in ipsa sua entitate tale, ita unione existentiæ ipsa essentia in se & intrinsecè fit existens, & in re producta.

18 Arg. 4. idem. Munera, quæ essentiæ tribuuntur respectu existentiæ de necessitate supponunt essentiam existentem : ergo nequit existentia distingui. Patet conseq. tunc enim essentia existeret ante existentiam. Prob. ant. Essentia enim existentiam recipit, & veram causalitatem exercet subjecti perfectibilis, & potentiæ subjectivæ ; sed exercitium potentiæ receptivæ non intelligitur nisi in re existente & extra causas, non enim potentia objectiva est, sed subjectiva : ergo. Patet min. neque enim potest intelligi in nihilo recipi id, quod recipitur, neque aliquid constitui, ut possit recipere, ab eo, quod recipit, cùm prius sit ipsum recipiens, & exercitium recipiendi.

19 Resp. neg. maj. Ad prob. abundè dictum est in Phys. disp. 1. à n. 116. ubi ostensum, est quòd prioritas materialis causæ non est prioritas existentiæ, neque requiritur, quòd materiale subjectum præexistat, sed sufficit, quòd coexistat; in proposito itaque essentia ad existentiam comparatur ut potentia subjectiva, non autem quę prius & de se talis esset, sed quæ talis constituitur existentiâ quam recipit, neque ex hoc constituitur absolutè aliquid, sed aliquid subjectivè & in re.

20 Arg. 4. idem : Distinctio realis ex natura sua petit extrema realiter existentia à parte rei : ergo essentia non distinguitur ab existentia distinctione reali. Patet conseq. alioqui essentia haberet existentiam seorsim ab ipsa existentia, esset enim seorsim ab illa ens realiter existens. Prob. ant. Distinctio realis importat realem relationem ; sed talis versatur inter extrema existentia : ergo. Adde, quòd prius est esse, quàm distinctum esse : ergo distinctio supponit existentiam.

21 Resp. 1. neg. ant. nulla enim rosa existente distinguitur quidditas ejus a quovis alio realiter. Ad prob. dist. maj. Importat realem relationem secundùm esse, neg. maj. Secundùm dici, cõc. maj. & hoc sensu neg. min. relatio enim secundum dici ipsa est quidditas, quæ se ipsa habet modum relativi. Resp. 2. neg. conseq. cum sua prob. non enim existentiam haberet contra existentiam, sed est existens,

tens, quod est effectus existentiæ. Ad id quod addit dicitur 1. quòd non esse participiale, & existendi, de quo argumentum procedit, sed esse nominale quidditatis est prius, quàm distingui. Dicitur 2. quòd non est prius metaphysicè, sed tantum logicè, & penès conceptus explicitos, quarè neg. conseq.

22 Arg. 6. idem: Quæ distinguuntur realiter simpliciter, ita possunt separari, quòd unum potest sine altero manere; sed impossibile est aut essentiam sine existentia, aut è contra conservari: ergo. Maj. eò patet, quòd signum realis distinctionis est separabilitas; quod autem ita distinguitur, quòd separari non potest, modus est, aut formalitas. Conf. per famosam Scoti maximam: omne absolutum prius altero potest Deus conservare sine posteriori; sed essentia est quid absolutum, & prius ipsa existentia, si ab ea distinguitur: ergo posset sine illa conservari; quodsi non potest, non alia esse potest ratio nisi identitatis utriusque.

23 Resp. neg. maj. neque ea sequitur ex prob. signum enim non infert de necessitate. Quamvis itaque quæ separantur, distinguantur, non autem è converso, ut distinguantur oportet separari, sed poterunt, quamvis sint distincta, dependentiam & connexionem habere ad se invicem, & unum sine altero esse non possit, & ita est in proposito: non ergo ex separabilitate, quæ est quædam passio posterior, sed ex ipsa utriusque extremi quidditate colligi debet distinctio.

Ad Conf. Illa Scoti maxima in proposito inflatur: licèt enim modaliter tantùm distinguatur existentia, ut ipsi ponunt Scotistæ, hoc sufficit, ut essentia sit prior, & absoluta quidditas. Directè conc. conseq. in qua nulla est implicatio, sicut enim sine albedine posset Deus conservare album, nempè conservando effectum albedinis in superficie, ita sine existentia posset conservare essentiam existentem, conservando nempè modum se habendi, quem sub existentia habet ab ipsa, quarè ex illa maxima potius arguitur oppositum.

24 Arg. 7. idem, quod dicit urgentissimum: Ideo dicitur essentia ab existentia differre, quia essentia potest existere, & non existere, quarè quando existit aliquid habet, quod non habebat prius; sed eadem indifferentia reperitur in ipsa existentia, ea enim nunc est in re, prius non erat: ergo oportet aliquid nunc habere, quod non habebat prius, seu aliam habere existentiam, & tunc itur in infinitum: standum ergo in primis, & dicendum, quòd sicut ipsa existentia se ipsa, & non aliquo superaddito transit de non esse ad esse, ita essentia.

25 Resp. 1. neg. min. li-

cèt enim existentia prius non esset, nunc autem sit, quarè indifferens erat poni, & non poni in re, non autem eodem modo ac essentia, nempè non indifferentia potentiæ, & subjecti, quod posset in re poni, sed indifferentia actus, quo aliud in re poneretur; licet autem potentia actu indigeat, non verò actus alio actu indiget: licèt ergo essentia existentiam exigat, non autem existentia aliam requirit. Resp. 2. conc. conseq. neg. verò subillatum ejus, nempè aliquid requirit aliud à se ipsa existentia, ut in re ponatur, non verò hoc aliud est alia existentia, sed essentia aliqua, cui ipsa communicetur; jam enim supra patuit, quòd non intelligitur actio nisi quatenus intelligitur conjungere actum potentiæ suæ: sicut ergo essentia existentiam, ita existentia essentiam coexigit. Alia à nonnullis adducuntur, in quibus tamen non video specialem difficultatem, quæ ex præmissis non possit solvi, quarè ea mitto.

ARTICULUS. II.

Quid sit existentia?

26 HÆC difficultas inter eos tantùm controvertitur, qui existentiam ab essentia distinguunt ullomodo realiter; ea quidem ex dictis præc. art. potest expediri, quarè non multum in ea immorabimur. Prima sent. docet, existentiam esse modum intrinsecum. Hanc tenent Scotistæ, & ita explicat Mast. disp. 2. à n. 151. & disp. 8. n. 83. Modus intrinsecus dicitur, qui rei additus non variat rationem ejus, neque constituit aliam quidditatem, quarè neque est rei quidditas, neque ad quidditatem pertinet; differentia namque eò formalitatem importat, & non modum, quia licèt nequeat separari ab eo, cujus differentia est, aut sine eo existere, quo cum modo convenit; at generi addita diversificat quidditatem, quare formalitatem importat, & generi additus modus autem, neque potest separari, quarè non est de se res aliqua, neque diversificat, quarè non est formalitas: hinc gradus intensionis modum important, albedo enim per hoc quod acquirat duos gradus non fit alia, quarè id quod additur sibi tantùm est gradus essendi, & modus intrinsecus: hinc item ens ad substantiam, & accidens determinatur per differentiam, quæ est formalitas, ad creatum verò, & increatum per modos intrinsecos; quia finitum, & infinitum non diversificant formaliter quidditatem; atverò in singulis entibus diversificatur formaliter ratio entis per id quod unumquodque addit: quandoquidem ergo per hoc quod existat non

diver-

diversificatur quidditas rei, existentia non potest esse formalitas; aliunde autem neque res aliqua est, cùm non possit separari: est ergo modus intrinsecus.

27. Sed hæc in primis modi intrinseci explicatio displicet: non enim eâ relinquitur quid differat modus intrinsecus ab extrinseco; pariter enim sessio v. g. neque separari potest, neque diversificat formaliter. Præterea: modus intrinsecus accidentaliter, & extra quidditatem diversificat, non secùs ac extrinsecus; æquè enim albedo accidentaliter variatur per hoc quod sit intensa, ac cera per hoc quod sigilletur. Rursus: ens creatum ab increato quidditativè differt non minus, imò magis, quàm unum ens creatum ab alio: si ergo id, quo tale ens creatum constituitur, non modus est, sed formalitas, id pariter, quo ens creatum constituitur, quidquid illud sit, vera differentia, & formalitas erit, & tunc in Deo est vera differentia, & compositio metaphysica. Ulterius: quòd id quod additur diversificet, aut non diversificet quidditatem, hoc tantùm arguit, quòd sit aut non sit de linea quidditativa: dicere ergo, quòd modus intrinsecus non diversificat formaliter, tantùm est dicere quod relinquitur extra quidditatem, quo nihil dicitur, neque enim determinatur quid est, neque omne quod extra quidditatem relinquitur; etiam si non possit separari, est modus intrinsecus.

Deinde, missa illa explicatione existentia nequit dici modus intrinsecus: 1. quia modus intrinsecus rei convenit ex se & ab intrinseco, in hoc enim à modo extrinseco differt, v. g. sessio, sigillatio & similles affectiones modi extrinseci dicuntur, non quia sint extrinseca denominatio, aut extrinsecè conveniant, patet enim, quòd intrinsecè in entitate sua sigillatur cera, & talem habet determinationem sedens: dicuntur ergo isti modi extrinseci, quia ab extrinseco proveniunt, & subinde rei conveniunt contingenter & non ex se; è contra autem differentia substantialis v. g. modum habet qualitatis, quia quodammodo qualificat genus & facit tale, quia tamen hoc sibi de se competit & ab intrinseco, iste modus est intrinsecus. Jam autem cuique patet, quòd existentia rei existenti competit ab extrinseco & omninò contingenter: non ergo modus intrinsecus dici potest. Præterea: licèt existentia non diversificetur quidditas, quę per definitionem significatur, quia existentia non pertinet ad esse nominale & quidditativum, diversificatur tamen physicè & realiter res ipsa, ita quòd transit de non esse ad esse ens in re; sed modo nequit adeò diversificari, modus

enim non constituit aliud, aut aliter ens, sed idem alio modo se habens: ergo.

28. Secunda sent. docet, existentiam esse gradum essendi, qui proinde ab essentia differt realiter gradualiter. Hæc est sent. D. Resol. quam sic explicat Elis. dis. 1. q. 5. art. 3. In 1. resol. docet, quòd essentia actualis à possibili gradualiter differt, quare addit essentia actualis supra se ipsam possibilem gradum entitatis; deinde in 2. resol. asserit, quòd existentia eodem modo gradualiter differt ab essentia actuali & possibili; quarè addit etiam existentia gradum supra essentiam actualem; ait autem n. 199. quòd existentia possibilis ipsa est essentia possibilis, quæ addito gradu essendi formaliter tantùm distincto fit actualis & existens.

27. Hæc quidem mihi prorsus est imperceptibilis: 1. quid enim aliud est essentia actualis constradistincta à possibili, nisi essentia existens? Fit enim actualis, & extrahitur à statu possibilitatis eo formaliter, quo ponitur in actu, sive in re: quorsum ergo existentia gradum addit supra ipsam essentiam actualem, potius enim deberet esse gradus, quo formaliter actualis constituitur. Deinde: si existentia gradus est alius ab ipsa essentia actuali, & ei superadditur formaliter, in ipso statu possibilitatis gradus esse debet alius formaliter, & possibilis superaddi, quidquid enim est in re eo sensu & modo, quo est in re fuit possibile: si ergo in re duo accipiuntur ex natura rei essentia, & gradus illi superadditus, quo fit existens, ista duo eodem modo debent accipi possibilia poni in re; tunc autem gradus ille possibilis, qui est existentia, alio gradu superaddito fieret existens.

Quidquid de hoc sit, existentia nequit dici gradus entitatis: 1. quia gradus ejusdem est ordinis & lineæ, sicut potest patere in gradibus intensionis; at verò existentia alterius est lineæ ab essentia, nempè essentia est de linea nominali essendi hoc aliquid, quod per definitionem significatur, existentia verò non pertinet ad esse hoc aliquid, neque per definitionem significatur, sed est de linea participiali: ergo. Præterea: Si existentia gradus est, erit gradus ultimus, & consequenter, quo ultimo determinatur essentia uniuscujusque, quare magis differret unum ab alio existentia, quam differentia quidditativa; patet enim, quòd quo magis gradus additur essentiæ, magis ipsa determinatur & ab omni alio differt; additur autem gradus existentiæ supra ipsam differentiam quidditativam: nec refert dicere, quòd alterius est lineæ, eo enim non poterit esse gradus. Tunc autem cuique patet, quòd maximè res

omnes

omnes conveniunt in existentia, & eodem omninò modo esse habent in re non solùm individua ejusdem speciei, sed diversa etiã genere. Præterea: existens à non existente realiter simpliciter differt tanquam ens à non ente in actu: ergo id, quod addit existens non gradus est, sed realitas aliqua.

30 Tertia sent. docet, existentiam esse modum extrinsecum, & subinde ab essentia realiter modaliter differre. Hanc tenet N. Cœlestin. Quodl. 2. disp. 2. cap. 1. pro eadem multi alij citantur, ex Thomistis Michael, Parra, Soto, Moneda, Aguirre; ex nostris Veracruz; Fran. à Xpo & alij: pro eadem ab aliquibus adducitur Suar. malè tamen; postquam enim sec. 6. n. 1. excludit distinctionem realem simpliciter inter essentiam & existentiam, n. 9. excludendam assumit distinctionem modalem: solet etiam citari Albertin. sed etiam immeritò; quamvis enim tom. 2. disp. 2. de prædicam. subst. q. 1. fateatur in 3. conclusione existentiam esse modum, directè autem intendit contra Fonsec. quòd non distinguitur modaliter, quarè videtur tenere 1. Scoti sent.

31 Sed quòd existentia non est modus 1. colligitur ex eo, quòd amplius differt existens à non existente, quàm res modificata à se ipsa secundùm se; non enim sicut sedens à stante differt quadam accidentali determinatione, ita existens à non existente, sed tanquam ens simpliciter & in actu à non ente; quo autem ens in actu & simpliciter constituitur, non potest non esse realitas aliqua. Præterea: modus est determinatio proveniens à forma: nisi ergo forma accipiatur aliqua, à qua talis determinatio proveniat, non poterit accipi modus, quarè existere modus est se habendi & determinatio essentiæ, quæ in re ponitur, qui tamen ab ipsa causatur existentia, quæ est actualitas per quam in re ponitur.

32 Dicendum ergò, quòd existentia est forma & realitas quædam essentiæ superaddita, quæ proindè ab ea differt realiter simpliciter, sive entitativè. Hæc est communis Thomistarum sent. quam apertè intendit B. D. & quam manifestè probant rationes ejus, ut intuenti patet, quare ulteriori probatione non indiget. Si enim essentia non potest intelligi actionem terminare, nisi quatenus actui conjungatur, ut art. præc. ostendimus, patet, quod existentia talis est actus cum ipsa essentia faciens compositionem, & quem ea acquirit quandò producitur, & amittit quandò corrumpitur. Amplius autem patebit solutione eorum, quæ in contrarium objiciuntur.

33 Ferè unicum est motivum in contrarium, nempe. Res

&

& entitas id dicitur, quod ab alio potest saltim Divinitus separari; tum quia ens dicitur, sive res ab eo quod habet esse ratum & firmum; tum quia quod talem de se habet quidditatem, quæ ita alteri innititur, ut non sine illo esse possit etiam de posse Dei absoluto, satis hoc indicat, quòd de se non est res quædam, sed illius, cui innititur, affectio, determinatio, sive gradus; jam autem apud omnes est certum, quòd existentia ponita esse potest de se & sine essentia: ergo non realitas, sed affectio est ipsius entitæ.

34 Resp. neg. maj. separabilitas enim passio est quædam posterior distinctione, & sine qua potest ipsa stare. Itaque res dicitur ab eo quod est habere esse ratum & firmum, sed non eo præcisè quòd possit in se consistere, colligitur tale esse habere; quamvis enim ab altero omninò dependeat, & illi ita connectatur quod sine eo esse non possit, si tamen de se talem habet quidditatem, quòd videmus illud alterum, cui innititur, entitativè diversificare, hoc sufficit ut res dicatur, & esse ratum & firmum habere, quia illud alteri tribuit; hoc sensu etiam secluſa per intellectum separabilitate, de qua disputatur, certum habetur apud omnes, quòd forma entitativè differt à subjecto suo, & è contra: si ergo existentia de se tale esse tribuit, quod essentiam constituit ens simpliciter & in actu, quod prius non habebat, hoc sufficit, ut res dicatur, & habere de se esse ratum & firmum.

35 Arg. 2. ex communi principio, quo dicitur equus Ocham: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas ponendi hoc ens aliud ab essentia: ergo. Ostenditur min. per hoc enim quod ipsa essentia aliter se habeat, & modum habeat, sive gradum essendi, quem non habebat prius, sufficienter salvatur quidquid illa entitate nos ponimus. Resp. neg. min. Ad prob. dicitur, quòd si posset salvari, essentiam se habere aliter quam prius subjectivè in se ipsa sine ulla realitate addita, fortè sine tali realitate posset intelligi existere; non autem aliter se habere possumus accipere, nisi aliquid suscipiat, quo determinetur, & aliter se habeat. Rursus: tale aliter se habere, quo entitativè differat à se ipsa ut intelligebatur esse prius non potest sine nova realitate habere; at per existentiam ita differt, est enim nunc ens in actu & simpliciter, quod non erat prius: aliquam ergo realitatem accepit. Præterea: si non entitativè diversificatur per existentiam, quando destruitur & amittit esse, non diceretur simpliciter non esse, sed tantùm aliter se habere. Ad alia, si quæ sint, ex his poterit patere.

AR-

ARTICULUS III.

An existentia habeat effectum formalem essentiæ communicatum?

36 DE hoc nemo quærit, supponitur enim extra nostram scholam, quòd effectus formæ est ipsa forma subjecto communicata; inter nostros autem nonnulli dubitant, quarè id oportet breviter expendere. Dicendum itaque, quòd existentia essentiæ communicat effectum formalem, qui est modus se habendi, quo ipsa essentia constituitur in actu & extra causas. Hęc ijdem rationibus ostenditur, quibus in Phys. probatum est de forma: Ipsa enim entitas essentiæ, cùm ponitur sub existentia, aliter se habet in se ipsa ac prius, alioqui relinqueretur possibilis, sicut prius erat; hoc autem aliter se habere non ipsam significat existentiam, cui conjungitur, sed ex conjunctione determinatio est in ipsa entitate essentię: hæc ergo determinatio est modus, quem habet ipsa essentia, & effectus existentię.

37 Prob. deinde apertissimè ex B. D. in 3. dist. 6. p. 1. q. 1. art. 1. quo agit de supposito, & docet expressè quòd suppositum addit supra naturam modum se habendi, qui est effectus subsistentiæ, ut latiùs expendemus q. seq. & idem habet N. Argent. ibidem; sed sicut se habet subsistentia ad constituendum suppositum, seu quod idem est, subsistens, ita se habet existentia ad constituendum existens, imò subsistentia ipsa est existentia; quod enim comparativè ad rationem entis dicitur existentia, comparativè ad substantiam dicitur subsistentia, & ad talem substantiam, nempè rationalem dicitur personalitas, ut ibi etiam dicetur: ergo. Jam autem in Phys. latè explicuimus, & etiam disp. præc. quòd iste modus se habendi non debet accipi quid medium inter essentiam & existentiam, modus enim non facit extremum contra rem modificatam, sed est ipsa sic se habens & determinata.

38 Arg. autem in contrarium: 1. Existentia ex propria quidditate sua est terminus entis; sed terminus non habet perficere, seu perfectum esse communicare, sed tantùm terminare: ergo. Maj. eò patet, quia tota linea participialis, nempè existentia, subsistentia, seu suppositalitas, & personalitas, naturam supponit & quidditatem plenè constitutam, & perfectam: non ergo ut perfectibilem respicit, & consequenter non est actus perficiens, sed potè terminans. Min. item patet, tum ex hoc ipso, si enim perficit, & effectum communicat aliquem, verè est forma per-

perfectiva, quarè ineptè & abusivè dicetur terminus; tum deinde inductione in omnibus, quæ dicuntur habere rationem termini; eò enim punctum v. g. dicitur terminus lineæ, quia hoc tantùm modo ad ipsam pertinet, & aliquid ejus est, quatenus nempè terminat & quodammodo complet, non autem ullomodo perficit, aut aliquid communicat, idem de termino relationis, & de quovis alio poterit patere: si ergo existentia terminus est, non potest effectum habere, & verè perficere.

39 Resp. dist. maj. Terminus est simpliciter & omninò, neg. maj. Secundùm quid, & quadam analogia conc. maj. & min. eodem sensu; terminus enim, qui simpliciter & omninò terminus est, nihil habet nisi terminare, quarè omninò non perficit, seu aliquid communicat, & ita se habent quæ in argumento assignantur; atverò existentia non simpliciter, sed quodammodo tantùm habet rationem termini, nempè quatenus est extra lineam nominalem, & essendi hoc aliquid, hujus lineæ terminus est, & hoc sensu omninò non perficit, seu aliquid communicat, plenè enim perfectionem nominalem supponit etiam accidentalem; cum hoc tamen stat, quòd absolutè & omninò non sit terminus, verè enim immutat essentiam, cui conjungitur, & constituit in se ipsa aliter se habentem in alia linea, quarè licèt non perficiat in linea essentiæ & nominali, in qua est terminus, perficit in alia, nempe participiali, undè absolutè, & omninò non est terminus.

40 Arg. 2. Deo, & cuilibet prædicato Divino repugnat creaturis uniri per modum formæ perficientis; sed non repugnat uniri per modum subsistentiæ, & existentiæ: ergo existentia, & subsistentia non sunt actus perficiens, sed putè terminans. Maj. eò nota supponitur, quia genus causæ formalis intrinsecæ, seu perfectivę imperfectionem involvit limitationis, & potentialitatis. Min. item nota supponitur ex his, quę fides docet, subsistit enim humanitas Xpi D. subsistentia Verbi, quarè sibi unitur Divina subsistentia, eo autem sic uniri communiter salvatur, quia unitur per modum termini, & hoc idem de existentia docet B. D. in 3. dist. 6. p. 3. q. vn. art. 2.

41 Ante solutionem, vbiter licet, de hoc ultimo notes velim, quod N. Mans. in hac. q. §. 1. n. 10. ait, quòd sent. est B. D. illo eodem art. in arg. citato, quòd humanitas Xpi D. propriam habet existentiam, & verba ejus adducit: *Quia alias non esset perfectus homo, si defecisset ei aliquid, quod esset de perfectione naturę humanæ.* Sed in primis verba hęc toto illo art. nō

rene-

reperiō ; neque quoad memini alicubi voce *alias* utitur, sed semper ponit *aliquī*, quare ab aliquo deceptus est N. Mansō, ex quo verba accepit. Deinde : illo art. quærit B. D. an in Xpo sit tantùm unum esse ? Distinguit autem de ipso esse, & ait, quòd esse essentiæ multiplex est in Xpo D. sicut est multiplex natura, esse autem existentiæ non est nisi unum, verba ejus sunt : *Si quæras de esse essentiæ, quod est idem quod essentia, possumus ibi concedere duo esse, sicut ibi concedimus duas essentias, vel naturas: Sed si quæras de esse actuali, quod est differens à natura, non est ibi duplex tale esse*, idem habet Quodl. 2. q. 2. & Quodl. 5. q. 3. quibus de hoc eodem agit, quare de mente ejus quantùm ad hoc dubitari non potest, quod, ne aliquis decipiatur, notatum volui. Quod autem in illis verbis objicitur, existentia, sicut omninò non significatur per definitionem, ita non est de perfectione naturæ.

42 Ad arg. itaque resp. 1. neg. maj. Jam enim in Phys. ostendimus, quòd metaphysicè loquendo illa causalitas nullam involvit imperfectionem, perficere enim ex terminis non est imperfectio, quare tota imperfectio illius causalitatis est ex conceptu perfectionis creatæ, quæ non potest intimari, & veluti intrinsecari alteri, quin fiat pars ejus, & unum constituat, quia creaturæ repugnat illapsus ; ac Deus cuique creaturæ intimè præsens est, & ut ait 3. p. intimior est nobis ipso intimo nostro : nihil ergo prohibet, quòd ex illa intima præsentia Dei consequatur creatura perfectum esse & determinationem, quam à forma qualibet consequeretur. In proposito quidem de subsistentia Divina humanitati communicata, nisi velint terminis ludere, id omnes faceri tenentur, & maximè in communi philosophandi via, qua effectus formæ nihil ponitur nisi ipsam formam subjecto communicari ; quod enim subsistentia Divina verè humanitati communicatur, & quod ea humanitas constituitur subsistens eodem omninò modo quo corpus per animam constituitur vivens, ferè est per se notum, quare ad formalem causalitatem nihil deficit, & quandoquidem illa subsistentia constituit humanitatem ita perfectam, nempè subsistentem, verè perficit, & omninò voluntariè dicetur actus purè terminans ; terminat quidem, quatenus de linea nominali nihil tribuit, sed non purè terminat, sed verè perficit in linea participiali.

43 Quia tamen singularis est illa nostra sent. ne ad illam videamur cogi, resp. 2. dist. maj. Per modum formæ perficientis in linea nominali, conc. maj. In

linea participiali, neg. maj. Itaque, quia linea nominalis determinatam quidditatem importat hujus & illius creaturæ, posset dici, quòd in hac linea Deo repugnat immediatè per se ipsum perficere; atverò esse in re, & tali modo esse, nempe subsistere nullam determinationem importat, quarè hoc potest Deus per se ipsum immediatè tribuere, & hoc sensu, sive in hac linea perficere. Hanc solutionem nostri tenentur admittere; expressè enim ponit B. D. quòd humanitas Xpi D ℥ subsistentia Verbi sibi unita habet modum per se essendi; imò omnes Catholici, proculdubiò enim humanitas in ipsa sua entitate aliter se habet quàm prius, hoc autem est perfici, & si à Verbo dimitteretur, indigeret subsistentia, à qua haberet esse. Alia argumenta mitto, quia directè procedunt contra effectum formę, quarè ex dictis in Phys. poterunt solvi.

QUÆSTIO II.
DE SUBSISTENTIA, SUPPOSITALITATE, ET PERSONALITATE.

ARTICULUS I.

Explicantur ea, de quibus quæritur.

44 Difficilis quidem hęc controversia est de subsistentia & suppositi, quam tamen reddit difficiliorem sententiarum varietas, ferè enim unusquisque suo modo explicat: quamquam ergò communiores referemus dicendi modos: libet tamen aliorum sententias prætermittere, & mentem explicare B. D. & primò doctrinaliter expendemus quid est subsistentia, suppositalitas, & personalitas, deinde in sequentibus dicta probabimus. Agit itaque B. D. de materia

ria hujus controversiæ in 1. dist. 2. q. 2. art. 1. & dist. 23. q. un. per totam, & dist. 26. q. 1. art. 1. & in 3. dist. 6. q. 1. art. 1. in Quodl. 2. q. 2. & Quodl. 5. q. 3. ex quibus mentem ejus deducemus.

45 Itaque Quodl. 2. q. 2. ita habet: *Dicemus quidem, quòd idem est esse existentiæ, & subsistentiæ, sed per aliam & aliam habitudinem differt, vel propter aliam & aliam comparationem aliam & aliam denominationem recipit, quia ut tale esse comparatur ad substantiam, est existentiæ & subsistentiæ, prout verò comparatur ad accidens, est existentiæ, sed non subsistentiæ*, & paucis interpositis: *ideò dicere possumus, quòd suppositum dicit ipsam essentiam ut est perfecta per esse.* Rursus: in 1. dist. 23. q. 1. art. 2. 3. & 4. sæpe habet, quòd persona significat individuum subsistens naturæ rationalis, seu substantiam cum proprietate ad dignitatem pertinente. Ex quibus colligitur, quòd subsistentia, suppositalitas, & personalitas eandem actualitatem significant aliter & aliter comparatam, nempè ipsum esse, sive existentia, ut comparatur ad naturam in eo quod est ens, sive ut tantùm constituit existens, & extra causas, est existentia; ut verò constituit ita existens, nempè in se & per se, quod soli substantiæ competit, est subsistentia; ut autem magis specialiter in se esse tribuit, puta completè & ultimò terminatè, quod soli competit substantiæ completæ, est suppositalitas; ut autem tali substantiæ communicatur, nempè rationali, est personalitas.

46 Imaginabimur itaque, quòd accidens tale est ens, quod de se exigit alteri inniti, quod perficiat, & à quo subsistentetur, & esse habeat; substantialis forma, aliud quidem exigit, non verò in quo sit, aut à quo esse habeat, sed magis cui ipsa esse tribuat, & cum quo completam substantiam constituat, & ens natum in se esse: sic ergo utrique communicatur esse, quod utraque erit existens, non verò subsistens, sed accidens erit inhærens, substantialis verò forma tantùm existens ut *quo*, & ut pars ejus quod subsistit, non verò ipsa dicetur subsistere, quia non habet in se esse; posset quidem de posse absoluto utraque forma sine subjecto suo conservari, tunc autem neutra esset subsistens positivè & formaliter, sed tantùm negativè, & secundùm quid, quia neutra nata est sic esse, quare neutri convenit sic esse per modum positivum perfectionis, sed tantùm existere, quod negativè & impropriè diceretur subsistere, & tunc quidem quantùm ad esse, quod in actu haberent, non differrent, salvaretur autem utrinsque differentia, quia altera nata

est inhærere, & hoc exigit, altera verò nata est totum constituere subsistens, & compartem exigit, cum qua tale esse habeat.

47 Imaginabimur deinde, quòd anima nostra est forma corporis nata quidem cum corpore constituere totum subsistens, & hoc exigens; quia tamen ipsa est forma spiritualis, nata est etiam se sola & sine corpore existere: hæc ergo sic existens habet subsistere, & esse quod sibi de se competit est subsistentia, quia habet in se & per se esse, & hoc sibi connaturaliter convenit; quia tamen ipsa nata est corpus perficere, & cum eo constituere totum, illud ejus esse non est ultimò terminatum & completum, quarè sic est subsistens, quod non est suppositum, neque illud ejus esse dicitur suppositalitas, sed tantùm subsistentia, quarè ea sola existens dicitur semisuppositum, aliquid nempè suppositi habens, scilicet, in se esse connaturaliter, non tamen absolutè suppositum, quia illud ejus esse est natum in altero compleri.

48 Ulterius: quævis alia natura completa sic est existens, quod in se existens, quarè subsistens, & completè existens, quarè etiam suppositum. Hinc B. D. loco sup. cit. in 3. sententiar. & sæpe alibi docet, quòd essentia Divina pro priori ad relationes intelligitur subsistere; quia esse est de quidditativo conceptu Dei, & ita esse, nempè in se, per se, & à se; quia tamen illud esse non intelligitur ultimò terminatum, eò quòd distinctio est ibi per relationes, ideò pro illo priori sic intelligitur subsistentia, quod non suppositalitas. Hinc item de conceptu suppositi est, & ad suppositalitatem consequitur ut quædam ejus passio omnimoda incommunicabilitas; eò enim quòd esse intelligitur ultimò & omninò terminatum, nequit intelligi ulterius terminabile, sive communicabile alteri. Hinc ulterius supposito convenit cæteris subsistare sive proprietatibus, sive accidentibus; eò enim quòd ultimò terminatum est, sicut nulli habet inniti, ita cætera ipsi innituntur; non autem hoc ita suppositi proprium est, quia etiam conveniat subsistenti, eò enim convenit quod in se est, & alteri non innititur, quarè anima nostra in statu separationis proprijs subsistat potentijs.

49 Tandem consideratur suppositum sive subsistens ultimò completum in natura rationali, & sic dicitur persona, quia in sola natura rationali persona accipitur, quarè personalitas ipsa est suppositalitas cum sola determinatione naturæ, in qua accipitur, quarè ait B. D. quòd addit supra esse propietatem, quæ ad dignitatem pertinet, nempè quòd sit suppositum in hac digniori, & superiori natura, scilicet, rationali

nali: sicut ergo anima nostra sic est subsistens, quòd non potest dici suppositum, ita sic est subsistens, quòd non potest dici persona, quamvis nempè habeat esse subsistens in natura rationali, non tamen ultimò terminatum; è contra verò Angelus, quamvis sit forma simplex, est suppositum & persona, quia non est forma nata recipi, quarè esse habet ultimò completum.

50 Duplex definitio personæ communiter circumfertur, altera Boetij, qua dicitur, quod est: *Rationalis naturæ individua substantia*; altera est Richard. lib. 4. de Trinit. cap. 22. qua dicitur, quod est: *Rationalis naturæ incommunicabilis subsistentia*. Mast. ait, quòd prior definitio Boetij debet per alteram explicari; tum quia alioqui solùm in natura humana posset accipi persona, cùm rationalitas sit differentia hominis: tum deinde, quia natura humana in Xpo D. est individuum naturæ rationalis, quarè esset Persona alia à Persona Verbi in Xpo D. Sed fortè altera definitio arrisit, quia incommunicabilitatem assumit, qua ipse intendit suppositum constitui formaliter, de cætero enim, si in rigore scholæ accipiatur, minus secunda substineri posset, quàm prima; non enim persona subsistentiam significat, sed naturam, quæ subsistit; deinde positivè significatur persona, quarè non incommunicabilitate debuit definiri, quæ est negatio, & qua magis quid non est, quàm quid est, significatur: benè itaque alibi ait B. D. quòd verba Sanctorum pium exposcunt lectorem, nempè non semper in rigore scholæ debent accipi.

51 Itaque, quod ad 1. attinet ejus argumentum rationale quidem, ut communiter nunc accipitur, determinatam intellectualitatem significat, de se autem tantùm significat intelligere, & hoc sensu antiqui accipiunt, quarè ait S. P. quòd differentia hominis est rationale mortale, de quo latè egimus in Log. hoc sensu in illa definitione accipitur, nempè ut idem est ac intellectuale; sed non proinde illa definitio exacta debet judicari in rigore scholastico, præterquam quod enim natura humana in Xpo D. non est persona, quamvis sit individua, anima nostra non potest separata à corpore persona dici, quamvis sit individuum: debemus ergo sensum tenere, quem verba intendunt, & verba ipsa in bonum sensum accipere.

Utraque ergo definitio eundem intendit sensum, quòd nempè persona est substantia completa & ultimò terminata in natura rationali, & quia hoc habet individuum, ut connaturaliter existit, per hoc quod sit individuum explicait Boetius, non autem debet accipi formaliter, &

metaphysicè, sed realiter, & ut est individuum quod videmus; quia item hoc tale esse habet, quod est incommunicabile, per incommunicabilitatem explicuit Richardus, qui tamen esse intendit ultimò terminatum & completum; quandoquidem enim idem hoc significat quod illa incommunicabilitas, incongruè per negativam expresionem definiretur perfectio positiva, si standum esset rigori scholæ, sed quia non de hoc rigore curat Richardus, tantùm attendit ad rem significatam, non verò ad vocem, sive modum, quo significatur.

ARTICULUS II.

An subsistentia differat realiter à natura?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

52 AD propositum hujus difficultatis nihil refert diversitas subsistentiæ à suppositalitate, quarè pro eodem in consequentibus accipitur, & quod de subsistentia dicitur, de suppositalitate accipi debet. Prima sent. docet, subsistentiam à natura sola ratione distingui; hujus autem sent. triplex est dicendi modus. Primus, pro quo citatur Durand. in 1. dist. 34. q. 1. & in 3. dist. 1. q. 2. docet, quòd suppositum & natura unum & idem est diversimodè à nobis conceptum, nempè suppositum concipitur à nobis & significatur nomine & modo concreti, ut homo habens humanitatem; natura verò illud idem est conceptum & significatum modo abstracti, ut humanitas. Notat autem Durandus, in concreto, quod significatur ut habens formam, aliquando distingui habens à forma habita, & tunc non valet prædicatio in abstracto, ut album non est albedo, aut è converso; aliquando verò habens non distinguitur à forma habita, & tunc valet prædicatio in abstracto, ut homo est humanitas, quarè in Xpo D. non valet prædicatio, quia habens humanitatem est suppositum Verbi.

Secundus modus parum ab isto differt, pro quo citatur Henric. Quodl. 3. q. 6. qui licèt non utatur illa explicatione concreti & abstracti, docet, suppositum à natura ratione ratiocinata distingui. Tertius modus, pro quo citatur Ocham in 3. q. 1. & in 1. dist. 25. q. 1. & communiter Nominales, docet, suppositum à natura distingui penès diversum connotatum extrinsecum, nempè subsistentia est in re ipsa natura, quæ dicitur suppositum ut connotat negationem dependentiæ, natura verò ut connotat dependentiam; & explicant à simili: nam simi-

similitudo v. g. ipsa est albedo, quę in se & ut nihil connotat, dicitur albedo, ut autem connotat aliam albedinem, dicitur similitudo, utroque autem modo est eadem realitas albedinis.

53 Meritó hæc sent. quolibet ex illis modis rejicitur communiter: nullo enim cogitante intellectu, aliud est suppositum aliud natura in creatis; nec intelligitur, quòd idem sit habens & habitum, concretum & abstractum, alioqui haberet se: si ergo suppositum est re ipsa concretum, cujus abstractum est natura, aliquid re ipsa addit suppositum supra naturam. Deinde: Si suppositum in re nihil addit supra naturam, natura ipsa est suppositum, licèt non ut suppositum concipiatur à nobis; quod autem sic vel sic à nobis concipiatur non tollit, quòd ipsa in re sit ipsum suppositum: tunc autem, Verbum assumpsit ipsam naturam humanam: assumpsit ergo id, quod est suppositum, quamvis nos non concipiamus ut suppositum, & tunc nos quidem concipimus unum suppositum in Xpo D. re autem duplex est. Adde, quòd suppositum non homo est, sed Sortes, aut hic homo; at natura se ipsa & tantùm ex diverso modo concipiendi non habet quo sit hic homo, alioqui sola ratione nostra differrent individua inter se: ergo.

Deinde: neque explicatur, neque intelligi potest quid est illud alterum quod connotat suppositum, non verò natura, aut à quo natura dependet, non suppositum, si enim intelligatur nomine dependentiæ aut independentiæ ipsa incommunicabilitas, quam ponunt Scotistæ, præterquam quod de hoc dicetur art. seq. natura de se hanc dependentiam, aut independentiam, communicabilitatem, aut incommunicabilitatem non habet, alioqui ipsa sua quidditate esset suppositum: aliquid ergo debet intelligi sibi superadditum, quo fiat sic independens & incommunicabilis, & hoc est suppositalitas. Præterea: connotatio relatio est saltim secundum dici, significatur enim ad alterum; at tam natura, quàm suppositum & ipsa suppositalitas significantur in se & absolutè: quidquid ergo sit de exemplo adducto, natura & suppositum non possunt ex sola connotatione distingui. Communis ergo cœterorum sent. est differre realiter subsistentiam à natura.

54 Dicendum ergo, quòd subsistentia à natura distinguitur realiter. Prob. 1. ratione B. D. Subsistentia, ut significatum vocis præsefert, importat specialem modum essendi in re, subsistere enim est hoc tali modo existere; sed nulla natura creata per se ipsam intransitivè habet existere, & multo minus sic existere: ergo subsistentia aliquid est differens

ab

ab ipsa natura. Hæc ratio eò nititur, quod q. præc. probatum est. Conf. Conceptus intellectus nostri non diversificat rem in se & realiter, hoc est, quòd à nobis sic vel sic concipiatur, non facit ipsam aliter in re se habere; sed subsistere & non subsistere est aliter se habere re ipsa: ergo subsistere supra ipsam naturam, quæ per definitionem significatur, non importat tantùm conceptum intellectus nostri.

55 Prob. 2. ex his, quæ de Mysterio Incarnationis fide tenemus: Natura humana in Xpo D. est sine propria subsistentia; sed si sola ratione differt subsistentia à natura, non potuit natura assumi sine subsistentia: ergo non sola ratione, sed re ipsa differt. Patet min. si enim sola ratione differt, secluso actu rationis omninò non differt, sed est ipsa natura; sed assumpta est re ipsa & secluso actu rationis: ergo debuisset assumi ipsa subsistentia, & hoc tantùm habet in Xpo D. quod à nobis non concipitur ut subsistentia, est tamen verè & re ipsa ibi propria subsistentia: siquidem ergo hæc sequela est haretica, dici debet, quòd subsistentia est re ipsa aliud a natura, quod natura assumpta non assumitur.

56 Ad hanc rationem, quæ potissima est in præsenti, resp. Durand. in 1. dist. 34. q. 1. ad 2. quod natura assumpta à Verbo non est suppositum; quia non est concretum habens, sed alteri innititur, & est habita. Sed hæc solutio neque subsistit in ejus principijs, neque solvit argumentum; non subsistit: quia per ipsum in concreto in quo non distinguitur habens à forma habita, valet prædicatio in abstracto, & tale concretum dicit esse suppositum: si ergo in abstracto prędicatur forma habita, ipsa natura est concretum re ipsa; at assumitur natura: ergo assumitur concretum. Deinde non solvit argumentum: quia natura assumpta à Verbo non est concretum habens; sed concretum habens per ipsum est suppositum: ergo natura assumpta non est re ipsa suppositum, & sic realiter differt, & aliud est suppositum á natura.

§. II.

Solvuntur argumenta.

57 ARG. 1. Si subsistentia distingueretur realiter à natura, non posset esse ratio subsistendi ipsi naturæ; sed hoc est inconveniens: ergo. Prob. maj. Debet ipsa subsistentia subsistere, ut sit naturæ ratio subsistendi; sed non posset ipsa subsistere, si distingueretur à natura: ergo. Patet maj. si enim subsistentia est ratio subsistendi, est veluti subsentaculum, cui

cui natura innititur; nequit autem alteri esse subsistentaculum, nisi quod in se ipso subsistit, non enim posset fundamentum v. g. parieti substerni ut subsistentaculum ejus, nisi ipsum fundamentum alteri innixum subsistentaretur, & baculus eàtenus corpori subsistentaculum est, quatenus solido corpori innititur, & firmitatem habet, si enim fluido & labili innitatur ipse baculus, non potest corpus subsistentare: ut ergo sit subsistentia ipsi naturæ subsistentaculum & ratio subsistendi, debet ipsa subsistere; si autem à natura distinguitur, qua ratione natura indiget aliquo distincto, quod sibi sit ratio subsistendi, eadem indiget ipsa subsistentia: aut ergo itur in infinitum, aut natura se ipsa & non subsistentia distincta subsistit, qua enim ratione subsistentia dicatur se ipsa subsistere, eàdem poterit dici natura.

58 Resp. 1. quòd argumentum in qualibet forma instatur, & convincit, si quid probat, quòd nulla forma distinguitur à subjecto suo: si enim albedo v. g. est ratio dealbandi superficiem, debet ipsa albedo alba esse: aut ergo alia albedine, & itur in infinitum, aut qua ratione dicatur albedo se ipsa & sine forma distincta alba esse, eàdem dici poterit superficies: quâdoquidem ergo ipse arguens admittit formas distinctas, ipse tenetur argumentum solvere. Resp. 2. directè neg. maj. Ad prob. neg. maj. sicut enim albedo non est alba, sed ratio essendi album, ita subsistentia non subsistit, sed est veluti forma & ratio subsistendi. Ad rationem in contrarium dicitur, quòd non est subsistentaculum, ad modum quo baculus corpori, aut fundamentum parieti, imò magis ipsa subsistentia naturæ innititur, comparatur enim veluti forma ad subjectum suum, & non natura in subsistentia, sed magis subsistentia in natura recipitur: non ergo subsistentaculum est per modum instrumenti, sed actus & forma constituens in se ita existens, quarè non debet ipsa in se ita existere ut constituat, imò non posset constituere, si ita existeret, non posset enim ut forma, & actus ejus uniri.

59 Arg. 2. Si subsistentia distingueretur realiter à natura, substantia non posset dici per se subsistere, sed potius in alio esse; sed hoc est inconveniens: ergo. Patet min. dicitur enim substantia ab eo quod est subsistere, & per se esse. Patet item maj. quia tunc in supposito esset, quod aliud esset à natura, quarè non in se sed in alio esset; & patet in Xpo D. cujus humanitas quia est & subsistit subsistentia distincta, scilicet, subsistentia Verbi, ea non dicitur in se esse, sed in supposito Verbi, à quo subsistentatur.

60 Resp. neg. maj. Ad prob. ejus dicitur, quòd natura est in suppositо eo sensu, quo pars in toto esse dicitur, & suppositum à natura distinguitur inadæquatè, addit nempè aliquid supra ipsam naturam, quam includit, quarè natura non est in suppositо tanquam in alio. Ad aliam rationem subinductam dicitur 1. quòd Verbum assumens humanitatem est suppositū in se subsistens, quarè quantùm ad hoc aliter se habet ac propria subsistentia, & eò illa natura dicitur habere quendam modum accidentis, quia quodammodo est in alio, & assumitur ad alienum suppositum, quod non habet natura propria subsistentia terminata. Dicitur 2. quòd ex hoc non tollitur, quin illa natura in se sit, verè enim subsistit, quamvis non propria subsistentia: si ergo illa natura, non obstāte quòd assumitur ad alienū suppositū, subsistit & in se est, multò magis dum propria subsistentia, quāvis realiter distincta, terminatur.

61 Arg. 3. Nihil est magis idem alicui, quàm quod est essentia ejus; sed natura est de essentia suppositi: ergo non distinguitur realiter à suppositо. Eodem argumento probatur, quòd forma à materia, aut compositо non distinguitur, est enim forma proculdubiò de essentia compositi. Resp. neg. conseq. aliud enim est, quòd natura sit de essentia suppositi, quod assumit min. ac quòd sit ipsa essentia suppositi, quod intendit conseq. Itaque natura est de essentia suppositi, sed addit suppositum ipsam subsistentiam, sive suppositalitatem supra naturam.

62 Arg. 4. Magis sunt idem Petrus & hæc humanitas, quàm albedo & similitudo; sed albedo & similitudo non differunt realiter: ergo multò minus Petrus & hæc humanitas, quæ sunt natura & suppositum. Min. nos ipsi possuimus in Log. maj. autem ostenditur: quia hæc humanitas est de quidditate Petri; similitudo autem non est de quidditate albedinis. Hoc est Ochami fundamentum, manifestè autem appellationem variat, sicut enim non simile, sed similitudinem comparat cum albedine, ita non suppositum, sed suppositalitatem deberet cum natura comparare, & tunc falsa est major, quia suppositalitas à natura realiter differt, non verò similitudo ab albedine. Ad formam itaque neg. conseq. propter datam rationem; quamvis autem hæc humanitas sit de quidditate Petri, non autem tota est ejus quidditas ut est suppositum, sive subsistens, quia sic addit supra hanc humanitatē ipsam subsistentiam.

63 Arg. 5. Si subsistentia distinguitur realiter à natura, in quo libet est duplex realis compositio, altera ex materia & for-

forma, & hęc est natura, altera ex natura & subsistentia, & hæc est suppositum; sed hoc est contra Phil. qui pro eodem accipit compositum & suppositum: ergo. Resp. neg. min. neque enim locus assignatur ubi ita accipiat Phil. sicubi autem id innuit, non suppositum accipit ut est subsistens substantia, sed latè ut est tantùm substantia singularis, dicitur enim quòd Sortes est suppositum, accipitur autem Sortes etiam non subsistens; cuique autem patet, quòd hoc sensu latè & æquivocè dicitur suppositum.

64 Arg. 6. Si substantia distinguitur realiter à subsistentia sua, saltim Divinitus poterit unum sine altero esse; sed hoc est impossibile: ergo. Patet maj. quia signum realis distinctionis est separabilitas. Patet item min. quia tunc natura esset subsistens sine subsistentia. Hoc arg. Scotistis posset difficultatem facere, quibus distinctio non nisi ex separabilitate habetur, sed neque ipsis quid urget, ut enim natura à subsistentia sit separabilis, non oportet, quòd possit sine omni subsistentia esse, sed sufficit, quòd possit esse sine propria, & ita est de facto natura humana in Xpo D. quarè à propria subsistentia separatur; posset ex alio Scoti principio instari: quia omne absolutum prius potest Deus sine posteriori conservare; sed natura est absolutum quid, & prius subsistentia: ergo poterit sine omni subsistentia conservari. Sed hoc ad nos non pertinet.

65 Resp. itaque 1. neg. maj. cum sua prob. licèt enim separabilitas distinctionem, non autem è converso distinctio arguit separabilitatem, ut quæcumque distinguuntur, possint hoc ipso separata consistere. Resp. 2. dist. maj. Posset sine omni subsistentia esse, neg. maj. Posset sine propria, conc. maj. quia ex hoc habetur separabilitas, & tunc neg. min. quia in Xpo separatur de facto humanitas à propria subsistentia. Resp. 3. data maj. neg. min. Ad prob. dicitur, quòd esset subsistens sine subsistentia, non autem sine effectu ejus. Itaque nullum est inconveniens in eo, quòd Deus sublata subsistentia naturam conservaret cum illo modo se habendi, seu perfecto esse, quod à subsistentia consequitur.

66 Arg. 7. Si subsistentia est distincta à natura, ista propositio erit falsa: *Verbum, sive Filius Dei est homo*; at hæc sequela absurda est & contra fidem: ergo. Prob. maj. Verbum se habet ad humanitatem sicut subsistentia ad naturam; sed si subsistentia distingueretur à natura falsa esset hæc: *subsistentia est natura*: ergo. Resp. dist. maj. erit falsa in sensu formali & quidditativo, conc. maj. erit falsa absolutè, neg. maj. est enim vera tantùm in

sensu hypostatico, & communicatione idiomatum, quo nempè sensu dicitur, quòd Deus passus est pro nobis, eodem dicitur, quòd est homo; Xpus quidem quidditativè est homo, Deus autem, aut Verbum non nisi communicatione idiomatum, & vi unionis hypostaticæ; at verò si subsistentia non distinguitur à natura, in sensu quidditativo ipsa est natura, quarè eodem sensu deberet esse verum, quòd Verbum, sive Filius Dei est homo, quod magis est absurdum, quod nempè humanitas identificaretur cum Deitate.

ARTICULUS. III.

An subsistentia consistat in negativo?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

67 NOn sine quærela ait hic Mast. quòd rem, quã Scotus dilucidè explicavit, RR. suis speculationibus reddidere confusiorem. Sed Scotus in primis non adeò clarè loquitur, quin apud ipsos Scotistas sit controversia & varietas sent. in explicanda mente ejus; ipsius deinde Mastrij explicatio satis est obscura, ut poterit legenti constare. Prima itaque sent. docet, subsistentiam consistere in negativo, in qua tamen multiplex est dicendi modus: aliqui enim consistere docent in incommunicabilitate alteri ut subjecto, nempè in eo consistit, quo immediatè opponitur inhærentiæ; at inhærere est alteri inesse ut subjecto: subsistere ergo non communicari est eodem modo: alij in incommunicabilitate alteri ut pars ejus; nempè id subsistere dicitur, quod non est, aut esse potest alterius pars: alij alias assignant negationes, quia tamen communior modus hujus sent. est quem de mente Scoti tenent frequenter Scotistæ, hunc sic explicat Mastrius.

Alteri communicari potest tribus modis accipi: nempè alteri ut subjecto, quatenus perfectio est in suo perfectibili; aut tanquam toti pars; aut tanquam natura supposito: de duobus prioribus non curatur, quia substantia non est incommunicabilis subjecto per modum distinctum, qui sit subsistentia, sed per id, quo est substantia in re existens; alteri item ut pars ejus sit incommunicabilis hoc, quo constituitur totum & substantia completa, ita autem supponitur pro priori ad ipsam subsistentiam; quarè tota difficultas ad tertium devolvitur. Tribus modis incommunicabilitas accipitur: actu, aptitudine, & potestate: incommunicabilitas actu ea dicitur, quam ha-

habet natura, quæ est actu communicata, ut natura humana in Xpo D. est actu communicata & dependens ab alieno suppositi, nempè Verbi: incommunicabilitas aptitudine explicatur per exigentiam seu inclinationem ad communicari, ut eadem natura in Xpo D. habet naturalem inclinationem ad proprium suppositum: tandem incommunicabilitas potestate, per capacitatem solius non repugnantiæ

Juxta hanc triplicem communicabilitatem accipitur triplex incommunicabilitas; ut est actu incommunicabilis alteri, quæ actu est in proprio supposito; aptitudine incommunicabilis est, quæ non habet inclinationem, ut eadem natura in proprio supposito, non solùm non communicatur actu alteri, sed neque inclinationem habet ad communicari; potestate autem dicetur incommunicabilis, quæ repugnantiam habet ut alteri communicetur. Hoc posito docet, quòd ad hoc ut natura aliqua possit dici suppositum debet habere duas negationes dependentiæ & communicabilitatis, nempè actualis, & aptitudinalis: non sufficit sola negatio actualis dependentiæ, nam anima separata hanc habet, non tamen suppositum est, quia licèt non sit actu communicata, apta est, & exigit communicari: neque etiam sufficit sola negatio aptitudinalis dependentiæ, quia natura humana in Xpo D. non habet naturalem inclinationem ad suppositum Verbi, & consequenter habet negationem dependentiæ & communicabilitatis aptitudinalis, & è contra ad propriam subsistentiam inclinationem habet, quare non negationem communicabilitatis aptitudinalis; & tamen est suppositata à supposito Verbi: requiritur ergo utraque negatio, quòd nempè neque actu, neque aptitudine habeat dependentiam ab alieno supposito, ut in se subsistere, & suppositum esse dicatur. 3. autem negatio non requiritur, quia nulla natura creata habet repugnantiam ad alienum suppositum, cùm quælibet à supposito Divino possit terminari.

68 Vides quo verborum circuitu sent. illa indiget, quam Mast. dicit clarissimam; in qua ad huc non habetur conceptus subsistentiæ: subsistit enim natura humana Xpi D. non autem illas duas negationes habet; ut enim fatetur Mast. & est de se manifestum, non habet incommunicabilitatem aptitudinalem; per hoc enim quòd in supposito Verbi sit, non tollitur sibi naturalis inclinatio ad proprium suppositum; tùm quia illa terminatio est secundùm potentiam obedentialem, quæ naturalem inclinationem intactam relinquit; tùm quia supernaturalia non destruunt naturam & naturales inclinationes;

nes : si ergo subsistere intelligitur sine illa duplici negatione, non in ea consistit formaliter. Nec refert si dicatur, quòd in sensu composito subsistentiæ Verbi non habet aptitudinem ad proprium suppositum, quarè hoc sensu habet negationem aptitudinalis dependentiæ, quod sufficit ut subsistere intelligatur.

Non, inquam, hoc refert: 1. quia etiam in sensu composito subsistentiæ Verbi illam inclinationem habet, quarè nequit habere incommunicabilitatem aptitudinalem: 2. quia in probabili sent. potuit assumi natura retenta propria subsistentia: ergo in sensu composito unionis hypostaticæ potest & apta est propriam accipere subsistentiam, nihilominus autem verè subsistit: 3. quia si in sensu composito non habet aptitudinem, natura in proprio supposito repugnantiam habet ut ad alienum suppositum assumatur, quarè incommunicabilitas in tertio sensu erit etiam de ratione suppositi, quod tamen ipse negat. Patet assumptum, quia in sensu composito propriæ subsistentiæ non poterit assumi: si ergo sufficit, quòd in sensu composito subsistentiæ Verbi non habeat aptitudinem, ut absolutè dicatur habere incommunicabilitatem, pariter sufficit, quòd in sensu composito propriæ subsistentiæ habeat repugnantiam, ut absolutè dicatur illam habere, aut è contra: non obstante quòd in sensu composito propriæ subsistentiæ repugnet assumi, ut conjungatur cum propria subsistentia terminatio in alieno supposito, asserit ipse, quòd habet natura quælibet non repugnantiam ad alienum suppositum: ergo pariter non obstante, quòd non habeat aptitudinem ad propriam subsistentiam cum subsistentia Verbi conjungendam, quia tamen in supposito Verbi retinet propriam inclinationem naturalem ad proprium suppositum, absolutè dici debet, quòd ibi non habet incommunicabilitatem aptitudinalem, & tamen verè subsistit.

69 Dicendum ergo cum communi cæterorum sent. quòd subsistentia non in negativo consistit, sed in perfectione aliqua positiva, ad quam incommunicabilitas sequatur. Prob. 1. Subsistentia, subsistere, & suppositum esse positivè significatur, ut hoc aliquid, sive hoc tali modo esse; patet enim ex ipsis terminis, quòd subsistere, & suppositum esse, non carentiam alicujus, seu non esse significat, sed esse & tali modo esse: ergo formaliter in re sibi respondet positivum quid, & in positiva perfectione consistit. Nec refert instantia de unitate, quæ est positiva passio entis, & tamen communiter ponitur in negativo consistere, nempè in indivisione, seu carentia divisionis.

Non,

Non, inquam, id refert, quia hoc potiùs confirmatur & explicatur illa ratio: eò enim quòd unitas est positivum quid, & positivum attributum entis, fortè poterit contingere, quòd illam non possit intellectus explicare nisi per aliquam negationem, illi tamen negationi & conceptui intellectus in re correspondet quid positivum, nempè ipsa rei entitas: si ergo subsistentia est quid positivum, non in negatione poterit formaliter consistere.

70 Prob. 2. Negatio semper fundatur in aliquo positivo, & ad illud reducitur, neque alicui intelligitur convenire non esse hoc, aut non esse ita, nisi quia sibi convenit esse aliud, aut esse aliter; sed negatio communicabilitatis, in qua ponitur consistere subsistentia, non convenit naturæ ex se, aut in ipsa natura immediate fundatur: ergo naturæ convenit ratione alicujus positivi sibi superadditi, & in hoc consistit subsistentia. Maj. ex ipsis patet terminis, & de min. nullus potest dubitare, alioqui natura se ipsa & ex conceptu, quo natura est, esset suppositum. Præterea: illa duplex incommunicabilitas alicujus est, & aliquid intelligitur non communicatum, & non aptum communicari, nempè natura ipsa, quæ dicitur subsistere: aut ergo sibi de se, & ex conceptu, quo natura est, & tunc se ipsa est suppositum, aut ratione alicujus id sibi competit, & tunc hoc, ratione cujus illa duplex negatio convenit, & non ipsa duplex negatio, est formaliter subsistentia.

71 Prob. 3. Illo eodem, quod assumunt, exemplo: Humanitas in Xpo D. à personalitate Verbi habet illud idem, quod à propria haberet, nempè subsistere; sed à personalitate Verbi non habet puram negationem: ergo propria subsistentia non in negativo consistit, neque ab ea tantùm haberet illas duas negationes. Prob. min. 1. quia ut ipsi fatentur, & suprà patuit, sub personalitate Verbi retinet inclinationem ad propriam subsistentiam: ergo non accipit à personalitate Verbi negationem aptitudinis. 2. quia si purâ negationẽ acciperet à personalitate Verbi, nõ perficeretur assumptione, cùm pura negatio sit nihil, & non esse. 3. quia non intelligitur incipere habere aliquam negationem, quam non habebat prius, quia intelligatur aliter se habere quam prius, aut quia aliquid sibi auferatur, quod habebat, aut quia sibi conferatur, quod non habebat; sed Verbum assumptione nihil aufert à natura: ergo aliquid intelligitur communicare, quo sibi conveniat negatio, & hoc aliquid erit subsistere.

72 Ad hoc fundamentum resp. Mast. ex Ponc. & Aretin. quòd natura humana in Xpo D. quid

quid positivum habet, verè enim dependet ab ejus personalitate, & fundat unionem ad illam; sed non per hoc personalitas Verbi supplet aliquod munus positivum, quod haberet, sive in quo consisteret propria subsistentia, sed natura, quæ relicta à personalitate Verbi haberet duas negationes, quibus neque esset communicata, neque inclinationem haberet ad communicari, per hoc quod à Verbo assumitur, duplex illa negatio impeditur.

Sed contra: 1. Si subsistentia consistit in illa duplici negatione, subsistere formaliter & ex terminis erit illas duas negationes habere, & nullibi poterit intelligi subsistere, nisi per hoc quod intelligatur illa duplex negatio; at sine illa subsistit humanitas in Xpo D. ut concedit solutio: ea ergo relicta quit argumentum. Præterea: Si personalitas Verbi reddit naturam humanam subsistentem, quod faceret propria subsistentia, hoc est formalissimè facere quod ipsa faceret, exercere munus ejus, & supplere ipsã; sed non supplet aut exercet illas duas negationes: non ergo in illis consistit subsistentia. Rursus: natura relicta à personalitate Verbi id tantùm haberet, quod sibi ex se competit; sed non ex se sibi convenit illa duplex negatio, ut jam patuit: oporteret ergo subsistentiam propriam suscipere; vi cujus illas duas negationes intelligeretur habere.

73 Prob. 4. Illa duplex negatio explicat de necessitate idem per idem: ergo nihil explicat. Prob. ant. Non quævis incommunicabilitas actualis & aptitudinalis est subsistentia, sed incommunicabilitas alteri ut supposito; sed incommunicabilitas alteri ut supposito, & rationem suppositi præsupponit, & per ipsam explicatur: ergo. Conf. & explicatur: pro quocumque termino in propositione accepto licet accipere definitionem ejus, ut habet expresse Phil. & ratione patet, quia definitio est ipsa quidditas definiti, ut si dicitur, quòd Petrus est homo, eodem modo dicitur quòd est animal rationale accipiendo pro termino *homo* definitionem, & idem de quovis alio: si ergo subsistentia est incommunicabilitas alteri ut supposito, loco ly *ut supposito* poterit accipi definitio ejus; at tunc sensus esset nugatorius, & qui nihil explicaret, & nempe sensus esset, quòd subsistentia est incommunicabilitas alteri ut habenti incommunicabilitatem alteri ut supposito, & loco hujus termini *ut supposito* licet iterum definitionem accipere, & vides quòd itur in infinitum & nihil explicatur: non ergo in illa duplici negatione consistit.

74 Resp. Mast. 1. quod instatur in definitione seu explicatione, quæ communiter adhi-

betur

betur de singulari: dicitur enim quòd singulare est indivisibile in plura singularia. Resp. 2. directè, quòd licet aliquando accipere in definitione aliquid, quod est ejusdem rationis cum definito, non tanquam quid explicans, sed tanquam additum; sic absolutum dicitur esse, quod ad aliud absolutum non refertur; si autem hoc ad explicandam quidditatem poneretur, tunc committeretur nugatio & explicaretur idem per idem: ponitur ergo in definitione, seu explicatione subsistentiæ ly *ut suppositi* tanquam quid additum, sicut in definitione absoluti, aut singularis.

Sed contra: 1. Illa non est definitio aut explicatio singularis aut absoluti, sed manifesta nugatio, quarè assumit ipse quod est in quæstione: singulare itaque est, aut quod ponitur sub infima specie, aut quod non est ulterius divisibile, & cùm dicitur non divisibile, supponitur extrema non habere, in quæ dividatur, quarè non oportet in illa explicatione accipere ipsum singulare; similiter absolutum est quod non refertur, sive quod nulli refertur, in quo item non oportet ipsum absolutum accipere; atverò in proposito multiplicè incommunicabilitatem ipse assignat, & ait, quòd non quælibet est subsistentia, sed hæc determinata, nempè alteri ut supposito. 2. quomodocumque accipiatur, semper nugatio est accipere definitum ipsum in definitione, quorsùm enim additio requiratur illius quod explicari intenditur? 3. non utcumque requiritur ly *ut suppositi*, sed requiritur ut determinans & explicans, quænam incommunicabilitas est subsistentia; si enim non quælibet incommunicabilitas est subsistentia, sed ea tantum, quæ est alteri ut supposito, sublato ly *ut suppositi* nō relinquitur quidditas subsistentiæ, si enim dicatur tantùm incommunicabilitas actualis & aptitudinalis, poterit esse alteri ut subjecto, aut ut pars ejus, & neutrum est subsistentia: requiritur ergo ly *ut suppositi* tanquam differentia determinans.

73 Tandem prob. conclusio ex eo quod Mast. ait in sol. ad præcedens argumentum, quòd nempè cùm dicitur subsistentia consistere in duplici illa negatione communicabilitatis alteri ut supposito, ly *alteri* significat suppositum Divinum: natura enim secundùm se, & ut per definitionem significatur, v. g. natura æqui neque communicata est, neque inclinationem habet, quarè habet utramque negationem; sed ita accepta non subsistit: non ergo in illa duplici negatione consistit subsistentia. Maj. quantùm ad 1. de se est manifesta, quantùm ad 2. autem de fa-

cili ostenditur : non enim communicabilitas aptitudinalis, cujus negatio constituit subsistentiam, est sola non repugnantia, ut ipse habet Mastrius ; sed ad subsistentiam Verbi nulla natura creata habet positivam inclinationem, sed tantùm non repugnantiam : patet ergo, quòd quælibet secundùm se & habet negationem communicationis, quia non est communicata, & communicabilitatis, quia non est inclinata, sed tantùm non repugnans : non ergo illa duplex negatio sufficit.

§. II.

Solvuntur argumenta.

76 ARG. 1. pro illa sent. Joan. de S. Th. ait que, esse ferè totum illius fundamentum : Nihil est positivum in natura, quod non potuerit à Verbo assumi ; sed non potuit assumi subsistentia : ergo ea non est quid positivum. Conf. Juxta Damascen. & alios P.P. quidquid Deus plantavit in natura, hoc Verbum assumpsit ; at hoc non esset verum, si subsistentia est quid positivum : ergo. Patet min. quia hanc Verbum non assumpsit ; esset autem aliquid à Deo communicatum, si esset quid positivum.

77 Resp. 1. neg. min. quia probabilis est sent. quòd potuit natura assumi retenta propria personalitate. Resp. 2. dist. maj. Nihil est de linea nominali & essentiæ, conc. maj. Nihil est de linea participiali & existentiæ, neg. maj. Ratio autem est, quia hæc linea totum hominem præsupponit essentialiter, integraliter, & etiam accidentaliter perfectum. Ad Conf. eodem modo dicitur, quòd loquuntur P.P. de eo quod pertinet ad lineam nominalem & essentiæ, hoc enim pertinet ad perfectionem & integritatem hominis, qui assumitur, linea autem participialis pertinet tantùm ad esse ejus in re, quod sibi assumptione communicatur, quarè hoc non debuit assumi.

78 Arg. 2. Albertin. Si subsistentia est quid positivum, sequeretur quòd subsistentia propria humanitatis conversa esset in subsistentiam Verbi in Xpo D. sed hoc est absurdum : ergo. Prob. maj. Ideò substantia panis in Eucharistia convertitur in corpus Xpi D. quia ad præsentiam ejus definit ; sed pariter illa perfectio, in qua consisteret subsistentia, definit ad præsentiam subsistentiæ Verbi : ergo. Resp. 1. quòd eodem modo definit, quidquid ponatur constitutivum subsistentiæ, verè enim humana subsistentia ibi non est, quarè arg. à quolibet debet solvi. Resp. 2. neg. maj. Ad prob. dicitur, quòd humana subsistentia non desi-

desinit, quia numquam fuit, sed actione assumptiva impeditur. Deinde, non eò quia desinit substantia panis dicitur converti, si enim annihilaretur ipsa actione, qua loco ejus substitueretur corpus Xpi D. desineret eodem modo, non autem tunc diceretur conversa: dicitur ergo converti, quia mutatio, qua esse desinit, est transitus in substantiam corporis Xpi D.

79 Arg. 3. idem: Si subsistentia consistit in positivo, natura humana in Xpo D. est violenta; sed hoc est inconveniens: ergo. Prob. maj. quia tunc natura humana habet naturalem inclinationem ad propriam subsistentiam; at violentum est quod contra naturalem inclinationem inducitur: ergo. Resp. 1. sicut ad præcedens, quòd in quocumque consistat subsistentia, natura habet inclinationem ad illam, quarè in qualibet sent. est contra naturalem inclinationem. Resp. 2. quòd in quolibet miraculo privatur natura naturali inclinatione sua, sed non ex hoc inducitur sibi à Deo violentia, ut in Phys. diximus; quia violentum est, cui passum nullam confert vim, seu quod est contra omnem inclinationem; quod autem à Deo fit, licèt sit contra inclinationem naturalem, est tamen secundum aliam superiorem inclinationem, quam tota habet natura, obediendi Deo.

80 Arg. 4. idem: Sequeretur, quòd humanitas Xpi D. non haberet omnem perfectionem, quam nos habemus; sed hoc est inconveniens: ergo. Patet maj. quia non haberet illam, in qua consisteret subsistentia. Resp. 1. dist. maj. Non haberet omnem perfectionem de linea nominali, neg. maj. De linea participiali, conc. maj. sed hoc sensu neg. min. illa enim linea totam naturæ perfectionem supponit. Resp. 2. aliter dist. maj. Non haberet per defectum alicujus, neg. maj. Non haberet per excessum, & quia alia potiori perfectione suplerètur, conc. maj. & hoc sensu neg. min. quia non est imperfectio, sed perfectio hoc sensu non habere, sicut perfectio est Angeli non discurrere.

81 Arg. 5. ex eodem: Posset natura à Deo conservari sine illo positivo, in quo consistit subsistentia, quia omne absolutum prius alio potest Deus sine posteriori conservare; sed tunc esset subsistens sine subsistentia, nempè esset in se existens: ergo. Resp. 1. quòd æque tenet arg. contra negativum, quia natura absoluta est, & prior illo negativo: ergo poterit sine eo conservari. Resp. 2. quòd tunc natura esset subsistens juxta arguentem; at non incommunicabilis: ergo non in hoc subsistentia consistit. Patet min. ex quo enim sine propria subsisten-

tia esset, posset illam suscipere; hoc autem modo est ipsa communicabilis proprio supposito. Resp. 3. neg. maj. quia, ut sæpe diximus, non semper potest prius sine posteriori conservari. Resp. 4. quòd posset sine subsistentia conservari, si Deus supernaturaliter conservaret effectum subsistentiæ, in quo nullum est inconveniens.

82 Arg. 6. ex eodem: Phil. in 7. Met. tex. 21. ait, quòd quidditas est idem cum eo, cujus est quidditas, & tex. 29. quòd quidditas in his ossibus, & in hac carne est Sortes; at Sortes est suppositum: ergo suppositum non est aliquid positivum aliud à natura; at ex Mysterio Incarnationis cogimur distinguere suppositum a natura: ergo aliquo negativo differt. Ad hoc multi resp. quòd Phil non agnovit distinctionem suppositi à natura, quam nos cognoscimus fide ducti ex Mysterio Incarnationis; at N. 3. D. & cum eo N. Argent. in 3. dist. 6. q. 1. docent, quòd Phil. distinguit suppositum à natura, & quòd illa distinctio sufficienter ex ratione naturali deducitur.

83 Resp. ergo aliter, quòd in priori tex. agit Phil. contra positionem Plat. de universali separato, sive de ideis, & arguit, quòd tales ideæ non erunt substantiæ; non enim sunt prima substantia, quia hæc est singularis; deinde neque sunt secunda substantia, quia talis prædicatur in quid de prima; idea autem non prædicatur inquid de prima substantia. Maj. eò probat, quia prædicatio accidentis non importat quid, ut *homo est albus*; at verò prædicatio, qua secunda substantia dicitur de prima importat quid, ut *Petrus est homo*. Deinde ostendit min. Quia idea separata distinguitur a prima substantia in re existente; at quidditas non distinguitur ab eo, cujus est quidditas. Hæc est illius tex. sent. in quo, ut vides, non de suppositione, sed de singulari substantia sermo est; quòd autem singularis substantia sumpta nominaliter non sit aliud ab ipsa quidditate non tollit, quin suppositum addat aliquid supra naturam, est enim suppositum singularis substantia sumpta participialiter, quarè addit ipsum esse participiale. In alio tex. non habetur quod arguens assumit, ubicumque autem habeatur, patet ex dictis, quòd quidditas in his carnibus nominaliter accipiendo non suppositum est, sed singularis substantia; accipiendo autem participialiter est suppositum, sed addit esse participiale.

84 Arg. 7. Mill. Nullum habet effectum naturæ communicabilem forma illa seu perfectio positiva, in qua dicatur consistere subsistentia: ergo ea non datur. Conseq. notat suppon[itur], sive

sive quia effectus formæ est ipsa forma communicata, sive quia superfluè adstruitur forma, cui nullus assignatur effectus. Prob. ant. Naturam subsistere est esse incommunicabilem alteri, & hoc intellecto, & quovis alio secluso intelligitur subsistere; sed esse sic incommunicabilem puram negationem dicit: ergo.

85 Resp. neg. ant. Ad prob. dicitur 1. quòd negatio, quæ naturæ non convenit ex proprijs prædicatis, & ut per definitionem significatur, ratione alicujus positivi sibi superadditi debet convenire; illa autem duplex negatio naturæ ex proprijs prædicatis non convenit. Dicitur 2. quòd esse incommunicabilem non intelligitur subsistentem constituere, nisi intelligatur in re esse, si enim intelligatur ut chimeræ convenit, patet quòd non constituit suppositum; at in re esse non de se habet natura. Dicitur 3. quòd effectus positivus, quem subsistentia commnicat naturæ, est hoc tali modo esse in re nempè in se & per se ultimò & completè.

89 Contra hanc sol. ea militant, quæ ipse adducit contra Card. de Lugo, fatetur quidem illius dicendi modum potiorem reliquis esse, miror autem quod N. Argent. pro alia sent. citat, cùm tamen illo eodem loco, quo citat, satis aperte suam & B. D. sent. explicet, quæ ipsa est quam tenet Lugo. Reponit itaque contra hanc sent. 1. quòd nisi fiat vis in verbis, attendendo rem ipsam videbimus, quòd iste effectus, quem dicimus primum, est mera negatio: dicitur enim subsistere, quasi in se sistere & ulterius non progredi; at ulterius non progredi est formalissimè illa incommunicabilitas: ergo. Præterea: Si subsistentia est quid positivum, tunc non in se sistitur natura, sed alteri transit, nempè illi positivo. Ulterius: illud positivum naturam respicit ut causam materialem, in qua recipitur, quare in natura habet subsistentari: ergo non poterit ipsa natura vicissim in isto recipi & subsistentari, & consequenter id non poterit esse subsistentia. Patet conseq. quia mutua causalitas in eodem genere à nemine admittitur.

87 Resp. ad 1. instantiam, quòd nisi fiat vis in verbis, attendendo rem ipsam ipsa ejus instantia fatetur effectum positivum, quem intendit negare: eò enim intelligitur ulterius non progredi, quia in se sistitur, negativum enim ad positivum reducitur, & in eo fundatur, quare eo non est sic, aut non habet hoc, quia sic est, aut hoc habet; at in se sistere manifestè patet, quòd est quid positivum, nempè hoc tali modo esse: ergo. Ad 2. Illud positivum, in quo consistit subsistentia, re-

que est de linea nominali & subs-

tan-

tantiva, neque se habet ut *quod* recipiens ipsam naturam, sed est *quod* per modum formæ de linea adjectiva & participiali, quarè eo constituitur natura in se sistens, ultimò terminata, & sic existens. Ad 3. ex falsa imaginatione oritur, qua putatur natura in supposito existere tanquam in subjecto, in quo recipitur, & à quo substentatur: se habet ergo natura veluti subjectum recipiens subsistentiam, & eà veluti forma constituitur suppositum, quarè natura est in supposito sicut essentia in ipso existente, unde ibi non est mutua causalitas.

88 Arg. 8. idem quibusdam difficultatibus, quas dicit ex nostra sent. sequi: 1. est: quid est hoc positivum? Ad quod dicimus, quòd est ipsa existentia secundùm quod hoc tali speciali modo tribuit esse in re; aut nempè facit esse, & hoc commune est substantiæ & accidenti; aut facit esse per se, & non inhærendo alteri, & hoc non solùm substantiæ completæ convenit, sed etiam animæ nostræ; aut facit hoc tali modo esse per se, nempè complete, & hoc est constituere suppositum; aut tandem tali naturæ communicatur, nempè rationali, & constituit speciale suppositum, quod dicitur persona. Contra hoc reponit: 1. per se existere substantiæ convenit de se & non per aliquid superadditum; at subsistere non per se illi competit. 2. Talis per se existentia invenitur in humanitate assumpta à Verbo, & in partibus compositi substantialis; in quibus tamen non invenitur incommunicabilitas, quæ est de ratione suppositi.

89 Resp. ad 1. quòd si per se & in se existere competit substantiæ de se, id ea debet habere ut per definitionem significatur, sic enim habet quod est de quidditate sua, seu quod idem est, sibi de se competit. Præterea: si id ea de se habet, non accipit ab actione, qua producitur, si autè accipit, aliquid est quidditati suæ superadditum: de se ergo habet substantia exigere sic esse, ipsum autem sic esse in actu actione agentis producentis sibi communicatur. Ad 2. humanitas Xpi D. eatenus habet per se esse & in se, quatenus habet subsistere & suppositari, & quia sic esse habens est ultimò completè, non est communicabilis, nisi quatenus loco hujus esse, á quo sic esse habet, potest aliud accipere, eodem autem modo communicabilitatem habet quodlibet suppositum, nempè sublata propria subsistentia potest loco ejus Divina subsistentia terminari: partes deinde non suæ nisi quatenus est totum, cujus sunt partes, neque aliud habet esse, quàm ipsius.

90 Arg. 9. ex alia difficultate, nempè an hoc positivum sit res, vel modus? Ad quod dicimus, quòd res est, nempè ipsa exi-

existentia, à qua natura habet modum se habendi. Contra hoc arguit. Res propriè dicta, ut accipitur contra modum ex 2. de An. & 7. Met. dividitur adæquatè in materiam, formam, & compositum; at subsistentia nihil est ex illis tribus: ergo. Resp. quòd illa divisio est rei de linea nominali & substantiva; subsistentia verò est de linea participiali & adjectiva, qua non ens, sed essens, sive existens constituitur, & in hac linea est forma.

91 Arg. 10. ex 3. difficultate, nempè an ista entitas faciat veram & realem compositionem cum natura? Ad quod resp. affirmativè. Contra autem arguit: 1. non apparet an illa forma, quæ compositionem dicitur facere cum natura, dicenda sit substantialis; vel accidentalis? Videtur enim ex una parte, quòd accidentalis sit, siquidem advenit naturæ plenè constitutæ per formam substantialem; ex alia autem nequit accidentalis dici, est enim complementum substantiæ, & à tota linea accidentali distinguitur. 2. In substantijs spiritualibus ponenda erit physica & realis compositio ex natura & subsistētia; cùm tamen eę apud omnes sint formæ simplices: similiter, in natura corporali erit duplex compositio physica, altera ex materia & forma, altera ex natura & subsistentia. 3. Talis forma, quam dicimus subsistentiam, tribuit subsistere in genere causæ formalis intrinsecæ; at tale genus nequit Deus supplere: ergo.

92 Resp. missis solutionibus, quas ipse adducit & rejicit, ad 1. quod illa forma utroque modo dicitur, accidentalis nempè prędicabiliter, siquidem contingenter prædicatur; substantialis verò prædicamentaliter, siquidem non est de prædicamento accidentis. Ad rationem in contrarium dicitur, quòd non est de linea nominali & substantiva, quarè hanc supponit plenè constituram, sed est de linea adjectiva & participiali, quarè non directè sed reductivè pertinet ad prædicamentum substantiæ. Ad 2. conc. utraque sequela. Ad rationem primæ dicitur, quòd substantia spiritualis est physicè simplex in linea nominali, & quantùm ad essentiam suam, quòd non tollit, quin compositionem habeat ex essentia & esse, imò aliter non potuisset produci, ut arguit B. D. q. præc. addactus. Ad rationem alterius dicitur eodem modo, quòd in natura corporali nominaliter & quantùm ad essentiam suam unam tantùm admittimus compositionem ex materia & forma, secundùm hanc terminat actionem agentis de se & ut est agens principale, quę est actio transmutativa; aliam autem debet habere compositionem ex essentia & esse, secundùm quam terminet actionem agentis, ut est

inf-

instrumentum primæ causæ, quæ est actio productiva. Ad 3. in Phys. probavimus, quòd Deo non repugnat munus causæ formalis exercere, & in omnium sent. ex intima communicatione, seu unione humanitatis ad subsistentiam Verbi consequitur ipsa humanitas perfectum esse, quod est subsistere; hoc autem ex terminis est perfici in genere formalis causæ, ut ibi explicatum est.

Nihilominus, quia illa sent. specialis est, ea missa, potest duobus modis solvi præsens replica: 1. dicitur, quòd Deo repugnat munus formalis causæ exercere in linea nominali, & substantiva, qua constituitur hoc tale ens, non verò in linea adjectiva & participiali, qua non ens, sed essens, sive existens constituitur; at subsistentia forma est de linea participiali, qua constituitur natura hoc tali modo in re existens. Dicitur 2. quòd subsistentia quidem perficit & effectum suum communicat in genere formalis causæ; quia tamen effectus ille est modus se habendi ipsius naturæ, nempè eam sic esse in re, quamvis Deo repugnaret hoc causare in genere formali, nulla est repugnantia in eo quòd Deus effectivè causet illud idem quod subsistentia causaret informando: quamvis ergo Deo repugnaret informare & perficere per se ipsum, potest subsistentia Divina humanam naturam reddere subsistentem.

93 Arg. 11. ex 4. difficultate: Si personalitas, sive subsistentia consistit in aliquo positivo, poterit a Deo conservari natura sine tali positivo, juxta famosam Scoti maximam, quòd omne absolutum prius potest Deus sine posteriori conservare; tunc autem esset & non esset subsistens, esset nempè, quatenus à Deo conservata in se, & per se existeret: nō esset autem quatenus subsistentiā nō haberet: quandoquidem ergo hoc est aperta contradictio, dici non potest, quòd subsistentia sit aliquid positivum.

94 Resp. quòd ut sæpè dictum est illam Scoti maximam non admittimus, quia poterit contingere, quòd absolutum prius dependentiam à posteriori habeat ut sit in re. Deinde, quòd suppositum sit aliud à natura ipse admittit; quidquid sit autem id, quod suppositum addit, posterius est, quarè relinquitur natura prius quid & absolutum. 3. admissa illa Scoti maxima dicimus quòd posset Deus naturam sine subsistentia conservare, non autem sine effectu ejus, quia talis effectus est ipsum conservari; tunc autem esset subsistens sine subsistentia, nempè esset subsistens denominativè & quatenus haberet modum sic essendi.

95 Arg. 12. ex 5. difficultate, quæ est de causis ipsius subsistentiæ: quantùm enim ad ma-

materialem causam illius positivæ perfectionis, quam dicimus subsistentiam, ea videtur esse ipsa natura; atverò non facilè est intelligere, quomodo subsistentia naturam constituit in se & non in alio existentem, & tamen hoc ipsa subsistentia non habeat, cùm sit in natura, si ea est causa materialis ejus. De efficiente item quamvis dicatur esse agens, nulla potest ad hoc efficax ratio adduci.

96 Ad 1. de materiali causa dicitur, quòd eadem est difficultas de substantiali forma, quam ipse dicit substantiã constituere nempè ens per se existens; & tamen ipsa non per se, sed in materia existit. Itaque esse solius est compositi, quarè formæ esse non competit neque in se neque in alio, quia in alio esse soli competit formæ, quæ inhæret & à subjecto suo substentatur, quatenus autem substantialis forma ut *quo* constituit id quod est per se, eodem modo dicitur per se esse: hoc ipsum, quod de substantiali forma quantùm ad esse de linea nominali dicitur, dicimus in proposito de subsistentia, quòd nempè tantùm ut *quo* ipsi convenit esse & subsistere.

Contra hoc autem ipse instat: Nulli formæ competit oppositum ejus, quod ipsa tribuit subjecto suo, ut si albedo tribuit subjecto suo disgregare visum, non poterit albedini convenire ullomodo congregare: si ergo subsistentia ipsi naturæ tribuit esse in se, nullo omninò modo poterit subsistentiæ convenire in alio esse; at si est perfectio positiva in alio esse habet, nempè in ipsa natura: ergo talis esse non potest. Resp. 1. quòd tenet facta instantia, forma nempè substantialis constituit ens in se; & tamen ipsa est in materia. Resp. 2. directè dist. maj. Nulli formæ convenit oppositum, eo sensu quo est oppositum ejus, quod ipsa tribuit subjecto, conc. maj. Eo sensu, quo non est oppositum, neg. maj. & quia congregare quolibet sensu oppositum est ejus quod albedo tribuit, nullo sensu potest ei convenire; quia verò in subjecto recipi non opponitur ei quod forma aut subsistentia tribuit, utrique hoc convenit; tantùm enim opponeretur inhærere. Ad aliud de efficiente causa, qua ratione probetur, quòd natura producitur & fit in re existens, eãdem & abeodem agente communicari sibi effectivè subsistentiam, probatur.

97 Arg. 13. ex 6. difficultate, quam dicit magni momenti eò quòd Theologica est: tenent enim communiter Theologi, ne videantur hæresi favère Nestorij, qui duas ponebat personas in Xpo D. quòd natura personata, aut personalitas ejus non potuit à Verbo assumi; si au-

tem subsistentia quid positivum est, ea est assumptibilis, quodlibet enim tale potentiam obedientialem habet, qua Deo subjicitur.

98 Resp. quòd hæc difficultas jam suprà soluta est, & patuit, quòd magis ea urget ponentes subsistentiam in pura negatione consistere. Deinde probabilis sent. est, quòd potuit natura assumi propria personalitate retenta, neque ea quid favet errori Nestorij, qui consistit in eo quòd ponit de facto duas personas in Xpo an autem hoc esset possibile, nihil habet cum illo errore commune; præterquam quod potuit natura assumi cum propria personalitate, quin proinde esset duplex persona. Ulterius: missa maj. neg. min. Ad rationem ejus dicitur, quòd in quolibet positivo est potentia obedientialis ad id, quod contradictionem non involvit, quod enim repugnat, à Deo fieri non potest; atverò quòd personalitas assumatur repugnantiam habet; hæc autem illa est, quam ipse assignaverit, vi cujus non potest de posse absoluto natura assumi retenta propria personalitate.

ARTICULUS IV.

An subsistentia sit prior existentia?

99 PRima sent. affirmat, in qua duplex est dicendi modus: primus, pro quo nonnulli citantur de antiquis, ponit subsistentiam esse ipsam singularitatem, & suppositum nihil importare aliud, quàm naturam singularitate determinatam, sivè per singularitatem accipiatur differentia ipsa individualis, sive collectio proprietatum. Hic dicendi modus meritò rejicitur; assumpsit enim Verbum naturam singularem, & cum collectione proprietatum individualium, non autem assumpsit suppositum. Alter dicendi modus docet, subsistentiam esse modum quendam naturæ convenientem pro priori ad existentiam, quo ipsa natura veluti disponitur & fit ultimò capax habendi existentiam; fit enim & producitur suppositum, illi autem existere convenit, quod producitur. Pro hac cit. Cajet. in 3. p. q. 4. art. 2. Ferrar. in 4. contra Gent. cap. 43. eandem tenet Joan. de S. Th. q. 7. Phys. art. 1. & in Theol. 1. p. q. 3. disp. 4. art. 2. & videtur esse sent. D. Th. siquidem B. D. qui ex ore mentem ejus accepit, ipsum videtur addúcere pro hac sent. in 1. dist. 23. q. un. art. 1. Secunda sent. docet, subsistentiam non præintelligi ad existentiam. Hanc multi tenent Thomistæ cum Capreol. in 3. dist. 5. q. 3. art. 3. Hanc latè propugnat N. Gav. de subst. Dei q. 2. & est communis inter nostros.

100 Dicendum 2. quòd subs-

subsistentia non est prior existentia. Prob. 1. ratione, quæ ex ipsa deducitur notione subsistentiæ: Subsistentia importat talem specialem modum essendi in re; sed specialis modus essendi in re nequit præintelligi ad existentiam: ergo. Patet min. quia hoc tali modo esse de necessitate præsupponit esse. Maj. ipse videtur supponere Joan. de S. Th. quòd nempè subsistere est in se, & per se existere, ostenditur autem: quia in quocumque subsistentia consistat, ea est determinatio ipsius esse, quod cum commune sit substantiæ & accidenti, ad substantiam determinatur eo, quo fit subsistentia, hæc enim significat esse proprium substantiæ ad differentiam inhærentiæ, quæ est esse accidentis: sive ergò sit existere in se, sive existere incommunicabiliter, quovis modo concipiatur particularem modum essendi impo tat, qui de necessitate præsupponit esse ut sic & communiter, quod importat existentia.

Conf. 1. Sic se habet conceptus subsistentiæ ad conceptum existentiæ, sicut conceptus substantiæ ad conceptum entis; sed conceptus substantiæ posterior est conceptu entis: ergo & conceptus subsistentiæ conceptu existentiæ. Patet maj. quia existentia est terminus entis, subsistentia verò substantiæ. Conf. 2. Sic se habet subsistentia ad substantiam, sicut inhærentia ad accidens; sed in accidente non prius est inhærere quàm existere, sed è contra: ergo. Patet maj. sicut enim substantia quidditate sua exigit subsistere, ita accidens inhærere. Patet item min. sicut enim in accidente præintelligitur esse ens ad esse tale ens, ita debet præintelligi esse, quod habet quatenus est ens, ad inhærere, quod habet quatenus est tale ens, nempè accidens.

101 Prob. 2. Subsistentia naturæ non convenit secundùm se & ex proprijs prædicatis; sed hoc ipso media existentia convenit: ergo esse nequit prior existentia. Patet conseq. quia quod media existentia convenit, existentiam præsupponit ratione cujus convenit. Maj. itè patet, quòd enim naturæ convenit de se & ex proprijs prædicatis, in conceptu ejus includitur, & per definitionem significatur. Prob. itaque min. Quod naturæ non convenit ex proprijs prædicatis, communicatur sibi ab agente actione, qua producitur; sed quod ita communicatur media existentia communicatur: ergo. Maj. ex terminis patet, quod enim natura habet, & non ex prædicatis suæ quidditatis, non aliud habet principium, à quo possit habere nisi agens, à quo producitur. Min. item patet, quia terminus formalis illius actionis existentia est. Conf. Subsistentia aut modus

est, aut forma perficiens; sed neutro modo potest præintelligi ad existentiam: ergo. Prob. min. quantùm ad 1. quòd frequenter docent RR. contrariè sent. Talis enim modus non est intrinsecus, & qui naturæ de se conveniat, ut jam patuit, quarè erit extrinsecus, & qui est determinatio proveniens à forma; at nulla est forma, à qua possit provenire nisi ipsa existentia: ergo. Patet min. quia ad esse participiale & existendi pertinet ipsa subsistentia. Quantùm ad 2. prob. eadem min. Si enim res est & forma perficiens, ea non pertinet ad lineam nominalem & essentiæ, alioqui assumeretur à Verbo; sed de linea participiali primus actus est existentia: ergo. Patet hæc min. quod enim primò intelligitur de hac linea est produci & in re poni.

102 Communis Thomistarum doctrina ponit, quòd existentia est effectus formæ secundarius & consequutus ad primarium, quo ipsa forma hanc talem essentiam constituit: ex hac doctrina potest ad præcedentem rationem dici, quòd subsistentia est pariter effectus formæ ad ipsam sequutus pro priori ad existentiam, postquam nempè forma communicatur subjecto, quo hanc essentiam constituit, sequitur subsistentia, veluti effectus, quo ipsa essètia per formam constituta fit capax ulterioris effectus, qui est existentia ipsa.

103 Sed contra: 1. Illa doctrina principijs Thomisticis non cohæret: sicut enim causalitas formæ est uniri & communicari subjecto, ita alium effectum non habet apud ipsos, quàm se ipsam subjecto communicatam, quarè ut principium apud ipsos habetur, quòd effectus formæ est ipsa forma subjecto communicata: quandoquidem ergo tam subsistentia, quàm existentia apud ipsos à forma & à tota essentiæ distinguitur realiter, non potest consequenter poni effectus formæ: 2. effectus formæ illi subjecto communicatur, quod ab ipsa forma perficitur, ut de se est notum; sed existentia, & multò minùs subsistentia nequit materiæ communicari, ut ipsi supponunt: ergo. 3. dato quod utraque sit effectus formæ, nequit prior esse subsistentia; quia causalitas causæ perfectiori modo exercetur ad effectum, qui magis immediatè ad ipsam se habet; & veluti primarius est respectu alterius; sed existentia est res apud ipsos, & realiter simpliciter ab essentia distinguitur, subsistentia autem est modus: ergo prius &. immediatius sequitur existentia.

104 Arg. 1. in contrarium: Operari & producere est suppositi, siquidem ut commune habet principium, actiones sunt suppositorum: ergo pariter fieri & produci; at existentia se habet veluti

veluti factum esse, quod ipsi fieri respondet: prior ergo est subsistentia, qua suppositum constituitur. Hujus æquivocatio detegitur manifesta instãtia: sicut enim existentia ad productionẽ, ita forma ad generationem comparatur, sicut enim productione existentia, ita generatione forma communicatur; at non forma, sed totum generatur: deberet ergo totum prius esse ipsa forma: sicut ergo hæc consequentia non tenet, ita patet de ea, quę in argumento intenditur.

105 Resp. neg. conseq. exstientia enim se habet veluti formalis terminus, & *quo* productum in esse talis constituitur, & eàdem constituitur suppositum sub gradu magis speciali, ut art. seq. dicemus latiùs. Itaque eodem sensu, quo generari non formæ competit sed composito, & hoc generari dicitur, non quatenus est subjectum, quod generationi præsupponitur & eam recipit, sed quatenus est terminus totalis ejus, ita non natura, sed suppositum fit & producitur, non autem ita quòd productioni subjiciatur ipsum suppositum, & eam ut subjectum recipiat, sed quatenus est totalis terminus ipsa productione, & termino formali ejus, nempè existentia, constitutus, ipsa enim existentia est actualitas qua constituitur productum, quod sub alia & alia ratione est existens, & suppositum, sed priùs tanquam ratio magis communis intelligitur ratio existentis.

Illa maxima, quam assumit argumentum, quòd nempè actiones sunt suppositorum, negatur à multis, quia locus Phil. unde ea desumitur, non suppositorum habet, sed singularium, & ita intelligendam dicit propositionem illam Mast. hic; nihilominus autem negari non potest, quin natura sine subsistentia non possit operari, quia sine illa non est actu in re; operari autem hoc supponit; patet enim quòd esse est cæterorum omnium fundamentum, & quod non est, non operatur; deinde: de operationibus humanitatis in Xpo D. omnes supponunt esse valoris infiniti, eò quod valorantur à Persona Verbi, quod non teneret, nisi natura operetur ut subsistens & suppositata. A multis itaque hic latè disputatur quomodo subsistentia concurrit ad operationem? Nobis dicendum, quòd operari est suppositi, & quod subsistentia requiritur, non verò ut ratio operandi, sed ut conditio *sine qua non*, ratio enim operandi ipsa est forma, à qua sicut quidditatem & naturam, ita virtutem operandi habet suppositum; ad præsens autem hoc nihil refert, ut ex jam dictis patet.

106 Arg. 2. Joan de S. Th. ratione, quam deducit ex D. Th. 3. p. q. 2. art. 5. ad 1. Subsistentia innascitur & convenit natu-

naturæ ex unione partium, & ratione, qua præcisè est totum completum; at existentia sibi convenit quatenus actioni agentis subjicitur: ergo pro priori convenit subsistentia, quàm existentia. Patet cons. prius enim habet quòd sit totum completum, quàm quod actioni agentis subjiciatur, quia illud in se, hoc in ordine ad alterum habet. Patet deinde min. quia existentia est terminus productionis, & actualitas productione inducta. Maj. item patet, hoc enim formaliter, quod totum intelligitur, intelligitur completum, & non ulterius communicabile, quæ est notio suppositi.

107 Resp. quod si hoc & nihil amplius suppositum dicit, in Xpo D. oportet fateri creatum suppositum, quod contra fidem est: patet enim quod illa humanitas ut præcisivè accipitur à subsistentia Verbi est totum completum ex hoc singulari corpore & hac anima: fateamur ergo oportet, quòd subsistentia aliquid est ultra id, quod importat totum completum, quod in humanitate XpiD suppletur per subsistentiam Verbi, & hoc aliquid dicimus esse non posse quid prius ipsa existentia, hæc enim prima est & immediata actualitas, qua illud totum in actu constituitur. Ad formam itaque neg. maj. Ad rationem ejus dicitur, quòd eò quod intelligitur completum, intelligitur non ulterius communicabile in illa linea; qua intelligitur totum & completum, nempe in linea nominali, non autem ex hoc intelligitur subsistens, seu in se existens, quare intelligitur complebile & terminabile per esse, sive in linea participiali.

108 Arg. 3. N. Gavard. pro eadem sent. ex B. D. in 1. dist. 23. q. 1. art. 1. §. *differt autem*, ubi ita concludit: *Patet igitur quomodo tria prædicta nomina, scilicet essentia, subsistentia, & substantia stant pro natura, & pro supposito, quartum verò scilicet persona stat pro supposito tantùm.* Ex quibus posset argumentum deduci: Si enim subsistentia stat pro natura aliquid significat ex parte ipsi us naturę se tenens; quidquid autem ex parte naturæ se tenet, prius est existentia, quia hæc plenè naturam supponit, & quidquid se tenet ex parte ejus, cum sit actus alterius lineæ: ergo. Resp. autem, quòd loquitur B. D. de subsistentia in Deo, de quo aliter philosophandum est ac de creatura: esse enim est de quidditate Divinæ substātiæ, quare ex quo cóceptus ejus accipitur accipitur esse, & sic esse, nempe in se, à se & per se, & consequenter subsistentia absoluta, non autem personalitas, quæ est subsistentia relativa; in creatura autem esse non est de conceptu naturæ, quare non intelligitur subsistere, sive in se esse, nisi per actualitatem superadditam,

ditam, & hæc est ipsa existentia sub specialiori gradu, ut statim dicetur.

ARTICULUS. V.

Quid est formaliter subsistentia?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

109 ALbertin. & ex eo Mast. cit. B. D. in trac. de Compos. Ang. q. 5. & Argent. in 3. dist. 6. q. 1. pro sent. asserente, quòd subsistentia consistit in collectione accidentium, sive individualium proprietatum, & effectus formalis ejus est reddere naturam substantem accidentibus. Sed hæc in primis explicatio duas sent. confundit valdè diversas, & cuique patet irrationabile esse, quòd collectio accidentium reddat naturam substantem accidentibus, ita quod hoc sit effectus illius. Est ergo duplex sent. valdè diversa, quarum altera asserit, quòd subsistentia consistit in collectione individualium proprietatum. Hæc autem suppositum valdè latè accipit & impropriè, eo sensu quo dicitur, quòd Sortes est suppositum; non autem hoc sensu debet accipi, quia in Xpo D. humanitas est hæc singularis natura, & propriam habet collectionem individualium proprietatum, non autem propriam subsistentiam habet. Alia sent. docet, quòd consistit subsistentia in substare accidentibus, & hæc à nonnullis B. D. attribuitur, eam indicat B. D. sed sensus ejus alius est, ut patebit statim.

Deinde quod attinet ad N. Argent. illo eodem loco, quo cit art. 1. duas habet conclusiones: 1. quòd suppositum & natura in creatis realiter differunt. 2. quòd suppositum addit supra naturam modum per se essendi, quem consequitur ex hoc quod ad esse suę actualis existentiæ taliter conjungitur, quòd alteri supposito in subsistendo non innititur. Ita ad verbum conclusio ejus, quam latissimè probat, & argumenta in contrarium solvit, nec toto illo art. verbum habet ex quo potuerit ortum ducere illa imaginatio de collectione individualium proprietatum. Quod verò attinet ad B. D. tract. illum de compos. Ang. videre non licuit, ejus tamen sent. habetur apertè locis art. 1. citatis, præsertim Quodl. 2. q. 2. ex quibus sensus haberi potest, quem in illo tract. intendit, præterquam quod ipsum addúcit Arg. in sol. ad 2.

110 Pro intelligentia itaque not. quòd B. D. subsistentiam explicat ex nominis etymologia, & ait dici aut à subsistendo aut à subsstando; & substare quidem

alijs

alijs non precisè significat ea recipere, aut eis perfici, sic enim materia diceretur formæ substare, sed significat alia substentare in esse, & esse illis tribuere; subsistere autem significat in se sistere, sive existere: docet itaque quòd ab utroque dicitur substantia, & utrumque ei competit ut est in supposito; quod enim in se sistatur sive per se existat ipsi convenit quatenus est ens in se & per se, & non alterius perfectio, non autem id habet, nisi quatenus esse habet in re, nempè de se exigit ita esse, non verò in actu habet nisi quatenus accipit ita esse: similiter alijs substare, & ea in esse substentare ipsi substantiæ competit, eò enim accidentia dicuntur non esse entia, nisi quia entis, nempè ipsius substantiæ perfectio aliqua, quia non sunt nisi quatenus à substantia substentatur, & esse accipiunt; hoc autem etiam non habet substantia nisi quatenus in re esse habet, & est in supposito, patet enim quòd non potest substentare, & esse tribuere, nisi quatenus illud habet.

Hinc docet dicta q. 5. de compos. Ang. ut ait Arg. quòd si definiretur suppositum, aliquid intraret definitionem ejus, quod non esset de conceptu naturæ, nempe esse & proprietates, quibus habet substare, quatenus scilicet suppositum est substantia per se existens, & proprietates substentans in esse. Ex quo ortum duxit illa deceptio, patet autem quòd tantum intendit B. D. quòd aliquid includit suppositū, quod non est de conceptu naturæ, non autem ibi determinat quodnam ex his quæ importaret definitio suppositi supra conceptum naturæ esset quidditas ipsius suppositi quatenus tale est formaliter, imò addit, quòd licèt ista ponerentur in definitione suppositi, suppositum tamen in suo significato illa non includeret, nempè proprietates, quibus habet substare: quia ergo prius & magis cuique competit, quod sibi in se competit, quàm quod in ordine ad alterum, quamvis utraque habeat suppositum, quidditas ejus in hoc consistit quod est in re existere.

111 Dicendum ergo, quód subsistentia ipsa est existentia secundum quod magis specialiter, comparatur essentiæ, & esse tribuit hoc tali modo, nempè completè & in se. Hæc est proculdubiò sent. B. D. locis citatis, eam tenent communiter nostri, & pro eodem cit. Capreol. in 3. dist. 3. & multi alij, eadem est pro qua Mast. citat Card. de Lugo & alios DD. Soc. ait que esse potiorem & rationabiliorem cæteris alijs. Not. autem, quód in præcedentibus sæpè diximus non dari gradus in existentia; nunc autem gradus videmur ponere, quibus constituit existens, subsistens, suppositum, & personam. Alio-

an

sutem sensu in præcedentibus id negatur, quo hic asseritur, nempè ibi loquimur de existentia formaliter & quantum ad ipsum existere, & intendimus quod in hoc non est accipere gradus, qui correspondeant gradibus formæ.

112 Prob. 1. conclusio ex ipsa notione subsistentiæ: Subsistere ex terminis importat tali modo existere; sed actualitas & forma à qua præstatur tali modo existere est ipsa existentia secundum specialem conceptum, quo tali enti, nempè substantiæ completæ comparatur: ergo siquidem subsistentia hoc est, quo natura habet subsistere, ea in ipsa existentia consistit. Maj. à nemine potest negari, sive enim incommunicabiliter esse, sive completè & ultimo terminari, sive alteri non inniti, sive quomodolibet aliter explicetur, semper importat tali speciali modo esse. Min. item patet, sicut enim esse sive existere ut sic & communiter acceptum comparatur ad existentiam ut sic & communiter acceptam, ita hoc tali modo esse ad existentiam hoc tali modo acceptam. Conf. Sicut in linea nominali se habet tale ens esse ad esse ens, ita in linea participiali se debet habere tali modo esse ad esse; sed in linea nominali eadem forma, quæ constituit ens, sub specialiori gradu constituit tale ens: ergo pariter in linea participiali.

113 Prob. 2. Id est subsistentia, à quo intelligitur primo oriri id totum, quod supposito convenit quatenus tale est; sed hoc ab existentia oritur secundum specialem conceptum, quo hoc tali modo esse tribuit: ergo. Patet maj. hoc enim nomine subsistentiæ ad præsens accipitur, nempè ratio constitutiva suppositi. Prob. min. Supposito convenire intelligitur, quod in se existat, sive sistatur non alteri innixum, seu quod idem est, quod sit ultimò terminatum in esse; quod sit prorsus incommunicabile; quod accidentia substentet in esse &si enim perfici conveniat substantiæ, substentare autem, quod est dare esse, nonnisi supposito convenit, quod esse habet; sed hæc omnia ratione existentiæ conveniunt secundùm quod speciali modo reddit existens: ergo. Ostenditur hæc min. Ipsum enim tali modo esse est completè & ultimo in se esse, sive habere ultimum gradum essendi, quod est nulli inniti, ex quo oritur incommunicabilitas, quatenus quod ultimo est, non potest ulterius esse accipere, & alia substentare, quatenus quod plenè esse habet, potest perfectionibus suis esse communicare: ergo.

114 Prob. 3. Id est naturæ creatæ subsistentia, quod in humanitate assumpta à Verbo suppletur per subsistentiam Divi-

nam; sed non suppletur negatio, sed tantum specialis modus in se, & per se essendi: ergo in eo consistit subsistentia, à quo hoc tribuitur, & consequenter in ipsa existentia specialiter accepta. Patet maj. quia humanitas à subsistentia Divina suppositatur, & ab ea habet, quod à propria subsistentia haberet si non assumeretur. Patet item min. Non enim sub personalitate Verbi habet illas duas negationes, ut Scotistæ ipsi fatentur, & manifestum est; aliunde ad hoc assumitur, nempè ad esse personale, & ut fit illo eodem modo, quo esset in proprio supposito si non assumeretur.

115 Prob. 4. Id est respectu substantiæ subsistentia, quòd respectu accidentis inhærentia; sed inhærentia accidentis est ipsa existentia quatenus reddit sic existens, nempè in alio & per esse alterius: ergo in substantia subsistentia est eadem existentia quatenus tribuit sic existere, nempè in se & completè sive ultimò. Patet maj. sicut enim substantia est ens per se existens, hoc est, natum subsistere, ita accidens est ens in alio, hoc est, natum inhærere. Ostenditur min. Inhærere enim non est præcisè in alio esse quatenus significat aliud pertinere, hoc enim accidens habet quatenus forma est, & communiter cum forma substantiali: est ergo in alio esse quatenus dicit ab alio subsistentari in esse, seu esse per esse ejus; hoc autem, ut patet, ipsam significat existentiam. Conf. Anima nostra à corpore separata aliquid participat de ratione suppositi, est enim semi suppositum, & in se existit atque subsistit, licet non sit absolutè suppositum; sed nihil omninò habet de illis negationibus, sed cantúm ab ipsa existentia specialem modum essendi, nempè in se & per se, licèt non omninó plenè & completè, quatenus potest ulterius compleri in toto, quod cum corpore nata est constituere: ergo in hoc subsistentia consistit.

§. II.

Solvuntur argumenta.

116 HÆC nostra sent. rationabilissima est, vel ipsis fatentibus, qui illam rejiciunt, ut suprà ex Mast. vidimus, & P. Suar. disp. 34. sec. 4. n. 8. quo illam refert, ait esse probabilissimam, & ex eo solùm illam rejicit, quia existentiam tenet ab essentia non distingui; distinguitur autem subsistentia: ferè ergo omnia argumenta contra hanc conclusionem ad illam pertinent, & in præc. soluta sunt, aut ex ibi dictis solvi possunt, nihilominùs, quæ magis specialiter in proposito militant, adducemus.

117 Arg. 1. Mast. Substan-

tantia ut per se existat non indiget aliquo superaddito, sed se ipsa intransitivè id habet; accidens verò indiget modo superaddito, qui sit inhærentia; at substantia non est se ipsa intransitivè suppositum sive subsistens: ergo subsistentia non est ipsa actualitas per se essendi. Prob. maj. distinctio colligitur ex quo unum sine alio invenitur, aut inveniri potest; at reperitur accidens sine inhærentia, & cum quodam modo perfectatis, nempè in Eucharistia, non autem invenitur aut inveniri potest substantia inhærens: ergo. Min. principalis ex terminis patet.

118 Resp. 1. instando: æquè enim substantia definitur ens per se existens, ac accidens ens in alio: si ergo substantia se ipsa habet per se esse, pariter debet habere accidens, quia pariter est ejus quidditas; si autem non est quidditas accidentis actu esse in alio, sed exigere, quarè ut actu sit indiget modo distincto, idem dici debet de substantia. Præterea: subsistere hoc est & nihil aliud, nempè in se esse, sicut inhærere nihil est aliud, quàm alteri inniti & ab alio substentari: aut ergo substantia non se ipsa habet in se, & per se existere, aut si id habet, se ipsa habet subsistere, & quia completè & plene esse habet, se ipsa erit suppositum. Ulterius: anima nostra a corpore separata subsistere dicitur, nempè in se & per se esse, licèt non plenè & ultimò, quod est esse suppositum: aut ergo se ipsa subsistit, aut subsistentia superaddita, & quandoquidem duas illas negationes non habet, idem dicatur de natura completa quantùm ad esse suppositale sive completum, quod de anima nostra ipse dixerit quantum ad subsistere.

Deinde: ratio maj. pariter instatur: 1. ex quo unum sine altero invenitur, realis simpliciter distinctio arguitur; at ipsi realem simpliciter non admittunt illam inhærentiæ ab accidente, sed modalem. Rursus: totum à partibus unitis ipsi realiter distinguunt tanquam effectum à causa sua; at impossibile est totum sine partibus unitis reperiri: ergo. Præterea: natura sine propria subsistentia reperitur, & consequenter sine proprio esse personali, nempè humanitas in Xpo D. habet esse personale à subsistentia Verbi: ergo.

Resp. 2. directè neg. maj. de se enim habet substantia exigere per se esse, esse autem in actu nonnisi ab actione agentis, nec potest per actionem agentis sibi communicari, nisi quatenus aliqua actualitas communicatur, quæ ita esse tribuit, nempè ipsa existentia, ut q. 1. latè ostendimus. Ad rationem maj. dicitur 1. quòd ex separatione aut separabilitate colligitur distinctio,

non autem è converso, ut patet apud ipsos etiam de toto & partibus. Dicitur 2. quòd reperitur natura sine proprio per se esse sicut accidens sine proprio inhærere, nempè sine proprio per se esse est humanitas, quæ assumitur ad esse personale Verbi; neque humanitas autem, ex quo ita sit inhærere dicitur, neque accidens Eucharisticum per se esse, nisi tantùm negativè, hoc est, non actu in alio, non autem proinde per esse proprium, aut sibi de se conveniens.

119 Arg. 2. P. Suar. fundamento Cajet. contra Capreol. Si subsistentia ipsa est existentia modò explicato, tunc natura est immediatum fundamentum existentiæ susceptivum, & natura existens est susceptivum subsistentiæ; sed hoc est falsum: ergo. Patet maj. tùnc enim subsistentia gradus est posterior & magis particularis ipsa existentiâ, quare natura in tantùm habet subsistere in quantùm pro priori aliquo existentiam recepit, & ab ea habet existere. Ostenditur min. quia potius est è contra, cùm existere ipsius sit suppositi, sicut fieri & produci, quatè prius est subsistentiam intelligere, qua constituitur suppositum, quàm existentiam.

120 Resp. conc. maj. in sensu quem intendit arguens, non enim ea, ut sonat, potest admitti, quasi pro aliquo priori physico & durationis natura existat ut suscipiat subsistentiam, sed non hoc intendit arguens, sed prioritatem tãtùm rationis unius ad alteram, hoc sensu conces. maj. neg. min. Ad rationem ejus jam suprà diximus suppositum uno modo sumitur latè & impropriè ut dicit solùm naturam singularem, hoc sensu existere est suppositi, & suppositum præintelligitur ad existentiam, sed non hoc sensu ad præsens accipitur, ratio enim suppositi hoc sensu non subsistentia est, sed singularitas: alio modo accipitur propriè ut dicit naturam subsistentem completè, hoc sensu ad præsens accipitur, & ratio ejus est subsistentia completa, non autem hoc sensu existere aut produci suppositi est tanquam subjecti, quod existentiæ aut productioni præintelligatur, sed tanquam totalis termini ipsa productione & existentia speciali gradu constituti.

121 Arg. 3. idem: Suppositum non minus abstrahit abactuali existentia, quàm natura: ergo non constituitur ipsa actuali existentia, seu in ea consistit subsistentia. Prob. ant. Antixpus enim est nunc quoddam suppositum in esse possibili; at nunc existentiam non habet: ergo. Resp. quòd æquivocat in acceptione suppositi: aut itaque suppositum dicit tantùm naturam singularem, & hoc sensu valdè impro-

priè

priè accipitur, sic enim, sicut humanitas Xpi D. est natura singularis creata, ita est suppositum; tantùm autem hoc sensu nunc Antixpus dici potest suppositum: aut accipitur suppositum eo sensu, quo humanitas à Verbo assumpta non est creatum suppositum, quia nempè non habet proprium esse personale; hoc sensu ad præsens accipitur, sed hoc sensu Antixpus nunc non est suppositum.

122 Resp. ergo neg. ant. Ad prob. ejus dist. min. non habet actu existentiam, conc. min. eo non actuale, sed possibile suppositum est: non habet existentiam, potest tamen illam habere, seu non habet existentiam in esse possibili, neg. min. Itaque eò sensu quo suppositum est, existentiam habet nempè in esse possibili, imò ex forma arguendi magis deducitur oppositum: quia enim quidditas metaphysica abstrahit ab existentia, talem quidditatem non potest habere, sed habet absolutè Antixpus; at rationem suppositi non habet, sed habere potest, nempè est possibile suppositum: ergo ea non abstrahit.

123 Arg. 4. idem: Existentia non est separabilis à natura ea in re manente; at est separabilis subsistentia: ergo ea non est ipsa existentia. Maj. ostensam supponit, quia nempè existentia ab essentia non distinguitur; ulteriùs autem ea patet, quia apertè implicat esse in re sine esse, quod est ipsa existentia. Min. constat in humanitate Xpi D. quę in re est sine propria subsistentia.

124 Resp. 1. instando: Impossibile est corpus in re esse, quia sit alicubi, ut in Phys. probatum est; sed potest in re esse sine extensione impenetrabili: ergo extensio non præstatur à quantitate, à qua præstatur esse alicubi. Resp. 2. ex hoc neg. conseq. quia etsi utrumque præstetur ab eadem forma, posset quantùm ad esse in re magis dependere ab uno effectu, quàm ab alio, quarè posset esse sine uno, non autem sine alio. Resp. 3. directè dist. maj. Non est separabilis absolutè, ita ut sit in re sine omni existentia, conc. maj. Non est separabilis hæc, ita ut sit sine hac, habeat autem aliam, neg. maj. & eodem sensu min. Itaque humanitas in Xpo D. est sine propria subsistentia, subsistit autem subsistentia Verbi, sed eodem modo est sine propria existentia.

125 Arg. 5. idem: Quæ habent diversos formales effectus diversę sunt formæ; at existentia & subsistentia habent effectus formales diversos: ergo. Prob. min. quia effectus formalis existentiæ est ponere rem extra causas, & constituere ens in actu; at effectus subsistentiæ est constituere ens per se existens, & independens ab omni subsistentante: ergo.

ergo. Resp. 1. quòd eodem modo instatur ac præcedens, quævis enim forma sub alio & alio gradu habet alium & alium effectum, ut eadem forma equi tribuit vegetare, & sentire. Resp. 2. dist. maj. quę habent diversos effectus, disparatos, & qui non possunt in eadem forma contineri, conc. maj. quę habet diversos effectus subordinatos, & qui in eodem possunt contineri, neg. maj. & eodem sensu min. quia esse extra causas, & subsistere, est esse, & hoc tali modo esse, qui subordinantur, & in eadem forma continentur, à qua præstatur hoc tali modo esse.

126 Arg. 6. Albertin. In Deo est tantùm una existentia sicut una essentia ac natura; at est triplex subsistentia, alioqui tollitur Trinitas personarum: ergo subsistentia non est ipsa existentia. Conf. Sicut Verbum assumpsit naturam humanam ad unionem personalem & propriam subsistentiam, ita tota Trinitas assumpsit, si subsistentia ipsa est existentia; sed hæc sequela est contra fidem: ergo. Patet sequela maj. si enim subsistentia ipsa est existentia, una est subsistentia, sicut una est existentia & essentia in Deo, quarè illa subsistentia Verbi erit totius Trinitatis.

127 Resp. quòd hoc arg. solvit B. D. in 3. sent. loco sup. cit. ibi enim explicat quomodo aliter est de subsistentia & suppositalitate in Deō ac in nobis: Deus itaque, quia ipsa quidditate, qua est Deus, est existens, & tali modo existens, nempè à se, & per se, ipsa quidditate essentiæ Divinę intelligitur existere & subsistere, quarè ipsa quidditas essentiæ est se ipsa formaliter existentia & subsistentia absoluta, quia tamen ex hoc non intelligitur ultimò terminata, non ex hoc suppositatur, sed relationibus, quibus ultimò terminatur, habet suppositari, quarè ipsa relatio est subsistentia personalis, & hæc triplex est; atverò natura creata non habet ex quidditate sua esse aut sic esse, quarè actualitate superaddita habet esse, & sic esse, nempè per se & subsistens, & quia ultimò terminari ab eodem habet quo sic esse habet, illud idem, quod est subsistentia, est suppositalitas.

Ad formam ergo dist. min. Est triplex subsistentia relativa & personalis, conc. min. Est triplex subsistentia absoluta, neg. min. & eodem sensu conseq. nempè subsistentia personalis in Deo non ipsa est existentia, subsistentia verò absoluta ipsa est existentia sub specialiori conceptu à nobis accepta. Quo ad Conf. patet, neg. sequela maj. & ad prob. dicitur, quòd Verbum assumpsit humanitatem ad unionem personalem, & proprium esse personale, quod triplex est in Deo, non autem ad subsistentiam absolutam, quę

una

una est totius Trinitatis, hæc enim non est personalis. Ex his poterit ad alia patere, si quæ sint.

ARTICULUS VI.

Quid addat suppositum supra naturam?

128 PRo pleniori hujus difficultatis intelligentia videndum super est, an suppositum dicat constitutivè ipsam subsistentiam, an tantúm causaliter, ita ut suppositum formaliter sit natura prout stat sub ipsa subsistentia; de utroque enim sunt sent. Prima itaque asserit nobiscum subsistentiam esse ipsam per se existentiam, docet tamen, quòd sicut existentia est extra quidditatem naturæ, ita subsistentia est extra quidditatem suppositi, quarè suppositum formaliter constitutivè tantúm importat naturam cum habitudine ad subsistentiam. Pro hac cit. Capreol. in 3. dist. 5. q. 3. Javel. in 7. Met. q. 17. & parum ab ea differt sent. N. Argent. in eodem 3. dist. 6. q. 1. art. 1. docet enim concl. 2. quòd suppositum suprà naturam non addit rem aliquam, sed modum se habendi, quem natura consequitur ab ipsa subsistentia, quarè non subsistentiam importat formaliter, sed effectum ejus, hoc idem innuere videtur N. B. D. cit. q. 5. de compos. Ang. verbis ab ipso Arg. adductis, ait enim, quòd licèt esse & proprietates ponerentur in definitione suppositi, tamen suppositum in suo significato illa non includeret, sed solùm significat naturam cum quodam modo, quem consequitur, ex quo conjuncta est ipsi esse & alijs proprietatibus hypostaticis.

129 Sed hæc sent. non benè cohæret cum his, quæ fides docet de Mysterio Incarnationis: nam in Xpo D. sub una subsistentia Divina est duplex natura Divina & humana, una autem persona & suppositum Divinum; atverò fateri necesse esset duplex suppositum, si hoc formaliter constitutivè tantúm diceret naturam cum habitudine ad esse, sive subsistentiam, aut cum modo essendi, quod ab illa habet: patet enim, quòd illa duplex natura habet aut modum essendi, aut ordinem ad subsistentiam unaquæque proprium: quandoquidem ergo unum tantúm suppositum in Xpo D. fide tenemus, hoc non naturam tantùm dicit cum modo se habendi; aut habitudine ad subsistentiam, sensum autem B. D. infrà dabimus.

130 Eliseus de mente Resol. sent. tenet quodammodo mediam inter præcedentem & alteram inferiùs explicandam, quam sic explicat dist. 2. q. 2. art. 5. distinguit formam subsistentiæ, & subsistentiam ipsam, & ait, quòd for-

forma subsistentiæ ipsa est natura completa, subsistentia autem est gradus ultimus formæ; ad modum enim quo existentiam dicit gradum essentiæ, qui est effectus formæ, & realiter gradualiter à natura sive essentia differt, ita de subsistentia philosophatur, quòd est gradus ultimus, & ultimum naturæ complementum, quod pariter est ultimus formę effectus, & se amplius explicans ait, quòd subsistentia est actus ipse subsistendi, forma verò subsistentiæ est causa formalis illius actus relinquitur ergo ex hac explicatione, quòd suppositum constitutivè importat ipsam subsistantiam, ut ponit 3. sent. non verò aliquid superadditum naturæ completę, ut intendit prima, sed naturam dicit sub ultimo gradu essendi.

131 Hæc sent. parum item à difficultate recedit, quę præcedentem premit: assumpsit enim Verbum naturam ex corpore & anima constantem, & consequenter id omne quod est gradus & perfectio animæ: si ergo suppositalitas, sive, ut ipse loquitur, forma subsistentiæ gradus est ipsius animæ, ipsam suppositalitatem assumpsit, & ad summum illa natura non habet proprium subsistere, quod est actus illius formæ, ipsam verò formam habet. In quo in primis: non benè subsistentia dicitur ipsum subsistere, subsistentia enim formam significat; nam actus, qui est effectus formæ, adjectivè significatur, nempè ita perfici aut perfectum esse; subsistentia autem significatur substantivè per modum formę perficientis. Deinde: posita formali causa non potest non intelligi effectus ejus, apud ipsum, qui effectum formæ ponit esse ipsam formam subjecto communicatam; at Verbum de necessitate assumpsit formam subsistentiæ, si hęc est gradus formæ: ergo suppositum assumpsit, quod fides non patitur. Patet min. quia assumpsit animam, & de necessitate id omne quod est aliquid ejus, cùm ea sit indivisibilis. Præterea: quod in humanitate assumpta sit ipsa forma creatæ subsistentiæ, etiam dato, quòd non sit actus subsistendi, non benè cohæret modo loquendi SS. est autem de necessitate forma subsistentiæ, si hęc est gradus formæ, quia gradus non est aliquid separabile in ipsa forma, & maximè in anima, quę, eo quod spiritualis, est omninò indivisibilis in entitate sua.

132 Tertia itaque & communis sent. docet. quòd suppositum intrinsecè constitutive importat subsistentiam naturæ superadditam. Hæc est proculdubiò sent. B. D. locis omnibus supra citatis quidquid contrarium putet N. Argent. quod ut pateat unum sufficiet locum adducere satis expressum, itaque Quodl. 2. q. 2. §. *Ex hoc ergo ita habet:* Sup-

Suppositum autem secundùm quosdam dicit ipsam essentiam non excludentem esse; secundùm alios verò dicit ipsam essentiam includentem esse; & quia includere actum aut esse, hoc est perfici per esse, vel per actum, ideo dicere possumus, quod suppositum dicit ipsam essentiam ut est perfecta per esse, rejicit autem priorem modum, quod est essentia non excludens esse: tenet ergo alterum, & idem habet in 3. dist. 6. p. 3. q. unica art. 2. & sæpe alibi.

133 Prob. deinde ratione: Nequit aliquid importare intrinsecè constitutivè effectum formæ, quin eodem modo importet formam; sed suppositum intrinsecè constitutivè importat effectum subsistentiæ, nempè subsistere: ergo. Min. ipse concedit Arg. & de se patet non enim natura secundùm se & ut per definitionem significatur potest dici suppositum, sed tantùm ut habet esse in se. Ostenditur maj. Forma non tribuit effectum suum nisi informando subjectum, & faciendo unum cum illo, non enim per influentiam sicut efficiens, sed per intimam communicationem causat; neque aliter potest intimè communicari, quàm informando & faciendo unum ex actu & potentia, cùm creaturæ repugnet illapsus; jam autem si pro priori ad communicationem effectus ipsa forma facit unum cum subjecto, patet quòd quidquid est tale constitutivè per effectum formæ, potiùs & magis importat formam ipsam.

Conf. Subjectum est tale per effectum formæ adjectivè, per formam verò ipsam substantivè; sed suppositum substantivè significatur: ergo non effectum subsistentiæ, sed subsistentiam ipsam importat constitutivè. Patet maj. quia effectus formæ est ipsum sic esse, quarè anima constituitur animal, effectu verò animæ animatum, & quamvis in multis non habeamus vocem propriam, qua significetur, eadem substantivè accepta formam significat, adjectivè verò effectum ejus. Min. ex ipsis patet terminis; & rursus, quia in Xpo D. natura humana modum se habendi habet à subsistentia Verbi, proprium nempè subsistere, quod est ipsa natura sic se habens, aut sic se habere ejus; non autem hoc est suppositum, alioqui in Xpo. D. esset duplex, sed est concretum ex natura & subsistentia.

134 Arg. 1. ex authoritate B. D. suprà citata, quam adducit N. Arg. Si enim ait B. D. quòd esse & proprietates hypostaticæ ponuntur in definitione suppositi, non verò sunt de significato ejus, non alius potest esse sensus, quàm quòd esse suppositale pertinet ad constitutionem suppositi, non verò ipsa suppo-

sitalitas, & quatenùs illud esse pertinet ad constitutionem suppositi, ponitur in definitione, quatenùs verò ipsa subsistentia, sive suppositalitas non ingreditur constitutivè conceptum suppositi, ait non esse de significato ejus.

135 Resp. quòd tractatus ille de compos. Ang. ad præsens non invenitur, & forte incuria perijt sicut alia B. D. opera, quarè ex his, quæ habet in lib. sent. & Quodl. oportet sensum ejus venari: duobus itaque modis potest sensus illius loci exponi, altero si dicatur loqui de supposito latè accepto, prout dicitur suppositum substantia singularis; sicut enim neque subsistentia neque proprietates pertinent ad conceptum singularitatis, ita non sunt de significato suppositi hoc sensu; quia tamen individuatur substantia ex ordine ad tale esse & proprietates, aut saltim ad individuationem talis ordo consequitur, ait talia in definitione suppositi poni, nempè hoc sensu accipiendo suppositum.

Alio modo, & fortè magis ad intentum ejus, potest dici, quòd erat quorundam sent. ut ipse D. alibi refert, quód suppositum dicit naturam ut includit proprietates hypostaticas, quarè ibi intendit hoc excludere, & ait, quòd talia ponuntur quidem in definitione suppositi, quatenus suppositum dicitur, quod talibus substat, non autem sunt de significato ejus, quarè ly *non sunt de significato ejus* ad ipsas proprietates hypostaticas debet referri, non ad esse, sive subsistentiam; quòd autem iste sit sensus ejus apertè colligitur ex eo quod hac via conciliantur loca ad speciem opposita, cùm alibi dicat quòd suppositum est natura ut includit esse suppositale, & sent. rejiciat, quæ ponebat, quód est natura cum ordine ad subsistentiam, seu ut non excludit tale esse.

136 Arg. 2. fundamento ipsius Arg. Suppositum est per se ens de prędicamento substantiæ, quod tamen realiter differt à natura; sed hoc utrumque tantùm salvatur ponendo, quód suppositum est natura cum modo per se essendi, quem sortitur ex conjunctione ad subsistentiam: ergo. Maj. patet, quod enim à natura differt, probatum est suprà; quod verò est de prædicamento substantiæ, ex eo constat, quia suppositum est ipsa prima substantia, de qua alia prædicantur, & quæ est fundamentum totius coordinationis. Min. ostenditur, quantùm ad 1. quidem: quia si suppositum importat rem aliam à natura, non erit ens per se, cùm ex duobus entibus in actu non fiat unum per se; aliunde tale compositum ex duobus non esset unius speciei, quale esse debet

bet ens per se de prædicamento substantiæ. Deinde quantum ad alterum ostenditur eadem min. Quia natura sola non differt à se ipsa; at verò cum modo se habendi & differt realiter à se ipsa, & non includit aliquid, cum quo faciat compositionem.

137 Resp. 1. dist. maj. Est per se ens de prædicamento formaliter, neg. maj. Reductivè conc. maj. Ad prob. autem dicitur, quod prima substantia, quæ est fundamentum, & de qua alia prædicantur, est substantia singularis, seu suppositum latè acceptum, suppositum verò propriè sumptum solùm reductivè in prædicamento ponitur. Resp. 2. neg. min. Ad prob. dicitur, quòd ex quo res conjungitur ad proprium esse suum neque fit alterius prædicamenti, neque talem facit compositionem, quod sit ens per accidens; non enim illa compositio est de linea nominali, qua fiat aliud, aut alterum, sed de linea participiali, qua idem fit taliter se habens, nempè in re existens hoc tali modo.

138 Arg. 3. fundamento, quod pro sent. Capreoli adducit P. Suar. Sicut existentia se habet ad essentiam, ita subsistentia ad naturam; sed essentia non includit in ratione suæ existentiam, eò quòd est indifferens ad existere, & non existere, sed tantùm ordinem ad illam: ergo æque suppositum includit subsistentiam, sed tantùm habitudinem ad illam, pariter enim est indifferens ad subsistendum, & non subsistendum.

139 Resp. 1. neg. conseq. non enim propositio consequens assumit extremum maj. cum maj. sit de natura, quam accipit comparativè ad essentiam, consequens verò sit de supposito, quarè syllogismus habet quatuor terminos. Rursus: falsa est etiam ratio conseq. quòd suppositum sit indifferens ad subsistendum, & non subsistendum, est enim suppositum ipsum subsistens; nisi velit suppositum accipere latè, ut est ipsa prima substantia, sive substantia singularis; hæc enim verum est quòd non includit ipsam subsistentiam, sed tantùm ordinem ad illam, non verò de supposito agimus hoc sensu; patet enim, quòd humanitas à Verbo assumpta est substantia singularis, & prima, non autem suppositum. Resp. 2. neg. maj. æquè enim essentia ad existentiam, & subsistentiam comparatur ad existentiam nempe ut est essentia, ad subsisten-

tiam verò ut est hæc talis essentia, scilicet, substantialis & completa; natura verò, ut ab essentia differt, non ad esse sive existentiæ, sive subsistentiæ, sed ad operari comparatur. Cætera, si quę sint, ex his poterunt solvi.

***

DISPUTATIO TERTIA. DE ENTE RATIONIS.

PARIBUS, UT AJUNT, DD. SUFFRAGIJS LOGICA; & Metaphysica hujus disp. materiam sibi vendicant; huc tamen voluimus reservatam, quia licèt secunda intentio, de qua agit Logica, sit potissima species entis rationis, multa alia sunt, quæ omninò ad Log. non pertinent, quarè ipsi etiam DD. qui de ente rationis in Log. tractant, fatentur ad Metaphysicam pertinere: directè quidem ad objectum Metaphysicæ non pertinet; ens enim æquivocè dicitur de reali & rationis, quarè Phil. lib. 6. tex. 8. prætermittendum dicit, quia tamen facultas quælibet habet indirectè de his determinare, quæ sunt obliquitates objecti sui, cùm ens rationis sit quædam obliquitas & deviatio à ratione entis, de eò hac ratione agemus. Difficilis quidem æquè ac inutilis hæc determinatio est, ne autem pars ista desideretur, omninò prætermissam nolui: breviter ergo, quę sufficere videantur ad ejus notitiam habendam, ad duo capita revocabimus, nempè de ipso ente rationis, & de causis ejus.

*** *** *** *** ***

QUÆS.

QUÆSTIO I.
DE
ESSENTIA,
ET EXISTENTIA
ENTIS RATIONIS

ARTICULUS. I.

An detur ens rationis ?

1 ENS dicitur ab esse quarè quod esse habet ab intellectu, ens rationis dicitur: tribus autem modis potest ab intellectu esse habere; aut subjectivè, aut effectivè, aut objectivè: subjectivè dicitur esse ab intellectu habere, quod in ipso est ut in proprio subjecto, ut species intelligibiles, & habitus intellectuales; effectivè verò, quod ab ipso intellectu causatur, ut actus intelligendi, not. autem quod ut disp. 3. de An. diximus, intellectus non habet influentiam in actus suos, quarè latè debet accipi ly *effectivè*, prout est idem ac causaliter: objectivè tandem esse dicitur ab intellectu, quod tantum esse habet quia ab eo attingitur, ut cum quis concipit hircocervum; tale enim imaginatum, neque in re est aut esse potest, neque aliud esse habet, quàm concipi ab intellectu, & illi objici.

2 Quod hoc 3. modo tantùm esse habet, dicitur ens rationis; quod enim subjectivè, aut causaliter est, ens reale est, licèt cum addito, nempè intentionale; siquidem verè est in re secluso actu intellectus, licèt non sit in re extra: definitur ergo communiter ens rationis: *Quod tantum habet esse objectivè in intellectu.* Dicitur autem *tantùm*; quia quod esse habet, aut habere potest præter ipsum objici, ens reale est actuale aut possibile existere; nulla enim existente rosa concipit intellectus rosam, & tunc ea non habet esse in actu præter id, quod in

in cognitione habet, nihilominús autem non est ens rationis, quia illud esse quod intellectus concipit, & per definitionem rosę significatur, licèt non sit actu in re, potest esse, quaré essentia aliqua realis est, quodsi dicitur ipsum posśibile esse ens rationis, eò est, quia intellectus illud accipit contradistinguendo à causa in qua continetur; in actu enim nihil est nisi ipsa causa potens causare, quarè hoc quod intellectus concipit aliud à causa figmentum est, quod tantum objectivè in intellectu existit, & hoc eodem sensu, si intellectus, rosa non existente, illam concipiat tanquam aliquod ens in actu, hoc esse, quod illi tribuit est ens rationis.

3 Patet itaque quòd non est de ratione entis rationis, quòd nec fit neque esse posśit in re, ut aliqui supponunt; quod enim esse potest in re, est quidem realis quidditas metaphysicè accepta, si autem hoc intellectus accipiat tanquam aliquid in actu, tunc est ens rationis, quia in actu non aliud esse habet, quàm objectivum, & quod, cùm non sit, accipitur ac si esset. Patet item non esse verum quod aliqui etiam supponunt, nempè quòd ens rationis est medium inter ens & nihil, quasi ens rationis aliquid importet ultra nihil, nempè esse objectivum. Hoc, inquam, non quoad ens enim & nihil sunt formaliśimè ens, & non ens, inter quæ non est accipere mediũ: illud ergo esse objectivum nihil est & non esse, quod intellectus actu suo accipit ac si esset, quarè prę-ter actum intellectus nihil est.

4 Docent ergo aliqui, quòd tale ens omninò non datur, & quod potest quidem lingua proferre, non autem intellectus concipere hircocervum, quarè quod nos ens rationis dicimus, vocant entia linguæ. Hanc sent. tenet Caram. in Log. & pro eadem cit. Vallęs. Mairon. & alij apud Mast. hic. Sed ut benè obśervat P. Arriaga, de hoc non nisi de nomine esse potest controversia, imò neque de nomine: hoc enim loquela nostra à sonis etiam articulatis, quos aliqua formant bruta, aut aves, quod nos concipimus, & saltim de ipsa voce conceptum formamus: si ergo possumus hircocervum voce proferre, possumus proculdubiò mente concipere; non enim illam vocem proferimus tanquam non significativam, sed concipimus ipsam aliquid significare, & significatum ejus mente distinguimus à significato cujusvis alterius. Communis ergo cæterorum sententia talia entia dari affirmat.

5 Dicendum ergo, quòd dantur entia rationis. Prob: communi ratione: Intellectus noster non solùm habet cognitionem veram, qua attingit quod est, &

ut

ut est, sed etiam habet cognitionem falsam, qua aut attingit quod non est ac si esset, aut modo quo non est, ac si ita esset; sed hæc secunda format de necessitate ens rationis: ergo. Major erat, si quis negaverit, ipsa negatione probat, errat enim manifestè, cùm experientia nos doceat sæpissimè in cognoscendo falli. Min. ex ipsis patet terminis, qui enim concipit quod non est ac si esset, id concipit quod tantùm objective in cognitione sua est, neque aliud esse habet, quàm quod illi tribuit cognitio. Mitto alia, superfluum enim est rationes multiplicare pro ostendenda re ferè per se evidenti.

6 Arg. 1. Caram. quem cum omnes pro contraria sent. adducant, nullus tamen fundamentum ejus attingit: Impossibile est actum accipere alicujus potentiæ, qui non terminetur ad objectum ejus, sed ita esse actus intellectus, quo formaretur ens rationis: ergo talis implicat. Patet maj. objectum enim adæquat latitudinem potentiæ, ut extra ipsum illa non possit exerceri. Prob. min. Objectum intellectus est verum; sed actus quo formaretur ens rationis, non attingeret verum: ergo. De maj. nullus dubitat. Min. autem ex terminis patet, siquidem dicitur ens rationis contra verum ens.

7 Ad hoc arg. multipliciter posset responderi: 1. dicitur N. Manf. quòd falsa est min. cum sua prob. ipse enim constituit ens rationis per esse verum prè objectivum ut videbimus infra. Sed præterquamquod in hoc à communi cæterorum recedit, relinquitur difficultas de ente rationis sine fundamento. Posset item dici, quòd actus potentiæ non deficiens debet attingere objectum suum; actus verò deficiens, sicut deficit à rectitudine, quam debebat habere, ita à scopo deviat objecti sui, quare illud non attingit. Sed hæc solutio difficultatem relinquit, quòd nempè objectum adæquatum non erit adæquatum; exercetur enim potentia extra illud per illum actum, quo deviat: non ergo objectum ejus id est, à quo deviat, sive ipsa non potest ab objecto suo deviare.

Potest 3. dici, quòd objectum intellectus adæquans latitudinem ejus non est verum, sed intelligibile comprehendens utrumque, verum, scilicet, & falsum, quare ens rationis sub intelligibili comprehenditur, & ad objectum intellectus pertinet. Sed neque hæc solutio subsistit: quia quæritur quid est intelligibile? Nihil autem illa voce significatur, nisi quod potest intelligi, quarè relinquitur sensus quod est objectum intellectus id quod potest intelligi, & hic sensus nugationem facit & principium petit; de hoc enim quæritur quod potest intelligi, & quia quod potest intelligi

telligi nihil amplius explicat, quàm objectum intellectus, sensus erit quod objectum intellectus est objectum intellectus. Præterea: quod non est, non est intelligibile, quia intelligibilitas supra esse fundatur, & illius est passio: sicut ergo ens rationis non habet esse, ita neque intelligibilitatem.

8 Resp. itaque ad arg. dist. maj. Qui non terminetur ad objectum ejus, aut ex parte rationis quę attingitur, aut ex parte rationis sub qua, conc. maj. Præcisè ex parte rationis quæ attingitur, neg. maj. & eodem sensu min. Ad prob. eodem sensu dist. min. non attingeret verum ex parte rationis *quæ*, conc. min. Non attingeret ex parte rationis *sub qua* neg. min. Itaque debet actus potentiæ terminari ad objectum ejus, sed non oportet quod id, ad quod terminatur, verè & in re habeat rationem objecti, sed sufficit, quòd potentiæ objiciatur ut illam habens, tunc enim sub ratione objecti sui attingit, quamvis contingat falli, quia putat talem rationem verè esse ubi ea non est, & tunc ratio quę attingitur talis non est, attingitur vero sub ratione talis; ita est de actu, quo formatur ens rationis, non enim id verum ens est, attingitur autem ad modum veri entis & ac si esset tale, quare sub ratione veri entis.

9 Arg. 2. In quolibet objecto intellectus prius est esse, quàm cognosci, imò quàm esse cognoscibile; sed in ente rationis esse non potest prius esse, quàm cognosci: ergo tale nequit esse objectum intellectus. Patet maj. quia esse est fundamentum cæterorum. Patet item min. si enim ens rationis tantùm habet esse objectivè, tantùm est vi cognitionis, cui objicitur, & consequenter in eo non est prius esse, quàm cognosci. Conf. Objectum causat actum, quo cognoscitur, quia ab utroque notitia paritur à cognoscente & cognito, ut ait S. P. sed ens rationis nequit causare actum, quo cognoscitur, cùm esse non possit prius ipso actu: ergo nequit esse objectum intellectus.

10 Resp. neg. maj. quæ tantùm vera est de objecto motivo, non autem de purè terminativo; motivum, quia per se & ratione sui est objectum, debet habere aliquod esse, quo moveat; terminativum verò, quia non per se movet, sed alio movente ipsum terminat, non requiritur, quòd esse habeat pro priori ad cognitionem. Ad prob. dicitur, quod esse est fundamentum cæterorum, quæ re ipsa conveniunt, & in re aliquid sunt; non autem tale est terminare actum, quod tantum habet ens rationis. Ad Conf. dicitur eodem modo, quòd objectum motivum causa est actus, quo cognoscitur, & de hoc loquitur S. P. non verò parè ter-

minativum.

11 Arg. 3. Si daretur ens rationis, negatio entis rationis esset ens rationis; sed hoc apertè implicat: ergo. Patet min. est enim manifesta contradictio quòd negatio rei sit res, seu quod non esse sit esse. Ostenditur maj. Tunc enim negatio entis rationis posset ab intellectu apprehendi; sed sic apprehensa haberet esse tantùm objectivè in intellectu, cùm negatio non alibi sit, aut esse possit: ergo. Multa adducit N. Manso in confirmationem hujus argumenti, quæ mittimus, quia eandem difficultatem habent. Resp. dist. maj. Negatio entis rationis secundùm se esset ens rationis, neg. maj. Si apprehenderetur ad modum entis, conc. maj. & hoc sensu min. Ad prob. dicitur, quòd negatio entis rationis apprehensa ad modum entis non est extremum contradictorium & non esse entis rationis, sed aliud figmentum disparatè se habens ad ipsum ens rationis. Itaque negatio apprehensa ut negatio & ut non esse, non est ens rationis, terminat enim cognitionem veram; & in ea non habet esse objectivum, sed potiùs non esse.

12 Arg. 4. Nulla potest causa assignari entis rationis: ergo id non debet admitti. Patet conseq. non enim à se est & incausatum, quarè aut ab aliquo causatur, aut omninò non datur. Prob. ant. Si quæ illius est causa, maximè intellectus; sed intellectus nequit esse ejus causa: ergo. Prob. min. quia intellectus realis causa est, & realem causalitatem habet; sed ens rationis realem causalitatem non terminat: ergo. Eodem argumento probaretur, quod non debet admitti peccatum; hoc enim pro formali non terminat realem causalitatem, cùm sit defectus & non esse; voluntas autem realis causa est.

13 Resp. neg. ant. ad prob. neg. min. Ad prob. dicitur, quòd intellectus non solùm veram causalitatem habet erga actum suum, sed metaphoricam etiam erga id, quod tali actu formatur, quando ipse intellectus deficit & apprehendit quod non est, ac si esset, tunc enim illo actu attribuit objecto apprehenso esse quod non habet: sicut ergo de peccato ait S. P. quòd non habet causam efficientem, sed deficientem, quia peccat voluntas deficiendo, ita dicere possumus de ente rationis, quia deficiendo & errando illud format intellectus, & sicut peccatum, quia ejus esse est non esse, veram causam non habet, sed magis ipsum peccatum causare est non causare, sed deficere à debito, ita ens rationis veram causam non habet, sed ipsum causare est errare, & à debito deficere, nempè apprehendere quod

quod non est ac si esset.

14 Arg. 5. Inter extrema contradictionis non potest medium admitti; sed tale esset ens rationis: ergo. Prob. min. Ens & nihil opponuntur contradictorie; sed ens rationis mediat inter ens & nihil: ergo. Patet hæc min. quia ens rationis non est ens; aliunde autem neque est nihil, habet enim esse objectivum, & concipitur ac si esset ens. Resp. neg. min. Ad prob. pariter neg. min. Ad rationem ejus dicitur, quod apprehendi ad modum entis non est esse, quarè ens rationis purum nihil relinquitur, quod apprehensione errante concipitur ac si esset, quodsi dicas, apprehensio sic accipiens accipit medium inter ens & nihil; æquè autem repugnat esse, & apprehendi. Resp. dist. min. æquè repugnat esse & apprehendi apprehensione vera, conc. apprehensione errante, neg. eò enim illa apprehensio errat, quia apprehendit ac si esset, quod non est, neque esse potest. Ex his poterit ad alia patere.

***

tat, neque res aliqua est, cui talis denominatio attribuatur. 2. quia denominatio extrinseca nulla est ens rationis, nisi cognitio aliqua malè accipiat aliquid in re denominata, & tunc non denominatio, sed hoc figmentum, quod malè accipitur, est ens rationis: quòd enim Petrus denominatur visus à visione, si intellectus apprehendit ut debet, nullum involvit ens rationis, sed visionem tantùm in oculo videntis: tantùm ergo ibi est ens rationis, quatenus intellectus accipit aliquid esse in Petro, hoc quod est ipsum dici visum, & tunc hoc est ens rationis.

17 Dices autem: saltim denominatio cogniti à cognitione falsò cognoscente erit ens rationis. Negatur etiam: licèt enim cognitio erret in cognoscendo rem aliter ac est, res ipsa cognoscitur hoc modo, & illa denominatio nihil involvit quod sit ens rationis, sed est tantùm ens rationis, quod cognitione errante fingitur, & in ea objectivè repræsentatur, quod non est denominatio cogniti: v. g. concipit intellectus denominationem visi aliquid esse in Petro, hæc cognitio falsa est, non autem falsum est quod ea terminatur ad Petrum, quarè tantùm est ens rationis id, quod apprehenditur Petrus habere ex denominatione visi: quod ergo DD. hujus sent. dicunt, & ex quo potissimè moventur, quòd nempè denominatio extrinseca nihil ponit in re denominata, verum est, sed ipsum nihil non est ens rationis, nisi quatenus apprehenditur ut aliquid, cùm enim ut nihil & non esse apprehenditur, non habet esse objectivè in intellectu, ipsi enim intellectui tunc repræsentatur non esse, & hoc apprehendit.

18 Secunda sent. docet, cõsistere ens rationis in aggregato ex entibus realibus & cognitione falsò adunante, v.g. hircocervus est ens rationis, quia importat reales naturas hirci & cervi, & cognitionem, qua falso accipitur ut una. Pro hac cit. Heric. Sfort. Linz. & alij ex DD. Soc. Hęc item à reliquis rejicitur: totum enim aliud est à partibus & unione: non ergo in naturis, quæ se habent ut partes, & cognitione, quæ se habet ut unio, sed in toto consistit, quod illa unione fingitur. Præterea: tam naturę reales, quam cognitio falsa in re sunt; at ens rationis in re esse esse nequit: non ergo in illis consistit. Rursus: aut illi cognitioni duplex natura repręsentatur ut duplex; aut ut una natura: si illud primum, neque cognitio est falsa, neque ens rationis format, sed forte monstrum in uno corpore utriusque naturæ aliquid habens: Si autem secundum, tunc illa natura figmentum est tantum objecti-

jectivè in intellectu existens, & in hoc consistit ens rationis.

Ulterius: sine ullo fundamento aliquid fingit intellectus, in quo nulla est aggregatio ex entibus realibus, ut si fingat alium Deum; sed hoc proculdubiò erit ens rationis: ergo. Similiter cum fundamento in re concipit in Deo v. g. relationem creatoris; hæc rationis est, licèt enim Deus verè creator sit, & creaturas produxerit, ex hoc nullam habet in se ipso relationem, quarè si ab intellectu accipitur relatus, illa relatio est rationis; ibi autem nulla intervenit aggregatio ex entibus realibus, sed tantùm concipere ut veram relationem, quæ relatio non est: ergo. Neque dicas ens rationis hic consistere in copulato ex illa relatione & Deo, quod copulatum falsa cognitio facit. Non enim complexum ex utroque, sed relatio ipsa creatoris est ens rationis.

19 Tertia sent. docet, ens rationis, quod fundatum dicitur, sive cum fundamento in re, consistere in esse vero purè objectivo contradistincto ab ente reali & ficto, fictum autem in illo esse objectivo quod falso illi tribuit cognitio fingens. Ita tenet, & latè propugnat N. Manf. in Log. trac. de ente rationis q. 2. eandem tenent Sonc. in 6. Met. q. 18. Lalem. disp. 2. Log. part. 1. & apud ipsum Pet. Nig. in clip. q. 5. Hæc sent. quam totis viribus conatur stabilire N. Manf. & B. D. attribuit, latiùs expendenda est §. sequenti, interim tamen: Si ens aliquod rationis consistit in esse vero, cognitio illud apprehendens vera est, v. g. cognitio apprehendens in Deo ut est creator relationem temporalem, aut in natura universali relationem ad inferiora sua vera est, si enim illa cognitio falsa est, tunc aliter cognoscit ac est in objecto, quarè relationem apprehendit ubi nulla est relatio, & sic illam fingit, & ea consistit in esse ficto; at si vera est illa cognitio, tunc illa relatio non est rationis, sed realis, quæ nempè verè & re ipsa datur in objecto cognito: ergo implicat relationem esse rationis, & habere esse verum.

20 Resp. autem N. Manso, quòd illud esse verum est purè objectivum, hoc est repræsentatum cognitioni, quarè non rei convenit in se ipsa extra, sed tantùm ut est in intellectu & cognitioni repræsentatur. Sed contra: aut illa species in qua intellectui repræsentatur objectum, est plenè conformis ipsi objecto, aut non: Si primum, objectum debet in se ipso habere relationem, quam intellectui repræsentat species, & sic illa relatio non est rationis, quippè datur in objecto extra: Si autem dicatur alterum, tunc cognitio est falsa, quæ nempè aliter concipit ac objectum in se ipso habet, scilicet concipit rela-

relationem ubi nulla est relatio, & consequenter illa relatio non in esse vero, sed in esse ficto consistit.

21 Resp. iterum, quòd illa relatio non ex natura rei est sive objecti, sive speciei, sed ex modo concipiendi intellectus nostri de necessitate consequitur, puta quia intellectus noster concipit præcisivè, & prædicatum universale sine particulari, ex hoc modo concipiendi illud prædicatum, quod sine altero concipitur, ad alterum se habet, & in eo ex hoc concipiendi resultat relatio: quia ergo illa relatio verè resultat, ea non in esse ficto, sed in esse vero consistit objectivo & ibi repræsentato; quia tamen non consequitur ad rem in se ipsa, aut ex natura rei, sed ut ea est hoc modo concepta, si intellectus apprehendat rem in se ipsa veram relationem habere, fallitur & fingit, non autem fallitur, si apprehendat rem habere relationem ut intellectui repræsentatur.

22 Sed contra: 1. hoc non tollit factum dilemma: aut species expressa est imago prædicati cogniti ut in se est, & sic non habet relationem, quarè ea non resultat, sed cognitione fingitur, quatenus cognitione attingitur ubi nulla est; aut species expressa ex modo cognitionis nostræ prædicatum repræsentat cũ relatione, quam in ipso objecto non habet, & tunc falsa est cognitio, quæ nempè objectum attingit aliter ac est, & hoc item modo illa relatio cognitione fingitur. 2. relatio, quæ verè consequitur, realis est, & ad hoc est de materiali, quod ad rem extra, aut in intellectu consequatur, si tamen verè consequitur, & non cognitione apprehenditur esse ubi non est; sed illa relatio verè consequitur: ergo realis est. Patet maj. ut enim non aliunde exemplum quæramus, illa eadem species expressa quatenus qualitas quædam est intentionalis cum alia habet similitudinem, & hæc similitudo realis relatio est, quia verè consequitur, quamvis nonnisi ex actu cognoscendi, quo ipsa species formatur: si ergo eodem modo consequitur illa relatio ad inferiora sua, eodem modo erit realis, & consequenter non potest habere esse verum, & purè objectivum, sive rationis.

Tota itaque æquivocatio illius doctrinę ex ipso B. D. textu ortum ducit, aliquando enim B. D. relationem rationis dicit quod in re est relatio secundum dici, quatenus ex illo modo relativo, quem res in se ipsa habet, qui quidem relatio non est, intellectus relativè accipit, & veram concipit relationem, ista relatio rationis est, sed ficta, & concepta ab intellectu ubi non est, imo neque esse potest, & eò non esse verum, sed fictum & purè objectivum

ctivum habet: ita est in proposito; ex quo enim intellectus prædicatum universale sine particulari accipit, non tollitur quin illud prædicatum eadem essentia sit cum particulari, quarè veram relationem habere non potest, quæ de necessitate est ad aliud, sed ex illo modo concipiendi habet modum relativi, & relationem secundum dici, quarè intellectus relativè concipit, & sic concipiendo relationem format ubi nulla est, quarè ea tantùm objectivè esse habet, non autem verum, sed fictum.

23 Quarta itaque sent. docet, consistere ens rationis in esse ficto ipso actu cognoscente quod non est ac si esset, alioqui non purè objectivè esset. Pro hac non opus est AA. referre, ea est communis cæterorum. Pro intelligentia autem ejus not. quòd esse fictum non sic debet accipi quod sit aliquod figmentum data opera ab intellectu formatum sicut cum hircocervum fingit, fingere enim nihil est aliud quam cognoscere quod non est ac si esset, quod multoties intellectus facit cum fundamento in re ipsa, imò etiam cum fundamento necessitate ipsum sic cognoscere, ut cum relativum secundum dici relativè concipit; tunc enim objectum in se relationem non habet, sed quandam relativi similitudinem, sed ex hac cogitur intellectus relativè cognoscere, & quamvis actu reflexo cognoscat, quòd illa relatio rationis est, & quam objectum non habet, actu tamen directo eodem modo concipit ac relativa, quarè relationem ipse format sic concipiendo, & eò illa dicitur habere esse fictum, nempè quod in se nullum est, & tantum cognitione formatur.

§. II.

Probatur nostra conclusio.

24 Dicendum, quòd ens rationis, etiam cum fundamento, non consistit in aliquo esse vero præcedente cognitionem qua cognoscitur, & resultante ex cognitione directa, sed in esse ficto, seu formato ab intellectu cognitione, qua cognoscitur quod nō est ac si esset. Hæc conclusio quantùm ad ens rationis sine fundamento, quod eò dicitur fictum, nullam habet controversiam, quarè tantùm probanda est de ente rationis cum fundamento, & quia hoc potissimè est secunda intentio logica, jam ea potest constare ex dictis in Log. ubi abundè probatū est, quòd talis secūda intētio non actu directo fit, quasi ex eo resultet, sed actu reflexo, quo ea cognitione formatur, nihilo minùs, quia contendit N. Manso sent. suam esse de mente B. D. iterum ex eo probabimus, & locum potissimè expendemus, ex quo

quo suam deducit N. Manso.

25 Prob. ergo 1. ex B. D. in Quodl. 2. q. 6. qua quærit an aliqua essentia se habeat per indifferentiam ad esse & non esse? Refert quorundam positionem, quòd natura habet esse tripliciter, nempè esse naturæ, ut est in re; esse rationis, ut est in intellectu; & esse essentię, ut accipitur secundum se, subjungit: *Sed hoc non videtur benè dictum, res enim considerata secundum esse essentiæ habet esse rationis; intellectus enim est, qui fertur in ipsam essentiam secundum se, ipsa enim essentia creata secundum se non habet esse, sed tantùm considerationem apud intellectum.* En esse rationis eò probat, quia non alibi aut aliter est, quàm in consideratione intellectus. Deinde statuto quod illud esse essentiæ est intentio prima, universalitas ejus est intentio secunda, procedit explicare quomodo hæc secunda intentio formatur, ait itaque: *Redeamus ergo ad propositum, & dicamus, quòd intellectus primo aspectu fertur in ipsam essentiam secundum se sive in ipsum esse essentiæ, sed propter istam lationem & istum aspectum ipsa essentia non apprehenditur ab intellectu ut est quid universale; sed quando intellectus se convertit super ipsum esse essentiæ, & videt quod illud est commune multis, tunc dicit, quod illud esse est quid universale.*

Intendit itaquè B. D. quòd universalitas, quæ est secunda intentio, non aliter naturæ convenit, quàm ex eo quod intellectus actu reflexo se convertit supra prædicatum precisivè cognitum, sive secundum esse essentiæ, & videt, quòd illud prædicatum est commune multis; hoc autem videt comparando ad multa & relativè concipiendo: sic ergo concipiendo format relationem rationis. Quod ex verbis ejus apertè colligitur, ait enim: *Ideo cognitio essentiæ est intentio prima, dico prima, quia est objectum intellectus secundum lationem primam; cognitio autem universalitatis est intentio secunda, dico secunda, quia est objectum intellectus non secundum lationem primam, sed prout reflectit se super illud quod cognovit, & videt ipsum esse commune multis.* En item intentio secunda eò talis est, quia est objectum intellectus latione, seu actu secundo, quo ipsa cognoscitur, non enim ens rationis posset esse objectum motivum & præcedens, ut infrà dicemus.

26 Ex hoc autem loco N. Manso suam sent. deducit, quatenus ait D. quòd quando intellectus se reflectit supra prędicatum directè cognitum, tunc videt quod est commune, & dicit illud esse quid universale: ergo prius ipsam universalitatem prius habebat illud prædicatum, quàm

nunc

sunc cognoscit intellectus: distinguit itaque de ipsa secunda intentione quantùm ad esse, & quantùm ad cognosci, & ait quod ens rationis, de quo loquimur, nempè secunda intentio, quantùm ad cognosci quidem non est nisi in actu reflexo, quo cognoscitur, quantùm ad esse autem est pro priori, nempè resultat ex ipso actu directo, sive ex prædicato præcisivè cognito, quare ait D. quòd quando intellectus se reflectit supra prædictum cognitum, tunc videt universalitatem & secundam intentionem, quæ ibi erat, nempè resultata & consequuta ex actu directo, & tunc dicit illud prædicatum esse quid universale, quod pertinet ad cognosci.

Sed ista deductio contra intentum & mentem est ipsius B. D. quod 1. ex ipsis patet verbis ejus, ait enim: *Sed ut postea intellectus se reflectit supra res, & videt quòd prædicantur de pluribus, sic habent esse universale formaliter, & sic accipitur universale ut est subjectum intentioni universalitatis.* En non de cognosci loquitur, sed de habere esse, & de ipso subjici intentioni, & ait tantùm rei convenire vi actus reflexi, quo ipsa universalitas & secunda intentio cognoscitur, quia nempè non aliud habet esse quam cognosci. Deinde: relationem similitudinis ad aliam speciem, aut dependentiæ ad intellectum, à quo causatur, non aliter hæc species habet nisi resultatam ex priori actu directo, quo ipsa species formatur, neque aliter hæc relatio cognosci potest, quàm actu reflexo, ea enim resultat post actum directum; at patet, quòd ista relatio realis est dependentiæ effectus ad causam suam, neque ea dicetur tantùm objectivè esse in intellectu, quamvis non aliud esse habeat, quàm repræsentari in illa specie: si ergo hoc totum de secunda intentione verificatur, non est cur ea dicatur ens rationis, aut tantùm objectivè in intellectu esse: non ergo ille esse potest sensus, quem intendit B. D.

27 Prob. 2. ex eodem B. D. in 1. dist. 30. q. 1. art. 3. ex quo item suam deducit conclusionem N. Manso, ubi sic habet: *Ut si aliquis intellectus intuendo se sensui apprehendit Sortem vel Platonem, huic apprehensioni immediatam fundamentum res extra respondet; postmodum, quia cognoscit intellectus quòd hoc apprehensum non prædicatur de pluribus, nominat ipsum individuum*; at si illa relatio, in qua consistit secunda intentio ex actu directo resultat, non quia cognoscit prædicari, aut non prædicari, sed quia cognoscit ipsum secundam intentionem debere sic nominare: non ergo ita resultat,

sed quidditas prima cognitione attacta ita se habet, quod modum relativi, aut relationem secundum dici habet ad plura, aut ad unum tantùm, & ex hoc fundamentum habet intellectus ut cognoscat relativè, & sic cognoscendo formet relationem.

Rursus: ibidem postquàm distinxit quæ immediatum fundamentum habeat in re ab his quæ immediatum in anima, & mediatum in re habent, qualiter se habere ait entia rationis, ita subjungit: *Hæc autem quæ non immediatum fundamentum in re habent, duplex esse habent: quia quædam sunt, quæ intellectus ex sua subtilitate investigando perquirit, & hæc sunt nomina secundæ impositionis, vel intentionis; alia sunt, quę intellectus non ex sua subtilitate investigando perquirit, sed ex suo modo intelligendi ipsa de necessitate consequuntur, & hujusmodi sunt relationes secundum rationem*, nempè in Deo. Ex hoc loco deducit N. Manso: si ergo investigat, non ipse formar, aut cognoscendo fingit, sed apud se resultatas ex primo actu quærit atque investigat actu reflexo, quo eas cognoscit. Sed deberet potius oppositum deducere: si enim resultatas adinvenit: ergo ex suo modo intelligendi de necessitate consequuntur & resultant: si ergo D. secundas intentiones distinguit contra ea, quę de necessitate consequuntur, ipsæ secundæ intentiones non consequuntur.

Sensus itaque, quem intendit D. hic est, quòd in his quæ sunt relativa secundùm dici, v. g. Deus ut creator non relationem habet in se ipso, modum tamen relativi habet, quo exigit concipi ad ea quæ creavit, in his, inquam, cogitur intellectus relationem rationis formare, quia cogitur concipere relativè, quod in se relationem non habet, quatè hujusmodi relationes ait D. de necessitate consequi; atverò secundas intentiones ab istis distinguit, puta universalitatem in prædicato præciso non cogitur intellectus formare, illud enim prædicatum in se est absoluta quidditas, puta principium sentiendi, & si ad inferiora sua habet etiam in se modum relativum, seu relationem secundum dici, cognoscere autem comparativè ad inferiora sua liberum est & ex subtilitate ipsius intellectus, qui posset tantúm cognoscere ut est principium sentiendi, in quo nullam importat relationem, aut modum relativi: si ergo hæc ab illis distinguit D. manifestè tenet, quòd istæ relationes non resultant, sed cognitione formantur, quamvis illæ etiam non resultent, ut ex dictis patet.

28 Prob. 3. à ratione: Si ens rationis, de quo loquimur, non

non cognitione ipsa formatur, qua apprehenditur esse ubi non est, sed pro priori ad talem cognitionem resultat, tale non est ens rationis; sed hoc est aperte contradictio, quòd nempe ens rationis non sit ens rationis: ergo. Prob. maj. Ens rationis, de quo loquimur, est relatio rationis; sed si hæc non cognitione ipsa formatur, sed resultat pro priori ad ipsam cognitionem, qua cognoscitur, tunc non est relatio rationis, sed realis: ergo. Patet maj. quia loquimur de ente rationis cum fundamento, de ente enim ficto, sive chimerico, aut sine fundamento nullus dubitat; at ens rationis cum fundamento tantùm agnoscitur relatio, ut patebit inferius. Prob. ergo min. 1. quod ex se relationem habet, non ratione, sed re ipsa refertur; sed id, quo posito relatio resultat, ex se relationem habet: ergo. Patet maj. non enim à ratione dependet ut relationem habeat, sed tantùm ut sit ipsum fundamentum. Min. item patet, si enim relatio resultat, ea ex ipso prædicato est ex quo resultat. Prob. 2. eadem min. Tunc enim intellectus actu suo tantùm habet ponere fundamentum, ex quo relatio resultat; sed hoc non sufficit ut illa relatio sit rationis: ergo. Maj. ipsa est doctrina contrariæ sent. & si ipsam relationem ponit, hoc est quod intendimus. Min. patet paritate & ratione: paritate quidem; quia ab intellectu ponitur fundamentum, ex quo resultat relatio effectus ad causam suam in ipsa specie expressa, seu actu intelligendi, quia tamen illa relatio non actu intellectus formatur, sed ex fundamento posito resultat, realis est: ergo si secunda intentio resultaret, esset etiam realis. Ratione item: quia relatio dicitur rationis eò quòd à ratione esse habeat; at ex quo intellectus fundamentum ponat, si ex eo ipsa resultat, non á ratione, sed ex natura fundamenti sui esse habet: ergo.

Conf. 1. Relatio conformitatis & adæquationis, in qua consistit veritas intellectus realis est, ut expressè habet B. D. disp. 1. adductus, & concedit ipse Manso; sed hæc illo eodem modo dependet ab intellectu ac relatio rationis in sent. N. Manso, & relatio rationis eodē modo resultat ac ista: ergo relatio rationis, nō rationis, sed realis est, si ita resultat. Prob. min. quantū ad primū: quia sicut secunda intentio in sent. N. Manso non resultat nisi quatenus per actum directum ponitur fundamentum ejus, nempe prædicatum præcisum, ita illa relatio, in qua consistit veritas formalis non nisi posito per actum directum fundamento resultat, est enim relatio conformitatis rei prout concepta ad se ipsa

ipsam extra. Quantùm ad secundum item: quia sicut posito fundamento, nempè re ut in conceptu, resultat conformitas ad se ipsum extra, & non ea fit actu, quo cognoscatur, ita posito fundamento, nempè prædicato præciso, resultat in illa sent. relatio ad inferiora sua, quæ est unive salitas: si ergo illa relatio, in qua consistit veritas, realis est quia sic resultat, idem dici deberet de secunda intentione, sive relatione rationis.

Conf. 2. Quod aliqua relatio sit rationis hoc est formalissimè, quod fundamentum ejus non se ipso referatur, sed tantum ratione comparante, & referēte; sed si relatio resultat antequam intellectus comparativè & relative cognoscat, non ratione referente, sed se ipso relationem habet illud fundamentum, si autem non resultat, sed tantum habet esse ex quo intellectus relativè cognoscit, non habet esse verum, sed fictum, & quod intellectus format cognoscendo relativè, quod relationem non habet: ergo. Maj. patet ex terminis, si enim ex se & non ratione referente refertur, non ratione refertur. Min. item patet, quantum ad 1. q. idem: quia si priusquam intellectus referat & comparet resultat relatio, tunc eam ex se habet fundamentum. Quantum ad 2. item: quia si non aliter illam habet nisi quatenus intellectus relativè concipit, ipse sic concipiendo relationem ponit in re, quæ illam de se & in se non habet, quod est relationem fingere.

29 Prob. 4. Ens rationis habet esse purè & tantum objectivè in intellectu; sed illa relatio quæ ex cognitione præcisiva resultaret non esset ita: ergo. Prob. min. 1. Illa relatio non cognoscitur cognitione directa; sed aliunde esse habet ante cognitionem reflexam: ergo illud esse quod habet non est purè objectivum. Maj. ipse concedit N. Manso, & de se patet, resultat enim ex cognitione directa & præcisiva, quarè illa non attingitur. Min. ipse etiam concedit, quia illa relatio quantum ad esse est actu directo, & tantum quantum ad cognosci pertinet ad actum reflexum. Conseq. autem manifesta est, quia præter esse quod habet quando cognoscitur, quod est esse objectivū in intellectu, aliud esse habet prius, vi cujus præcedit quantum ad esse: non ergo purè & tantum objectivè in intellectu.

Prob. 2. eadem min. quo magis explicatur præcedens ratio: Sic se habet illa relatio resultans ex cognitione directa, sicut se habet objectum repræsentatum in specie visibili; sed hoc objectum vi hujus repræsentationis non est tantùm objectivè in potentia visiva: ergo neque illa relatio est tantùm objectivè in intellectu.

Patet

Patet maj. sicut enim illud objectum in illa specie repræsentatur pro priori ad actum potentiæ, quo cognoscitur, ita hæc relatio in specie expressa cognitione directa formata. Patet item min. licet enim objectum illud tantùm ibi sit objectivè & repræsentativè, quo forte æquivocatio latet, non autem est objectivè in ipsa potentia, sed extra potentiam est in specie: ergo ad summum sequitur, quòd illa relatio haberet esse objectivum, non verò in intellectu, cujus actum præcedit.

Prob. 3. eadem min. Illa relatio non est ibi objectivè: ergo præterquamquod non in intellectu, sed in specie, aut magis in prædicato, quod species repræsentat est, non habet esse objectivum. Prob. ant. Esse ibi objectivè est tantùm ibi repræsentari; sed illa relatio nō ponitur ab ipso tantùm ibi repræsentari, sed ex prædicato præcisivè cognito verè resultare: ergo non objectivè, sed subjectivè est, sicut quælibet relatio in fundamento suo. Conf. Illa relatio aut ibi esse dicitur, quia repræsentatur ac si esset; aut quia vere est, & verè resultat: Si illud primum, ea habet esse purè objectivum & tantum repræsentative, non autem esse verum, quod ipse intendit; sed fictum & quod non aliud habet, quàm accipi ac si esset, cum verè non sit: si autem secundum dicatur, habet quidem esse verum, non autē purè objectum: implicat ergo quod rationis sit, & consistat in esse vero resultante ex cognitione directa.

30 Prob. 5. conclusio: Si illa relatio resultat ex cognitione directa, præcedit actum, quo cognoscitur; sed si ita præcedit non est ens rationis: ergo. Prob. min. Quod præcedit actum, quo cognoscitur, est objectum per se & motivum ipsius actus; sed ens rationis nequit esse objectum motivum: ergo. Patet maj. quia objectum, quod præcedit actum non habet tantum terminare, sed movere & causare ipsum actum. Min. item ex hoc ipso patet; motivum enim sicut realem actum causat, ita debet realem causalitatem habere, & reale esse, quo moveat & causet: siquidem ergo ens rationis non aliter est objectum intellectus, quàm secundarium & purè terminativum, nequit esse habere pro priori ad actum, quo cognoscitur, sed tantùm ipso actu formatur, & fit.

31 Prob. 6. Nulla relatio resultat ex positione solius fundamenti, sed quælibet requirit fundamentum & terminum; sed actu directo non ponitur terminus, sed eò tantum actu quo ipsa relatio formatur: ergo hoc tantùm actu fit relatio rationis. Maj. nota est, quia relatio ex quidditate sua est unius ad alterum, quarè utrumque requirit, & a-

pertè

perte patet, quòd positio unius albi non sufficit ut resultet similitudo, imò sola substractione termini perit relatio, ut sublato filio non manet Paternitas, nisi tantùm secundum dici. Prob. min. Actu directo tantum cognoscitur homo v. g. non autem individua, quæ sunt terminus universalitatis, seu relationis in qua consistit secunda intentio, talia autem individua solùm illo actu ponuntur in intellectu, quo cognoscitur homo comparativè ad ea, quibus potest determinari; sed hoc actu formatur ipsa relatio, & conceptione ipsa fingitur ubi non est: ergo. Patet hæc min. quia prædicatum *homo* ex se & metaphysicè non habet relationem ad individua, cum quibus realiter identificatur, illo autem actu concipitur ad illa se habens.

§. III.

Solvuntur argumenta.

32 ARg. 1. N. Manso: S. P. Aug. lib. 2. Soliloq. quo latè disputat de falso & vero cap. 2. quærens quid falsum est, resp. *Quod aliter se habet, quàm videtur*, & cap. 5. ait: *Verum est quod ita se habet ut cognitori videtur, si velit, possitque cognoscere*; Sed ens rationis cum fundamento non se fingit esse quod non est, nempè ens reale, nec tendit ad esse reale, quod non habet: ergo non est falsum, aut fictum.

33 Resp. neg. min. In hoc enim consistit tale ens, quòd, ex fundamento quod res ipsa præbet, ubi re ipsa non est relatio, intellectus relationem concipiat, & rem accipiat ac si verè & re ipsa relationem haberet, v. g. Deus ut creator non haberet re ipsa relationem ad creaturas temporalem, quia tamen in tempore incepit relatio creaturæ ad Deum, & Deus illam terminat, ex hoc modum habet relativi, quo dicitur relativus secundum dici, qui modus relatio nõ est, sed quædã veluti similitudo cũ relativo; ex hoc fundamento intellectus relativè cõcipit, & sic cõcipiendo relationem format ubi ea non est, quarè illa falsa est & ficta; eodem modo dicitur de relatione universalitatis, & quavis alia secunda intentione, talem enim non habet prædicatum re ipsa in sua quidditate, quarè intellectus ipse format & fingit concipiendo relativè.

34 Arg. 2. idem ex Phil. in 1. Met. tex. 6. dicente: *Verum quidem oportet esse, quoniam quod non est, non est scire.* Ens ficta non potest sciri; at logica de ente rationis est: ut ergo id sciat, oportet non in esse ficto, sed in esse vero consistere. Resp. quòd locus Phil. malè citatur, quarè non invenitur in tex: sicubi autem

autem id habet Phil. sensus est planus; agit de objecto Metaphysicę, & ait, quòd debet verum ens esse, quia nullius entis nullæ sunt passiones, & quia Metaphysica est realis facultas, ut passiones de subjecto suo probet, debet id ens esse verum & reale, ut verè & re ipsa passiones habeat, ex quo nihil ad propositum, neg. enim sup. in eo quod assumit, Logica non est realis facultas, sed rationalis, neque aliquid probat verè & re ipsa de aliquo quantùm ad esse, sed tantùm quantùm ad cognosci & prędicari: non ergo aliud esse aut veritatem ipsa requirit, quàm verificativum prędicationis, & hoc ens rationis habet, nempè connexionem prædicati cum subjecto.

35 Arg. 3. idem ex B. D. quæ enim ex D. Th. latissimè adducit, nostrúm non est expendere: itaque B. D. in 1. dist. 30. verbis supra datis n. 27. ait, quòd secundæ intentiones entia sunt, quę intellectus *sua subtilitate investigando perquirit*: Ergo non actu suo format aut fingit; sed resultatas adinvenit, & addit N. Manso, quòd ne verbum quidem habet D. quo insinuetur has intentiones fingi, imò sæpe ait esse ens reale, ut q. 2. super universalia.

36 Resp. quòd locum B. D. supra expendimus, & si contrapositio attendatur, quam ibi intendit inter ens, quod dicitur cum fundamento necessitante, & cum fundamẽto non repugnante, talis expositio & sent. N. Manso omninó ruit; tunc enim relatio, quæ est secunda intentio, ex modo intelligendi intellectus nostri de necessitate consequeretur, ut ipse ponit Manso, & de se patet: quod ergo ait D. talia investigando perquiri, hoc tantùm intendit, quod alia entia rationis cum fundamento necessitante, non liberum est intellectui formare, Deum enim esse creatorem non aliter potest concipere quàm relativè & formando relationem rationis; at secundas intentiones liberè format, & cùm posset intelligere prædicatum *homo* & quidditatem suam sine ulla comparatione ad individua, ex sua subtilitate comparat, & sic intentiones format universalitatis, speciei, & similes, quas sic concipiendo format. Quod ait ex q. 2. super universal. non de intentione aut universalitate loquitur D. sed de ipso universali, ait enim: *Universalè est ens reale in anima & extra animam.*

37 Arg. 4. à ratione: Ad relationem realem non datur motus, aut actio ipsam ponens, sed tantùm ad positionem fundamenti ea consequitur & resultat: ergo pariter ad relationem rationis. Ant. est expressa sent. Phil. in 5. Phys. & omnes uno ore admittunt. Conseq. ostendi-

tur:

tur: Idcò ad relationem realem non datur motus, quia ea est minimæ entitatis; seu minoris adhuc est relatio rationis: ergo. Hinc deducit, quòd licet relatio realis, quia habet reale esse, resultet realiter, ita relatio rationis, quia non reale esse habet, sed verum, vera resultantia resultat non autem reali.

Sed ante solutionem, ab ipso quærerem quid sit hæc vera resultantia contra distincta a reali? Neque enim ipse explicat, neque ego possum concipere, v. g. ad cognitionem directam qua concipitur homo consequitur relatio adæquationis & conformitatis ad rem extra, in qua consistit veritas cognitionis; consequitur item juxta N. Mauio relatio universalitatis ad individua: illam priorem dicit ipse realem, & quæ realiter resultat, hanc secundam dicit rationis, & quæ non realiter, sed vere resultat: quid hæc habet minus quam illa, ut hæc non realiter, sed vere, illa realiter dicatur resultare? Dicetur fortè, quod hæc 2. sit ejusdem ad se ipsum, nempe identificatur prædicatum *homo* cum his, quibus est universale, & de quibus prædicatur; ejusdem autem ad se ipsum nequit esse realis relatio. Hoc nihil refert; non enim resultantiam id diversificat, sed relationem ipsam, & qua ratione nequit esse ejusdem ad se ipsum realis relatio, eadem vera relatio esse non potest.

38 Resp. directè ad arg. neg. conseq. Ad prob. neg. item conseq. ens enim relatio realis habeat minimum de esse, habet tamen esse; relatio autem rationis sic habet minus de esse, quam realis, quòd nullum habet, & ideò non resultat. Itaque ut habet Phil. in 7. Phys. text. 24. & late explicat B. D. ibid lec. 8. inter ea, quę tantùm æquivocè conveniunt, non accipitur comparatio; at æquivocè tantùm conveniunt relatio realis, & rationis: ex quo ergo realis motum non terminat, non licet argumentum sumere ad relationem rationis. Adde, quòd non motum terminat aut actionem, ex quo formetur ipsa cognitione, qua cognoscitur ac si esset; non enim illa cognitio facit, aut producit relationem, sed tantùm cognoscit.

39 Arg. 5. Quod nostra sent. nimis deprimit dignitatem Logicæ, & ipsius etiam naturæ humanæ: num cùm nihil possimus cognoscere nisi componendo & dividendo, ex quo secundæ intentiones resultant, si illæ habent esse fictum, nihil possumus intelligere sine fictionibus. Rursus: cùm Logica tota sit de secundis intentionibus, tota erit de fictionibus. Deinde: omnia verba nostra significant ad placitum; sacramenta item signa sunt, in quibus omnibus relationes rationis intervenium: neque ergo pos-

possumus sine fictionibus loqui, nec Xpus D. sacramenta instituit, nisi fingendo, imò dum nobis præcepit facere sacrosanctum mysterium corporis sui, nobis præcepit fingere. Ab his omnibus fictionibus ait nos liberare suam sent. quæ hæc omnia sine fictionibus salvat.

Sic perbellè arguit n. 18. sub finem, & cùm contra se objecisset, quod S. P. de ver. relig. cap. 34. docet nihil nos posse sine fictionibus intelligere, respondet n. 22. suam sent. non procedere de fictionibus animasticis, quas omnes tenentur concedere, sed de alijs super istas fundatis; de illis autem prioribus loquitur S. P. Sed qua ratione illas non istas omnes teneantur admittere, aut cur magis istæ, quàm illæ indecorum quid & indecens humanæ cognitioni arguant, ipse non explicat. Deinde illud arg. §. 6. confirmat: Xpus D. fuit verè logicus, & egregius disputator, quare plures secundas intentiones formavit in suis disputationibus; sed istæ non poterant habere esse fictum: ergo non consistit secunda intentio in esse ficto. Maj. docet S. P. lib. 1. contra Cresconi. cap. 17. Min. eò probat, quia Xpus D. non potuit fingere, ut docet D. Greg. hom. 24. in Evang. ad illa verba luc. 24. *finxit se longiùs ire*, & ratione patet, quia fictio est cognitio difformis objecto.

40 Resp. neg. assumptum. Ad cujus probationes dicitur, quòd fictio sine fundamento, qualis est cum quis hircocervum fingit, aut quæ illis verbis significatur, *finxit se longiùs ire* in cortice & ut verba sonant, hæc inquam fictio imperfectionem importat, & talis in Xpo D. poni nequit; alia autem, quam ipse dicit animasticam, quæ nempè fit cum fundamento in re, & ex proprio modo cognitionis nostræ ortum ducit, imperfectionem quidem involvit, non autem aliam, quam quę propria est humanę cognitionis, & quia à modo cognoscendi potentiali & imperfecto non potest absolvi intellectus noster, non potest ab isto modo fingendi liberari; item si Xpo D nullam inducit imperfectionem illa fictio, quam ipse dicit animasticam, quippè concedit sine hac non posse intellectum nostrum intelligere, idem dici potest de logica, non enim de hac loquitur D. Greg. sed de illa quę esset mentiri: patet ergo ad formam.

41 Arg. 6. Ratio entis analoga est ad primas & secundas intentiones; sed si secunda intentio consistit in esse ficto, non analoga, sed çquivoca est: ergo. Patet min. quia verum & fictum æquivoca sunt. Ostenditur maj. Secunda intentio ducit in cognitionem primæ: ergo cum

ea convenit analogicè. Ant. ostendit, quia ex quo sic vel sic habet de multis prædicari possumus devenire in cognitionem ipsius quidditatis. Conseq. autem reducit ad authoritatem D. Th. ex qua tamen non sequitur, ait enim S. D. quòd si sapientia diceretur æquivocè de creata, ea non posset ducere in cognitionem increatæ, ex quo non sequitur propositio conversa simpliciter, quòd nempè nequit æquivocè dici quod in cognitionem alterius ducit; ad sensum enim patet, quòd pictura nos ducit in cognitionem hominis, dicitur autem homo de pictura æquivocè.

42 Resp. neg. maj. aut enim prima intentio sumitur ut habet esse in cognitione directa, & sic univocè convenit cum secunda, ait enim B. D. supra adductus, quòd utrumque est rationis, alterum ut intentio prima, alterum ut intentio secunda; si autem sumitur prima intentio pro quidditate ipsa in se & ut est ens reale, sic sent. est ipsius D. Th. tum quod secunda intentio est ens rationis, tum quòd ens dicitur æquivocè ad reale & rationis, imò hoc etiam docet ipse Manso, quarè aut tenere debet, quòd 2. intentio est ens reale, aut non nisi æquivocè cum prima convenit.

43 Arg. 7. Intentio speciei reperta in conceptu *homo* est relatio rationis; sed hæc non consistit in esse ficto: ergo. Prob. min. Illa relatio convenit conceptum *homo* quatenus est imago individuorum; sed non est imago ficta, neque per fictionem, sed essentialiter, & relatio, quam dicit vera imago, non est relatio ficta: ergo. Resp. 1. instando: Imago essentialis identificatur & est ipsa essentia ejus, cujus est imago; sed ejusdem ad se ipsum non est alia relatio quàm rationis, cùm enim relatio sit ad alterum, sic refertur sicut distinguitur: ergo sicut non verè *distinguitur*, sed tantúm per actum rationis formantem distinctionem, sic non verè refertur, sed tantùm per actum rationis formantem relationem. Resp. 2. directè neg. min. Ad prob. neg. maj. Illa enim relatio non similitudinis est, aut imaginis, sed superioritatis. 3. data maj. neg. min. eó enim quòd essentialis est illa imago, non aliter imago est, quàm quatenus intellectus distinctionem concipit ubi non est, quarè non nisi per fictionem intellectus.

44 Arg. 8. Secunda intentio non habet esse per actionem fictitiam, sed si haberet esse fictum, haberet esse per actionem fictitiam: ergo. Maj. ex authoritate D. Th. supponit ostensam. Resp. quòd D. Th. in verbis quæ adducit tantum intendit, quòd actio, qua formatur secun-

secunda intentio, non est fictiva eo sensu, quo actio, qua concipitur hircocervus, nempè sine fundamento, non autem ex hoc sequitur quod habeat esse verum & præcedens cognitionem, alioqui non esset rationis: cum fundamento ergo, quod res ipsa præbet, concipit intellectus relationem ubi nulla est re ipsa, & hoc sensu fingit.

45 Arg. 9. Actio dans esse enti chimerico est fictiva; at actio dans esse secundæ intentioni non fictiva, sed formativa est: ergo. Utramque item præmissam ex D. Th. deductam supponit. Resp. 1. quòd arg. est contra ipsum, eò enim conclusionem suam potissimè probat via rationis, quia ad relationem non datur motus aut actio; deducit autem arg. quod ad relationem, in qua consistit secunda intentio, datur actio formativa. Resp. 2. neg. conseq. non enim quod consistat in esse vero & resultante ut ipse intendit, sed tantùm sequitur, quòd non consistat in esse ficto, quale est esse entis chimerici, nempè sine fundamento, consistit autem in esse formato & sibi dato ab actione intellectus, cum in re nullum habeat, & hoc sensu dicimus fictum. Alia in sequentibus oportebit expendere, recurrit enim hæc eadem difficultas de existentia & causis entis rationis.

ARTICULUS III.

Quotuplex sit ens rationis?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

46 EX duplici capite dividitur ens rationis: 1. quasi causaliter ex parte intellectus in ens rationis cum fundamento, & sine fundamento, quod ea dicitur chimericum: Ens rationis cum fundamento illud est, ad quod formandum res ipsa invitat, & aliquod fundamentum præbet. Tale communiter assignatur secunda intentio, v. g. concipit intellectus hoc prædicatum animal ut sic, & præcisum à differentijs suis, hoc in se quidditas absoluta est nullam relationē aut connotationem habens, si autem comparetur ad hominem & equum, quandam superioritatem habet & communitatem, vi cujus potest de utroque prędicari, hæc in ipsa quidditate non est relatio aliqua, sed ipsa quidditas, quæ se ipsa & ex prędicatis suis modum relativi habet, & relationem secundum dici, non in eò quod est animal, sed in eò quod superius aut prædicabile; ex illo modo relativi fundamentum habet intellectus ut relative concipiat, & sic con-

cipiendo relationem formet ubi nulla est, quę eò est rationis, cum fundamento tamen in re ipsa.

Ens rationis sine fundamento id est, ad quod formandum res ipsa non præbet motivum, sed ipse intellectus ex se, & pro sua potestate confingit, ut quando ex duplici natura unam concipit, v. g. hircocervum unam fingit naturam ex hirco & cervo; ad hoc enim fingendum nullum præbet motivum res ipsa. Hanc divisionem adæquatam ponit communis sent. N. autem B. D. ut vidimus in verbis ejus suprà adductis ex 1. sent. dist. 30. ens rationis cum fundamento subdividit in ens cum fundamēto necessitante, & cum fundamento non repugnante. Cum fundamento non repugnante est, quando res ipsa, quæ præbet motivum sic concipiendi, non cogit & necessitat intellectum sic concipere: talis est secunda intentio; animal enim potest quidem concipi ut est quid commune & prædicabile, non autem cogit & necessitat sic concipi. Cum fundamento necessitante, est quando res, quę præbet motivum, cogit sic concipere, & necessitat intellectum ad formandum ens rationis, v. g. ratio creatoris in Deo non importat relationem, quia ea esset temporalis; nulla autem Deo in tempore advenit, quia tamen modum relativi importat, sive relationem secundum dici, illam rationem non potest intellectus noster concipe nisi relativè, & sic concipiendo format relationem ubi nulla est in re.

Not. autem, quòd hoc eò dicitur cum fundamento necessitante, quia fundamentum est relativum secundum dici, quod ex illo modo relativi cogit intellectum relativè concipere; posset autem hic difficultas consurgere, quatenus id quod dicimus cum fundamento non repugnante, est etiam relativum secundum dici; ipsa enim universalitas primę intentionis & metaphysicè accepta est quidem absoluta quidditas, cum modo tamen relativi, seu relatione secundum dici, nam metaphysica superioritas, aut prædicabilitas modum importat relativi ad ea, quibus superior est, aut de quibus est prædicabilis natura: nulla ergo est diversitas hujus ab illo ente. Dicendum autem, quòd quamvis universalitas primæ intentionis sit relativa secundum dici, & consequenter necessitet intellectum formare secundam intentionem, at non ipsa universalitas primę intentionis est fundamentum, quod dicitur non repugnans, sed quidditas rei, quæ universalis est, v. g. homo, hoc prędicatum non est relativum secundum dici, quarè est fundamentum tantùm non repugnans.

47 Ex alio capite, nempè ex ipsa ratione sua dividitur ens ratio-

rationis in negationem, privationem, & relationem. De hac divisione quæritur, an sit adæquata? Multiplex est. D. D. sent. Prima asserit, ens rationis cum fundamento adæquatè dividi in illa tria, ita quòd negatio & privatio sint entia rationis cum fundamento. Pro hac citantur communiter Thomistæ, & asserit N. Manso esse omnium Thomistarum. Hæc tamen, cujuscumque sit, nobis rejicienda est: nam negatio & privatio non sunt entia rationis nisi quatenus ad modum entis concipiuntur; sed sine ullo fundamento sic concipiuntur: ergo. Patet min. quia nullum habet intellectus fundamentum, ut apprehendat ipsum non esse, esse aliquid. Maj. item de facili ostenditur: tùm, quia quando negationem aut privationem concipit intellectus ut nihil & non esse, verus est & nihil fingit, neque concipit quod non est, ac si esset; sed hoc tantùm modo format ens rationis juxta D. D. illius sent: ergo. Tùm deinde: quia ens rationis non solùm dicit nõ habere esse in re extra, sed etiam habere esse objectivè in intellectu; sed negatio & privatio, licèt in re extra sint nihil, at esse objectum in intellectu tunc tantúm habent, quando concipiuntur ad modum entis, quando enim non sic concipiuntur, non habent esse, sed potius non esse: ergo.

48 Secunda sent. docet hanc divisionem esse adæquatam pro ente rationis communiter sumpto, nempè ens rationis cum fundamento sola relatio est, sine fundamento autem negatio, aut privatio, ita quòd nullum datur ens rationis, aut cum fundamento, quod non sit relatio, aut sine fundamento, quod non sit negatio aut privatio. Ita tenet N. Manso q. 3. Sed neque ista sent. substineri à nobis potest: 1. quia quod communiter in exemplum adducitur entis sine fundamento, nempè hircocervus, neque negatio est, neque privatio, sed natura ex duabus conficta. 2. quia eò formamus in Deo v. g. relationem rationis, quia modum habet relativi, seu relationem secundùm dici, qua cogitur intellectus relativè concipere, & relationem formare, quę in re non est; at est expressa doctrina B. D. quòd licèt res unius prædicamenti non possit in alio reponi, potest tamen modum alterius habere, & ipse Manso exemplificat de differentia quidditativa, quę est quidem in prædicamento substantiæ, habet tamen modum qualitatis, & est qualitas secundum dici: pariter ergo ex hoc fundamentum habet intellectus ut concipiat qualitatem ubi nulla est, & erit qualitas rationis cum fundamento, imò cum fundamento necessitante.

49 Tertia sent. docet, illam divisionem non esse adæquatam,

tam, nempè debet addi distinctio rationis, quę est ens rationis cum fundamento. Pro hac citat idem Manso N. Villan. Sed hæc eò rejicitur, quia distinctio rationis est quidem ens rationis, quod tamen non ponit in numerum cum relatione: sicut enim de distinctione reali, quæ est entis attributum, diximus quòd in ipsis entitatibus consistit, quæ se ipsis distinguuntur, & solùm addit modum relativi, ita de distinctione rationis dicendum, quòd extremis, quæ distinguuntur, solam addit relationem. Quarta demum sent. docet, ens rationis per omnia prædicamenta vagari. Hanc multi tenent apud Mast. & Arriaga. Hæc videtur rationabilior, & sufficienter ex dictis colligitur, nihilominus triplici conclusione illam explicabimus.

50 Dicendum 1. negationem aut privationem non esse ens rationis neque cúm fundamento, neque sine illo. Hęc colligitur ex dictis n. 47. aut enim intellectus concipit negationem vel privationem ut nihil & non ens, aut concipit ad modum entis; sed priori modo non format ens rationis, posteriori modo non privationem aut negationem concipit, sed illud aliquid quod pro eis fingit: ergo. Min. quantum ad 1. satis aperte ibi probata est, tunc enim nullum esse objectivum illis tribuit, sed potiùs non esse. Quantum ad 2. de facili ostenditur: quando enim negationem concipit intellectus ad modum entis, aliquid concipit ad modum cujus ipsam negationem imaginatur; sed ipsa negatio nihil est & non esse: non ergo tunc negationem concipit, sed aliquid loco ejus.

51 Dicendum 2. ens rationis cum fundamento non solam esse relationem, sed ex rebus ipsis fundamentum habere intellectum ad multa alia fingenda, seu concipienda ubi non sunt. Hæc est contra N. Manso, & ex dictis n. 48. sufficienter patet: nam ens rationis est, quod intellectus, cum in re non sit, concipit ac si verè esset; sed ex rebus ipsis fundamentum habet intellectus ut multa concipiat, quæ in re non sunt, ac si verè essent: ergo. Patet maj. quia tale tantùm habet esse objectivè in actu quo sic cognoscitur. Min. ibi probata est: ex quo enim aliquid habeat modum alterius prędicamenti, nihil in re est illius prædicamenti; sed ex hoc modo potest intellectus id concipere, sicut ex modo relativi concipit relationem: ergo cúm talem modum multa habeant, talia possunt ratione formari cum fundamento in re.

52 Dicendum 3. quòd ens sine fundamento vagatur per omnia genera. Hæc nulla indiget probatione, unusquisque enim in se experitur, quod pro libito

potest

potest quodlibet confingere, v.g. sine ullo fundamento substantiam concipere ubi nulla est substantia, aut quantitatem ubi nulla est quantitas, & ita de reliquis. Potest autem ad hominem confirmari: quia D. D. contrariæ sent. fatentur, quòd negationem & privationem potest intellectus ad modum entis concipere: ergo negationem substantiæ ad modum substantiæ, & negationem quantitatis ad modum quantitatis, & ita de reliquis; patet autem, quòd tunc illa substantia aut quantitas concepta erit ens rationis.

§. II.

Solvuntur argumenta.

53 ARg. 1. Substantia, quantitas, qualitas, & alia sunt aliquid in re existens, sed quod est in re existens nequit concipi ut ens rationis: ergo tantùm illa tria sunt entia rationis. Ratio min. esse potest, quia quod est in re existens, ab intellectu conceptum erit ad minus ens reale possibile, non autem quid fictum, quale est de necessitate ens rationis. Hoc ex Froylano adducit N. Manso, instatur autem apertè: tum quia relatio ipsa est quid in re existens; & tamen formatur relatio rationis quando concipitur ubi nulla est: ergo. Tùm deinde: quia ipsum possibile ut contra distinguitur à causa, in qua continetur, est ens rationis, juxta ipsos etiam Thomistas, quia id, quod intellectus sic concipit, licèt possit in re esse, non aliud esse habet in actu, quàm objectivum in intellectu: ergo quòd possit esse in re nihil refert ut ab intellectu fingatur esse ubi non est. Directè itaque neg. min. Ad rationem ejus dicitur, ens reale possibile, si concipiatur ut aliquid in actu, esse ens rationis, ly enim *possibile* est additum distrahens, determinat nempè esse, quod potest habere, non verò quod habet.

54 Arg. 2. Id est ens rationis, quod cum in se non sit ens reale, concipitur ut ens reale; sed tantùm privatio, negatio, & relatio sunt hujusmodi: ergo. Min. quantùm ad negationem & privationem de se patet ista nihil esse in re, de relatione autem probatur quodam tex. D. Th. quo asserit tantùm in genere relationis reperiri aliquid secundùm rationem tantùm, quia alia genera significant aliquid alicui inhærens.

55 Resp. missa maj. neg. min. Ad prob. ejus dicitur, quòd locum D. Th. neque nostrùm est expendere, neque proinde opus habemus examinare an fideliter referatur, non enim illa ratio cohæret cũ eo quod ex ipso D. Th. docent Thomistæ, quòd nempè relatio est accidens inhærens.

Quid-

Quidquid de hoc sit dicimus, quòd sicut non obstat, quòd in aliquo sit realis relatio, ut intellectus concipiat relationem ubi nulla est, & consequenter ea sit relatio rationis, ita non obstat, quòd qualitas v. g. sit in aliquo realis forma, ut intellectus qualitatem concipiat ubi nulla est, & ea erit qualitas rationis, & tantùm objectivè in intellectu existens, & ita potest de alijs dici.

56 Arg. 3. Illud est ens rationis, quod in proprio conceptu non explicat entitatem realem; sed tantùm illa tria se habent ita: ergo. Prob. min. quia negatio & privatio tantùm dicunt carentiâ & non esse; relatio autem conceptum *ad*, non verò formam inhærentem; at reliqua omnia important ens reale in suo conceptu, ut substantia, quantitas, & alia prædicamenta: ergo.

57 Hoc item ex Froylano adducit N. Manso, id quidem ad hominem posset urgeri, nos enim relationi non concedimus conceptum *in*, apud Thomistas verò relatio est accidens inhærens, sicut aliud quòdlibet; sed neque ex nostra sententia quid deducit, tantùm enim nobis tria prima prædicamenta dicunt rem, & verum ens. Directè neg. maj. nihil enim id refert, & tantùm est de conceptu entis rationis, quod purè & tantum esse habeat objectivè in intellectu; sicut autem quod in alio detur realis relatio non obstat ut hæc, quæ in hoc concipitur, in eo non sit, quare tantùm est objectivè in intellectu, & sic relatio rationis, ita de quovis alio dici debet.

58 Arg. 4. N. Manso: Ens rationis cum fundamento non reddit intellectum vanum, casum, aut falsum; sed quod in esse ficto consistit reddit intellectum falsum, casum, aut vanum: ergo. Patet min. quia tunc falsus est intellectus, quando sibi non respondet id quod in re est, casus autem aut vanus quando sibi nihil respondet; atverò quando fingit, aut nihil sibi respondet in re, aut non sibi respondet id, quod in re est. Maj. ex B. D. supponit notam.

59 Resp. neg. maj. locus enim B. D. quem adducit, tantùm habet quòd quando conceptioni intellectus nullum respondet fundamentum in re extra, aliquando intellectus est falsus, aliquando vanus, aliquando casus; ex hoc autem non sequitur à contrario, quòd quando fundamentum habet non sit falsus, vanus, aut casus, quia affirmatio unius non est negatio alterius; patet autem, quòd non obstante quòd fundamentum præbet res ipsa, si ultra concipiat, quàm fundamentum habet, falsus erit, & ita contingit in formando ens rationis, fundamentum v. g. est modus quidam relativi, non autem relatio, ipse verò relatio-

tionem concipit.

60 Arg. 5. idem: Nullum datur ens rationis cum fundamento, quod non sit relatio; sed aliunde nullum potest sine fundamento fingi, quod non sit privatio aut negatio: ergo adæquatè dividitur in illa tria. Maj. supponit, min. autem sic probat: nullum potest ens rationis fictum imaginari nisi, aut quod non ens concipiatur ut ens, vel quod entia distincta concipiantur ut identificata, vel non unibilia ut unita; sed hæc omnia sunt negatio aut privatio, quod nempè negatio unionis aut identitatis concipiatur ut unio, aut identitas: ergo.

Conf. 1. ex B. D. in Quodl. 4. q. 7. ubi docet, quòd intellectus noster in componendo & dividendo se habet, sicut ponebat Empedocles se habere naturam; posuit enim principia esse litem & amicitiam, quarè imaginabatur, quòd membra & partes omnium entium erant sparsim separata per litem, supervenientè autem amicitia conjungebantur, & quando congruè conjunctæ sunt, salvatur ens, quando autem incongruè, ut quia pars unius conjuncta ad partem alterius, non salvatur ens; hoc modo intellectus noster, quæ separata sunt ipsa conjungit, & quando rectè conjungit, verus est, & verum ens concipit, quando autem incongruè, format ens fictum. Ex hoc ita arguit: quando intellectus format ens fictum, format fingendo identitatem ubi ea non est, nempè incongruè, conjungendo extrema; sed tale ens in negatione consistit: ergo. Patet hæc min. quia illa extrema identitatem non habent, quam intellectus concipit & fingit.

Conf. 2. Quando intellectus fingit hircocervum, tale ens rationis non consistit in ipsis extremis apprehensis, patet enim, quòd ea sunt entia realia, nempè naturæ hirci & cervi in re existentes: ergo consistit in negatione, nempè identitatis & unitatis, quam cum in re non habeant illæ naturę, habere ipse concipit; sed ita de reliquis dicendum est: ergo.

61 Resp. 1. neg. maj. idem enim habet intellectus fundamentum ut concipiat relationem ubi nulla est, quo formet relationem rationis, ac ut concipiat qualitatem v. g. ubi nulla est, quo qualitatem potest formare; nam fundamentum ad illam relationem concipiendam est modus relativi, sive relatio secundum dici; pariter autem, etiam juxta ipsum Manso, differentia quidditativa v. g. habet modum qualitatis. Resp. 2. neg. min. Ad prob. 1. neg. maj. quodlibet enim prædicamentum potest intellectus pro libito fingere. 2. neg. min. quando enim non ens concipitur ut ens, ens rationis nō illa negatio

est aut non ens, sed hoc ens, quod intellectus fingit, & loco negationis accipit; similiter, quando non identificata, aut unita concipit unita, aut identificata, in hac identitate aut unione consistit ens rationis, non in negatione earum, non enim negationem fingit intellectus, sed identitatem, aut unionem.

Ad utramque Conf. ex dictis patet. Ad 1. quidem, ait B. D. quòd intellectus noster in componendo & dividendo se habet sicut naturam imaginabatur Empedocles, non autem inde sequitur, quòd hoc tantùm modo fingit, potest enim in apprehensione simplicis objecti aliquid fingere. Deinde hoc misso neg. min. non enim ens rationis consistit in carentia aut negatione identitatis quam re ipsa extrema habent, sed in identitate, quam intellectus fingit, & hæc identitas non est negatio. Ad 2. similiter neg. conseq. licèt enim nõ in ipsis naturis consistat, non proinde in negatione aliqua, sed in natura, quam fingit intellectus ex duabus; falsa item est min. subsumpta, quod ita de reliquis dici debeat.

ARTICULUS IV.

Quomodo existat ens rationis?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

62. PRima sent. docet, ens rationis cum fundamento, de quo tantùm controversia est, existere per existentiam fundamenti sui. Pro hac nullum citat N. Manso, parum autem ab ea distat Lalem. qui pro sent. sua Scotum citat & Scotistas, docet autem, quòd ens rationis cum fundamento objectivè quidem in intellectu est, subjectivè autem est in ipso fundamento. Sed cujuscumque sit hæc sèt. ens rationis nõ relinquit, quod enim aliud esse habet quàm objectivum in intellectu, non ens rationis est, sed ad summum erit ens intentionale, quod aliud est ab ente rationis. Secunda sent. docet, æquè ens rationis cum fundamento ac sine fundamento non aliam habere existentiam, quàm objectivam, quam sibi tribuit actus intellectus, quo fingitur, seu cognoscitur ac si esset. Hanc tenent communiter Thomistæ. Tertia sent. velati media inter duas præcedentes docet cum 2. quòd ens rationis existentiam habet purè objectivam, cum priori au-

autem, quod illam existentiam habet pro priori ad actum quo cognoscitur sive formatur. Ita tenet N. Manso, & tenere debent Niger, Sonc. & alij, qui cum eo tenent consistere in esse vero.

Sensus ergo hujus sent. quam latissimè explicat & probat N. Manso, hic est: intellectus noster cognoscens hominem v. g. cognitione directa, cognoscit prædicata quidditatis præcisivè & sine determinatione ad hoc aut illud individuum; natura sic cognita imago est essentialis omnium individuorum in quantùm sunt homines, & quia imago ad id refertur, cujus imago est, actu illo, qua ponitur natura sic præcisa, resultat in ea relatio ad individua, quæ est intentio speciei: si ergo natura sic ponitur actu directo, & pro priori ad actum, quo ipsa intentio cognoscitur, pro priori ad talem actum existit ipsa intentio, quare conclusio ejus est, quòd ens rationis cum fundamento existit per existentiam veram purè objectivam, quam habet in specie expressa repræsentativa fundamenti realis.

63 Sed in primis hæc explicatio in ipsam recidit primam sent. quòd ens rationis existit per existentiam fundamenti sui: in illa enim specie expressa non aliâ habet natura existentiam quàm objectivam, qua repræsentatur, & hæc quidem communiter dicitur objectiva, est autem subjectiva, licèt intentionalis, quidquid de hoc sit, existentia naturæ, quæ est fundamentum intentionis, non alia est quàm repræsentari in illa specie; sed hoc ipsum habet intentio juxta explicationem, & non alia repræsentatione repræsentatur, quam ipsa, qua repræsentatur natura: ipsa ergo existentia fundamenti sui existit.

64 Rursus: natura quidem in specie repræsentatur, neque aliud esse ibi habet; at relatio intentionis non in specie repræsentatur, sed verè & re ipsa consequitur ad naturam repræsentatam: ergo licèt objectiva dicatur existentia naturæ in specie, non objectiva est, sed subjectivæ existentia relationis, neque in specie, sed in natura repræsentata. Patet min. quia ipsa naturæ repræsentata verè & re ipsa est imago. Præterea: falsò supponitur, quòd natura vi actus directi, & ex prædicatis suis est imago, sic enim ipsa est quidditas ejus, cujus dicitur imago, & eò in quid prædicatur, quare non nisi per actum intellectus distinguentem, quæ distincta non sunt, & consequenter fingentem, habet quòd sit imago: si ergo relationem habet quatenus imago est, non verè, sed tantùm medio actu fingente habet.

65 Ulterius: tale esse & existentiam habet illa relatio, in qua consistit intentio speciei,

qualem habet relatio, in qua consistit veritas formalis sive intellectus; sed hæc, juxta ipsum Manso, realem & subjectivam existentiam habet, est enim relatio realis de tertio modo relativorum, nempè mensurati ad mensuram suam: ergo illa, in qua consistit intentio, non poterit esse rationis, & purè objectiva. Patet maj. què enim & eodem modo utraque resultat, & æquè atque eodem modo utraque dependet ab intellectu, quatenus actu directo ponitur fundamentum.

66 Insuper: falsò etiam supponitur, quòd secunda intentio consistat in relatione, quam dicit natura, in eo quod est imago: ergo dato quòd hęc resulter, & sit in specie repræsentativa naturæ, non autem ita est ulla secunda intentio. Prob. ant. Relatio, quam dicit natura, in quantùm imago est, dato aliquam habeat, est relatio similitudinis, conformitatis, imò est identitas; sed relatio, in qua consistit secunda intentio est superioritas, est nempè prædicabilitas formalis superioris de inferiori: ergo. Rursus: imago non formaliter individui, sive ut tale est, sed naturę dicitur in individua repertæ; sed quælibet secunda intentio non respicit pro termino naturam sed individuum, aut ipsam individuationem: licèt ergo concederetur relatio consequuta ad naturam in quantùm est imago, hęc non est relatio, de qua quærimus.

67 Præterea: Illa relatio resultare ponitur in natura cognita eò quòd est imago omnium individuorum: ergo ejusdem rationis est hæc relatio, ac illa quam dicit quælibet imago ad prototypum suum; sed hæc neque rationis est neque secunda intentio: ergo neque illa, quam dicit resultare in natura cognita. Resp. ipse, quòd hæc, de qua loquimur, rationis dicitur, quatenus à ratione dependet ponente fundamentum ejus, quarè totum esse suum à ratione habet, illa autem habet reale fundamentum. Sed contra: 1. Imago in pictura v. g. est tantúm repræsentativè; sed hoc non obstante, juxta ipsum, reale quid est, & reale fundamentum: ergo quód hæc relatio, quam dicit ipse resultare in natura, sit in specie tantùm repræsentativè, non tollit quin sit realis. Contra 2. Relatio, in qua consistit veritas realis est juxta ipsum; sed ab intellectu dependet ponente fundamentum ejus: ergo sicut illa quia verè & re ipsa resultat ex fundamento posito realis est, ita dici debet de ista.

68 Ulterius: Illa relatio dicitur resultare in natura quatenus est imago omnium individuorum; sed quód sit imago habet natura pro priori ad omnem cognitionem: ergo pro priori ad

om-

omnem cognitionem resultat illa relatio, & consequenter ea non est rationis. Patet hæc conseq. eò enim ipse salvat quòd est rationis, quia ab intellectu habet esse, quatenus ab eo ponitur fundamentum: ergo si fundamentum est ante omnem cognitionem, nihil habet, quo rationis dici possit. Prob. min. Species intelligibilis præcedit omnem cognitionem; sed repræsentat naturam ut est imago omnium individuorum: ergo. De maj. nullus dubitat, quia species intelligibilis movet ad actum cognoscendi. Min. ostenditur: quia eó juxta ipsum natura per actum directum præcisa est imago omnium, quia abstracta à singularitate tantùm repræsentat prædicata quidditatis sine ulla determinatione, quarè ducit in cognitionem omnium; sed ita repræsentat species intelligibilis: ergo. Hanc min. ipse supponit, non enim est in actu intelligibile objectum nisi quatenus repræsentatur sine singularitate & conditionibus individuantibus, quarè singulare docet ipse cum B. D. non cognosci à nobis directè, sed tantùm per conversionem ad phantasmata.

69 Ad hanc rationem resp. ipse, quòd relatio non resultat nisi ex positione fundamenti & termini; atverò pro priori ad cognitionem in specie intelligibili repræsentatur quidem natura ut est fundamentum illius relationis, terminus verò non repræsentatur nisi in actu directo, quo illa natura cognoscitur; quia terminus illius relationis sunt ipsa singularia, quæ actu directo attinguntur tanquam terminus à quo abstrahitur natura.

70 Sed contra: 1. fundamentum illius relationis est natura ut est imago; sed hujus terminus non est singulare, sed ipsa natura in singulari reperta: ergo. Patet min. quia imago similitudinem dicit; ad singulare autem non similitudinem, sed superioritatem importat natura. 2. Imago non intelligitur sine eo cujus est imago; sed concedit ipse quòd pro priori ad cognitionem est imago: ergo est etiam terminus ejus, nempè metaphysicè & eo sensu, quo est imago. 3. Totam præsentis conclusionis doctrinam in eo fundat, quòd natura in specie expressa repræsentata est imago omnium, & inducens in cognitionem omnium in quantùm sunt homines, sic enim verba habent D. Th. quibus ipse potissimè innititur; sed omninò eodem modo imago est in specie impressa, hæc enim eadem prædicata repræsentat, & eodem modo ac expressa: ergo aut non tenet doctrina, quam in solutione assumit, aut non cohæret hæc conclusio cum illa.

Præterea: docet ipse cum B. D. quòd noster intellectus non attingit singulare nisi per con-

versionem ad phantasmata : ergo falsum est, quòd actus directè cognoscens naturam attingit singularia ut terminum à quo abstrahit. Actus itaque directus tantùm cognoscit prædicata quidditatis & nihil amplius, & hoc est abstrahere seu præcindere, prędicata quidditatis attingere sine determinatione, quam in re habent: si ergo per ipsum non hoc sufficit ad relationem, sed ulterius requiritur, quòd intellectus attingat terminum illius relationis, non hoc actu resultat relatio, & quia terminus illius relationis tantùm attingitur actu reflexo, quo natura ipsa accipitur comparativè ad ea, quibus in re determinatur, tantùm hoc actu relatio esse intelligitur; hoc autem patet quòd fingitur ipsa relatio, quam natura in se non habet, cum ipsa accipitur comparativè.

71 Dicendum ergo cum secunda sent. quòd ens rationis quodlibet non aliam habet existentiam, quàm purè objectivam, quam sibi tribuit actus, quo cognoscitur ac si esset. Hęc sufficienter ex prędmissis colligitur. Probatur nihilominus : Ens rationis ex quidditate sua, & conceptu communi ad fundatum, & non fundatum habet quod tantùm sit objectivè in intellectu, cum hac tantum differentia, quòd intellectus ipse habeat aut non habeat fundamentum; at essentia ab esse dicitur : idem ergo est utriusque esse, & consequenter, si uni tribuitur ab intellectu actu, quo fingitur, eodem modo tribuitur alteri, cum hac tantùm diversitate, quòd habeat aut non habeat fundamentum & motivum aliquod ex parte objecti ad sic tribuendum. Patet maj. penes hoc enim tantùm differt utrumque ens, nempè penès habere, aut non habere fundamentum, de cœtero autem quidditatem entis rationis utrumque ęquè habet. Conf. Quia si ens rationis aliam habet existentiā ut est fundatum, ac ut est sine fundamento, non ex ipso habere aut non habere fundamentum distinguitur, sed ex ipsa quidditate; sed nullus hucusque aliam assignavit differentiam inter utrumque, quàm penès habere aut non habere fundamentum : ergo.

72 Prob. 2. Nullum ens rationis potest aliam existentiam habere, quam purè objectivam; sed si aliam quamlibet præter illam haberet, quam sibi tribuit cognitio fingens, non purè objectivam, sed subjectivam haberet: ergo. Patet maj. talis enim est existentia, qualis essentia; ab omnibus autem hæc assignatur quidditas entis rationis, quod est purè objectivè in intellectu. Prob. min. quod existentiam habet præter objici intellectui, in se aut in alio est, quo possit objici; sed quod in se aut in alio, est, quo possit objici, subjectivè est: ergo

si

si præter actum, quo cognoscitur, esse habet in se aut in alio est, quo possit objici actui, quo cognoscitur. Conf. Ens rationis talem habet quidditatem, quod nullibi est, seu omninò non est, & apprehenditur ac si esset; sed tale tantum esse habet quatenus apprehenditur, seu practicæ cognitioni objicitur: ergo. Patet maj. quod enim alicubi est, aut aliquid est, non rationis est, sed re ipsa esse habet. Patet item min. quod enim esse habet tantùm & præcisè quatenus apprehenditur ac si esset non aliud habet; quàm quod ei tribuit apprehensio.

73 Ad hoc resp. N. Manso in sol. ad 1. quòd benè componitur habere esse pro priori ad actum cognoscentem, seu quo formatur, & tamen quòd illud esse non reale sit, sed rationis, quatenus nempè tale esse totaliter & omninò ab actu rationis dependeat, non quo cognoscatur & formetur, sed quo ponatur fundamentum ex quo resultat; tunc enim absolutè & omninò rationis est, licèt non immediatè per se ipsum, mediatè & per alterum.

74 Sed hæc solutio jam in præcedentibus exclusa est, relatio enim, in qua consistit veritas formalis, hoc sensu ab intellectu dependet; quæ tamen hoc non obstante juxta ipsum Manso realis est. Præterea: magis ipsum fundamentum, quàm id quod ex fundamento resultat, ab intellectu dependet, quia hoc resultans non nisi mediante illo dependet; sed illa dependentia non sufficit ut ipsum fundamentum sit ens rationis, est enim realis natura: ergo neque ipsa relatio resultans poterit dici rationis. Ratio autem est manifesta: quia ens rationis non eo præcisè tale dicitur, quia à ratione sit etiam totaliter & omninò, sic enim à ratione sunt actus ipsi intelligendi, & habitus intellectuales, nec tamen ex hoc entia rationis dicuntur, sed ens rationis tale dicitur, quia tantùm sit objectivè in intellectu; jam sic est quod non tantum objectivè est, quamvis tantum intra intellectum sit, quod esse habet ante quam objiciatur, quia tunc subjectivè est in eo quod potest objici: ergo.

§. II.

Solvuntur argumenta.

75 ARg. 1. ex B. D. loco suprà cit. in 1. dist. 30. ibi enim in principio art. distinguens de his quæ esse habent in intellectu ait, quòd ea, quæ non habent fundamentum in re extra, *ita sunt entia apud animam, quòd amota anima jam non sunt*: ergo alia, quæ fundamentum habent, ita sunt, quòd amota anima, hoc est actu ejus, adhuc sunt. Patet consq. quia exceptio firmat regulam in con-

trarium: si autem secluso actu cognoscente sunt, patet, quòd non habent esse precisè vi actus, quo cognoscuntur, & formantur.

76 Resp. quòd arg. dato eo, quód intendit, non potest ipsum jubare; sequeretur enim, quód ens rationis haberet esse extra animam, quo nempè maneret secluso actu animæ. Itaque non de entibus rationis loquitur B. D. neque illa distinctio potest accipi de ente rationis cum fundamento, & sine illo; loquitur enim de his, quæ fundamentum habent in re extra, patet autem, quòd ens rationis cum fundamento non illud habet in re extra: distinguit ergo de his, quæ in anima sunt, & actu ejus attinguntur, & ait quòd his aliquando respondet immediatum fundamentum in re extra, nempè conceptioni primæ intentionis; aliquando verò immediatum fundamentum non res extra est, sed res in anima, ut conceptioni secundæ intentionis: de his ait, quòd amota anima jam non sunt, quia nihil habent extra, ex quo, ut patet, nihil ad propositum deducitur.

77 Arg. 2. Ens rationis cum fundamento non existit per existentiam fictam; sed existentia consistens in actu objici est existentia ficta: ergo. Prob. maj. quod consequitur ex modo intelligendi rem, quæ est extra animam, non habet existentiam fictam; sed ita consequitur ens rationis cum fundamento: ergo. Patet maj. quod enim ex modo intelligendi consequitur verè est, & verè habet esse; quod autem habet existentiam fictam non verè est, sed esse fingitur, & apprehenditur ac si esset. Min. probatam supponit in præcedentibus, quód nempè tale ens rationis est relatio resultans ex prædicato præcisivè cognito, ut supra explicuimus.

78 Resp. 1. quód arg. non distinguit ens rationis cum fundamento non repugnante, & cum fundamento necessitante, si enim ipsa secunda intentio consequitur ex modo nostro intelligendi, sicut necessarius est ille modus cognoscendi, & ipsa resultantia, ita ipsa secunda intentio erit ens rationis cum fundamento necessitante; at vidimus supra in verbis B. D. quòd secunda intentio aliud est ab eo quod ex modo nostro cognoscendi de necessitate consequitur, ait enim, quód alia non de necessitate consequuntur, sed intellectus ipse sua subtilitate investigando perquirit, & talia sunt nomina secundæ intentionis: ergo ad mentē B.D. nō tenet illud arg.

79 Resp. 2. directè neg. maj. Ad prob. ejus neg. maj. cum sua prob. consequitur enim ex nostro modo cognoscendi quod relativum secundum dici concipiamus relativè, quo relationem

concipimus, & concipiendo formamus, res autem concepta nullam habet, quarè illa cognoscitur ubi non est, & consequenter fingitur. Deinde neg. min. quia ens, de quo arguit, nempè secunda intentio, non resultat, ut abundè probatum est in præcedentibus, alioqui non rationis esset, sed realis, neque purè objectivè esset in intellectu, sed subjectivè in fundamento, ex quo re ipsa resultaret.

80 Arg. 3. Nulla est possibilis cognitio, quæ sit factiva entis rationis cum fundamento: ergo tale non existit præcisè quatenus objicitur cognitioni, qua fit. Prob. ant. Cognitio factiva talis entis, puta intentionis generis in conceptu *animal*, aut est cognitio directa, qua natura animalis abstrahitur à differentijs, aut reflexa, qua comparatur ad inferiora, & cognoscitur ipsa intentio; sed nulla est practicè factiva secundæ intentionis: ergo. Prob. min. quia prima cognitio fundamentum ponit, & hoc tantùm attingit, non autem ipsam secundam intentionem cognoscit, quarè non est factiva ejus; at secunda cognitio intentionem, sive relationem adinvenit vi prioris actus resultatam: ergo neutra facit.

81 Resp. neg. ant. Ad prob. neg. min. & ad ejus prob. etiam neg. min. non enim illa relatio resultat, ut sæpè dictum est, imò si resultaret, ipso actu directo deberet attingi; pertineret enim ad primam intentionem, tum quia ex ipsis prædicatis quidditatis oritur, tum quia eodem modo repræsentatur natura in specie impressa, qua movetur intellectus ad actum directum, ac in specie expressa, quæ ipso actu directo formatur: si ergo ex hac resultat, deberet resultare ex illa; attingit autem actus directus quidquid in specie impressa repræsentatur, & ad ipsa pertinet prædicata quidditatis.

82 Arg. 4. Natura in specie expressa repræsentata est imago ducens nos in cognitionem Petri, Pauli, & aliorum individuorum; sed imago dicit relationem ad id cujus est imago: ergo species illa repræsentans imaginem repræsentat etiam relationem, quæ realis esse non potest, cùm sit inter extrema identificata, quarè erit rationis; at illa non existit vi cognitionis fingentis, cùm repræsentetur priusquam cognoscatur: ergo.

83 Resp. 1. quòd eodem modo est imago, & ducit in cognitionem species, quæ repræsentatur in specie impressa, ut de se est manifestum. Rursus: non Petri, sed naturæ in Petro repertæ imago est; relatio autem rationis non ad naturam est, sed ad ipsum Petrum. Præterea: relatio imaginis est similitudo; at illa relatio, de qua arg. procedit, non similitudo est,

sed superioritas, nempè universalitas & prędicabilitas. Ulterius: inter extrema identificata non est imago, nisi quatenus actu rationis distinguantur extrema ipsa, quia sic tantúm sunt duo, quorum aliud imago sit, & aliud cujus est imago. Resp. 2. directè missa maj. neg. min. tum quia imago illa non relationem, sed identitatem dicit, túm quia relatio de qua arguitur, nempè secundæ intentionis, non imaginis est, sed superioris ad inferiora sua; talem autem superioritatem non habet natura, nisi vi actus, quo comparatur, sive ut clarius loquamur, habet tantùm metaphysicè & secundum dici, quæ non est relatio, nisi quatenus intellectu comparante refertur.

84 Arg. 5. Existentia entis rationis cum fundamento est existentia vera purè objectiva; sed in specie expressa repræsentativa fundamenti realis datur existentia vera purè objectiva relationis fundatæ: ergo. Maj. probationem ad superius dicta remittit, quod nempè tale ens rationis non consistit in esse ficto, quippè est vera relatio resultans ex positione fundamenti per actum directum, quo crambem millies recoctam iteratò reponit. Min. sic probat: Species expressa representativa fundamenti realis repręsentat naturam humanam v. g. abstractam à singularibus, & ut est imago omnium ducens in eorum cognitionem; sed ista species continet existentiam veram purè objectivam relationis naturę ad singularia: ergo. Prob. min. Species repręsentans naturam ut est imago, repræsentat etiam relationem, quam imago dicit.

Conf. Intellectus cognitione reflexa se convertens super speciem expressam repræsentativam fundamenti adinvenit in ea relationem naturæ ad inferiora: ergo in illa specie existentiam habet veram ista relatio. Patet conseq. non enim posset invenire, nisi ibi esset. Hoc est fundamentum, quo directè conclusionem suam probat, cui ne verbum quidem superest addendum, eandem enim ejus difficultatem sæpe in præcedentibus solvimus, quarè alia mittimus quę ibi multiplicat, quibus hoc idem multipliciter dictum continetur. Si autem libeat terminos variare solutionis, dicito, quod illam species repræsentat relationem realem secundum dici, quæ est realis modus relativi, quem se ipsa intransitivè habet natura, hæc est universalitas metaphysica & primæ intentionis, hanc adinvenit actus reflexus, quia tamen illa in re concepta non relatio est, sed modus relativus, dum ipse actus relativè concipit, relationem format, quę in objecto non est, quarè illam fingit, & hæc tantum est in ipso actu fingente.

85 Arg.

85 Arg. 6. ex fundamentis 1. sent. Aliqua sunt entia rationis, quæ existunt antecedenter ad sui cognitionem ; sed tunc solùm existunt per existentiam sui fundamenti : ergo. Prob. maj. Ante omnem actum intellectus voces sunt signa ad placitum, Deus est creator, & sacramenta sunt signa gratiæ ; sed hæc omnia important relationem rationis : ergo.

86 Resp. neg. maj. Ad prob. dicitur, quòd signa reduplicativè ut signa sunt important relationem rationis, sic autem actus, quo accipiuntur ut signa, ipsam relationem format, nempè illam concipit ubi nulla est ; ut accipiuntur specificativè & ut sunt in re, non relationem, sed impositionem tantùm ad significandum important, ex qua intellectus fundamentum habet ut relativè concipiat, si autem relationem ipsam important in se & ante quam concipiantur, non rationis illa est, sed realis ; Deus autem ut creator non relationem rationis, sed modum relativi, seu relationem secundum dici importat, ut jam suprà explicuimus.

87 Arg. 7. Ideò ens rationis non existeret per existentiam fundamenti sui, quia ea est realis, sed potest ens rationis per existentiam realem existere, quin existat realiter : ergo. Prob. min. potest enim humanitas Xpi D. per subsistentiam infinitam subsistere, quin subsistat infinitè ; rursus, in nostra sent. accidens per existentiam substantiæ existit, quin existat substantialiter & per se : ergo pariter poterit ens rationis per realem existentiam existere, quin existat realiter.

88 Resp. 1. neg. maj. Si enim per existentiam fundamenti existeret, non purè objectivè, quarè non esset ens rationis ; quod enim per existentiam alterius existit, ab eo substentatur in esse ; quarè in eo est est subjectivè, & hoc modo accidens per ipsam existit existentiam substantiæ. Resp. 2. neg. min. hoc enim quod existentia reali existat, non existentia existit, quam sibi tribuat intellectus, quarè nullomodo ratione, & consequenter realiter existit. Quo ad utramque prob. patet, subsistere enim in humanitate Xpi D. & existere in accidente effectum dicunt ipsius esse, quem unumquodque participat juxta capacitatem suam, quamvis ipsa existentia, à qua participant, amplius posset tribuere ; atverò non existere realiter nequit esse effectus realis existentiæ, quarè impossibile est reali existentia existere, & non realiter.

89 Arg. 8. Aut est possibile ens rationis per existentiam fundamenti existere ; aut non : Si primum, habetur propositum ; si autem dicatur secundum, potest intellectus hoc apprehendere, & tunc arguitur : sic apprehenden

formatè ens rationis; sed hoc per fundamenti sui existentiam existit: ergo. Patet maj. quia sic apprehendens concipit impossibile, & quod nullibi est, aut esse potest nisi objectivè in ipsa apprehensione. Patet item min. quia hoc ens rationis consistit in eo quod sic apprehendatur existere.

90 Resp. 1. quòd dato id esse possibile non habetur propositum, longè enim aliud est esse possibile, ac esse de facto, de quo quæritur, Resp. 2. id esse impossibile; ex quo enim per existentiam fundamenti existeret, in eo existeret, & ab eo substentaretur, quarè non purè objectivè in intellectu, & sic non esset ens rationis. Ad rationem in contrarium 1. neg. maj. impossibile enim non est ens rationis nisi quatenus ut possibile concipitur. 2. neg. min. aliud enim est, quòd intellectus sine ullo fundamento apprehendat sic esse, ac quòd ita sit: illud ergo ens rationis quod intellectus sic apprehendens formaret, existeret per existentiam, quam sibi daret hæc apprehensio. Adde quòd hoc esset ens chimericum, quare nullum haberet fundamentum, per cujus existentiam posset existere.

QUÆS-

QUÆSTIO II.
DE
CAUSA ENTIS
RATIONIS.

ARTICULUS I.

Qualiter ab intellectu nostro fiat ens rationis?

91 DAta entis rationis existentia, de eo quod supponitur nullus poterit dubitare, id nempè ab intellectu nostro fieri, formatur enim cognitione imperfecta & deficiente, sive ea ipsi tribuat existentiam, hæc enim accipit quod non est ac si esset, sive tantúm ponat fundamentum, ex quo resultet, hæc enim est cognitio potentialis & præcisiva. Neque item dubitatur qua operatione fiat; supponunt enim omnes, quòd æque in apprehensione, ac in judicio aut discursu potest intellectus deficere & accipere quod non est ac si esset, quarè qualibet formari potest. Tantum ergo dubitatur quomodo fiat, nempè an formaliter & per actionem terminatam ad ipsum, an tantùm fundamentaliter, & per actionem, qua ponatur fundamentum, ex quo resultet? Vides ergo, tum quód de ente rationis cum fundamento procedit difficultas, tum quód eadem est, quam in præcedentibus abundè determinavimus.

92 N. Manso q. 5. docet, quòd ens rationis cum fundamento non fit formaliter ab intellectu, sive cognitione, qua fingatur, & quæ ad ipsum terminetur ens rationis, sed fit fundamentaliter tantúm, hoc est, cognitione, qua fundamentum ponitur, quo posito ens rationis resultat, supponit autem tale ens rationis relationem esse. Hanc sent. tenent Lalem. partit. 1. Sonc. & Petrus Nig. supra citati. Protestatur quidem N. Manso nolle se in q. illa prius dicta iterum refricare, sed legenti ipsum patet apertè, quòd tota q. illa, quam

quam latissimè pertractat, nihil de novo adducitur, sed iterum & multis dicendi modis præcedentia fundamenta reproducuntur, nec facilè posset aliter fieri, jam enim nunc tertiò eadem difficultas recurrit, quarè necesè est ad prius dicta redire.

93 Dicendum cum communi cæterorum sent. quòd ens rationis fit formaliter ab intellectu, sive cognitione ipsum fingente, & accipiente quod non est, ac si esset. Prob. 1. Ens rationis tantùm habet esse objectivè in intellectu; sed non ita est nisi fiat cognitione fingente, & accipiente quod non est, ac si esset: ergo. Prob. min. Quod non est præcisè & tantùm quia apprehenditur, aliter esse habet quàm objectivè; sed quod præcisè & tantùm est quia apprehenditur, ipsa apprehensione fingitur: ergo quod tantúm habet esse objectivè, non aliter fieri potest, quàm ipsa cognitione, qua fingitur: Ostenditur maj. Quod non est præcisè & tantúm quia apprehenditur, aut apprehenditur quia est, aut de necessitate oportet in aliquo esse, aut alicubi saltim repræsentativè ut apprehendatur; sed quod ita se habet, non tantùm objectivè est: ergo. Min. ex terminis patet, habet enim illud esse, quo potest cognitioni objici, sive illud sit physicum, & in re extra, sive intentionale & repræsentatum. Patet item maj. quod enim non est præcisè & tantùm vi apprehensionis, qua cognoscitur, poterat apprehensioni objici ut cognosceretur, quare in se aut in alio erat aut repræsentabatur. Min. autem principalis de se patet; si enim apprehensione non fingitur, esse habet extra apprehensionem, quod esse ipsa apprehensio accipit: si ergo nullum habet nisi quod sibi tribuit apprehensio, ea accipitur quod non est, ac si esset.

Conf. Imago rei visibilis non objectivè est in speculo, sed subjectivè, licèt intentionaliter tantúm & repræsentativè; res ipsa in imagine sua eodem modo est, ac imago in speculo, nempè repræsentativè; sed eodem modo est species in intellectu, & objectum in specie, ac imago in speculo, & res in imagine, nempè repræsentativè: si ergo ens rationis non fit formaliter, & actione ad ipsum terminata, eodem modo erit ac objectum in specie, nempè resultat, & ibi repræsentatur, quarè non objectivè in intellectu, sed subjectivè in specie erit. Conf. 2. Ex quo imago in speculo repræsentata possit objici potentiæ visivę, non dicetur esse tantúm objectivè in oculo, est enim in speculo, in quo repræsentatur; sed hoc eodem modo se haberet ad intellectum ens rationis, si tantùm fieret fundamentaliter, & resulta-

ret

ret ad positionem fundamenti sui: ergo non esset tantùm objectivè in intellectu, & sic neque esset ens rationis. Patet min. sicut enim imago in speculo repræsentatur, quo potest oculo objici, ita ens rationis repræsentaretur in specie fundamenti sui, quo posset intellectui objici. Adde, quòd eodem modo repræsentaretur in specie impressa ante omnem actum intellectus, ut arguebamus q. præc.

94 Prob. 2. Ideó ens rationis non formaliter per actum fingentem fieret, quia posset fieri fundamentaliter; sed non ita potest: ergo fit de necessitate actu, quo fingitur. Patet maj. quia non alius supereſt modus, quo ponatur in esse nisi aut mediatè & quatenus ex alio consequitur, aut immediatè & quatenus ipsum fit. Prob. min. 1. Relatio, quæ resultat non opere intellectus accipit esse, sed illo eodem modo, quo relatio realis, & quo passiones ad naturam consequuntur, licèt fundamentum, ex quo consequitur, aliud sit, & aliter esse habeat; sed si tantùm fundamentaliter fit, tantùm est relatio resultans ex positione fundamenti: ergo non erit ens rationis, si ita fit. 2. prob. eadem min. Deus ut creator fundamentum est relationis, quam intellectus noster concipit; sed ad Deum ut creatorem non consequitur de necessitate relatio: ergo illa non resultat, sed actu formatur, quo Deus relativè concipitur. Ostenditur hæc min. tum quia Deus concipit se esse creatorem sine ulla relatione ad creaturas; tùm, quia id etiam concipit intellectus noster, scimus enim quód illa relatio est rationis, quare noster intellectus concipit quòd Deus illam non habet, etiam ut creator est, quarè sine illa Deum concipit; tum insuper, quia noster intellectus concipit Deum ut creatorem importare modum relativi, seu relationem secundum dici: ergo cum hoc modo, & sine relatione rationis Deum concipit.

Conf. Sola relatio potest illo modo fieri; sed non sola relatio est ens rationis cum fundamento: ergo. Patet maj. quia sola relatio ex quidditate sua habet ad positionem fundamenti sui resultare. Prob. min. Eò cum fundamento in re concipit intellectus noster relationem rationis, quia res, in qua illam concipit modum habet relativi; sed eodem fundamento potest qualitatem v. g. concipere, quæ sit ens rationis: ergo cum hæc non possit ex fundamento suo resultare, fieri habet formaliter, & actione, qua concipitur ac si esset. Prob. min. Ideò illa relatio rationis est, quia res, in qua concipitur, relationem non habet, sed tantùm modum relativi, quarè talis relatio concepta non rei

est,

est, sed solius rationis concipientis, ac si in re esset; sed eodem modo differentia quidditativa v. g. modum qualitatis habet, non verò qualitas est, aut qualitatem habet: ergo eodem fundamento potest intellectus qualitatem concipere, quę non rei erit, sed solius rationis concipientis, ac si esset.

95 Arg. 1. N. Manso ex P. Aug. lib. 2. Soliloq. cap. 6. ubi ait: *Quamvis enim pleraque specula homines faciant, non tamen ipsi effingunt eas, quæ reddantur, imagines*: ergo quamvis intellectus causet speciem expressam, quæ repræsentat relationem rationis, non effingit tamen relationem ipsam. Patet conseq. per rationem ipsam, quam ibi habet S. P. distinguit enim, & ait, quòd natura alia gignendo, alia resultando causat, & subjungit, quòd quia imago illa resultat, non illam facit, qui fecit speculum; sed pariter resultat relatio, in qua consistit ens rationis: ergo.

96 Resp. 1. quód ex loco S. P. potiùs deducitur contra ipsum; illa enim imago, quia non effingitur à faciente speculum, nullomodo est aut dici poterit ens, vel opus ejus: si ergo pariter resultat illa relatio, nullomodo poterit dici ens aut opus intellectus vel rationis ponentis fundamentum. Præterea: fundamentum ante omne opus intellectus ponitur; nempè in specie impressa repræsentatur eodem modo ac in expressa quidditas naturę. Resp. 2. directè neg. suppositum, quo tota nititur difficultas, quòd nempè ens rationis sit relatio resultans, neque enim sola relatio est, neque ea resultat, ut ex dictis constat.

97 Arg. 2. ex eodem S. P. lib. 83. quæst. q. 2. ubi ait: *Quisquis ullam rem aliter, quàm ea res est, intelligit, fallitur; & omnis qui fallitur, id in quo fallitur, non intelligit: quisquis igitur ullam rem aliter, quàm est, intelligit, non eam intelligit: non ergo potest quidquam intelligi, nisi ut est.* Ex hoc ita arguit: Si ens rationis fieret per cognitionem rei aliter ac est, nihil intellectus intelligeret per talem cognitionem; sed ens rationis, ut patet, fit per cognitionem, qua aliquid intelligimus: ergo non per cognitionem rei aliter ac est. Totus, inquit, discursus est P. Aug. sed min. non habetur in illo discursu, imo neque maj. ut mox patebit; hanc igitur ipse rationem min. assignat: quia nulla cognitio nostra est, quæ non sit potentialis & præcisiva, quare nulla est, quę non formet entia rationis: si ergo cognitio, qua formatur ens rationis, nihil attingit, omnis nostra cognitio talis erit.

98 Resp. admisso, ut jacet, discursu S. P. ad rationem

inde

inde deductam 1. neg. maj. non enim ait S. P. quòd cognitio rei aliter ac est nihil intelligit, sed quod non intelligit illam rem, & hoc verum est, cò enim ens rationis formatur, quia accipit & apprehendit quod in re non est, ac si esset, quarè sibi in re non respõdet, quod apprehendit, apprehẽdit autẽ & cognoscit aliquid, licet nõ aliquid reale, aut in re sibi respondens. 2. neg. min. in sensu, quem intendit arguens, eó enim tale apprehensum ens rationis est, quia in objecto non datur, neque aliud esse habet, quàm quod illi dat intellectus apprehendens quod non est, ac si esset. Ad rationem min. neg. suppositum, quód cognitio præcisiva formet ens rationis, eò enim dicitur, quòd abstrahentium non est mendacium, neque error, quia cognitio præcisiva attingit quidditatem ut per definitionem suam significatur, in quo nullum involvitur ens rationis.

99 Arg. 3. ratione ex D. Th. deducta, quæ tamen jam in præcedentibus adducta est & soluta, nempè: cognitio formativa entis rationis neque est directa & prima, neque reflexa & secunda: ergo nulla est. Ratio ant. quantum ad 2. partem est: quia cognitio reflexa adinvenit relationẽ rationis: ergo non illam formatur. Ratio autem primæ partis est: quia relatio illa est secunda intentio objectiva; at secunda intentio objectiva præsupponit secundam intentionem formalem: non ergo potest actu directo formari, talis enim actus est prima intentio formalis.

100 Resp. 1. quód ratio hæc totum ejus intentum destruit: vult enim ipse, quòd illa relatio rationis resultat in natura actu directo cognita quarè illam ibi adinvenit secunda cognitio reflexa; at juxta hanc rationem non nisi post cognitionem reflexam esse potest illa relatio, præsupponit enim secundam intentionem formalem, quæ est ipsa cognitio reflexa: ergo non potest ex prima cognitione resultare. Resp. 2. directe neg. ant. Ad rationem ejus dicitur, quód cognitio reflexa illam relationem adinvenit, quatenus ex fundamento quod res præbet ipsam concipit, non autem, quatenus ipsa relatio verè ibi esset ante quam conciperetur, alioqui non secunda intentio esset, sed prima; neque D. Th. ait, quòd ratio adinvenit relationem, sed denominationem secundæ intentionis, quę potest dici adinveniri, quatenus adinvenit illum modum relativi ad inferiora, ex quo movetur ut concipiat relativè.

101 Arg. 4. Relatio realis non fit formaliter per realem causalitatem: ergo neque relatio rationis. Ant. ab omnibus admittitur ex Phil. in 5. Phys. Conseq. ostenditur: Idcó relatio realis

non fit formaliter, quia posito fundamento resultat; sed pariter posito fundamento resultat relatio rationis: ergo. Conf. 1. Ens rationis fit quatenus causatur ejus existentia; sed non causatur ab intellectu formaliter, sed tantùm fundamentaliter: ergo. Probat min. Existentia entis rationis consistit in esse objectivo, quod habet in specie expressa repræsentativa fundamenti; sed tale causatur tantùm fundamentaliter ab intellectu: ergo. Maj. supponit alibi probatam, & min. sic ostendit: tale esse objectivum non aliter causat intellectus, quàm causando ipsam speciem fundamenti repræsentativam: ergo. Conf. 2. Si ens rationis fieret formaliter, consisteret in actu objici, & fieret cognitione practicè factiva ipsius; sed utrumque est falsum: ergo. Min. quantum ad 1. probata supponitur, quia resultat ex cognitione directa, quarè est antequam actu objiciatur; quantum ad 2. item, quia neque cognitio directa, neque reflexa potest esse factiva ejus propter rationem adductam in argumento præcedente.

102 Resp. quòd hęc omnia nihil novum adducunt; sed tantùm difficultates in præcedentibus solutas. Ad arg. itaque neg. conseq. quia relatio realis est verè & re ipsa se habere ad alterum, quarè illo posito hoc ad illud se habet; relatio autem rationis est non se habere, & concipi ac si verè se haberet, si enim verè se haberet ad alterum, verè & re ipsa haberet relationem. Ad rationem in contrarium neg. min. Ad 1. Conf. neg. min. Ad prob. neg. maj. in specie enim sui fundamenti non objectivam, sed subjectivam existentiam haberet, & dato, quòd illa dici posit objectiva, non in intellectu est, qualem debet habere ens rationis, sed in specie, qualem habet imago in speculo, quæ ex quo posit visui objici, non dicitur esse objectivè in visu. Ad 2. Conf. neg. min. & ad prob. ejus jam dictum est in sol. ad præc.

103 Quæ pro eadem sent. adducit Lalem. aut eadem sunt, quæ in præcedentibus soluta manent, aut simplici assertione supponunt quod probandum erat. Prima ejus ratio hæc est: Quando intellectus format propositionem, v. g. *Petrus est homo*, eàdem cognitione, qua cognoscit Petrum esse hominem, habet ly *homo* rationem prædicati, quamvis de ea intellectus non consideret. Ad hoc posset eàdem libertate negari, qua ipse affirmat, dicitur autem, quod illa cognitione habet rationem prædicati metaphysicam & primæ intentionis; hæc autem non est ens rationis, nempè illa cognitione verè & re ipsa prædicatur homo de Petro, ens autem rationis est, quod ex

hoc

hoc concipiat intellectus formam aliquam & relationem in ipso prædicato *homo*, quam in se non habet, & eó illa est rationis.

104 Secunda ratio est: Quód relatio realis resultat ex positione fundamenti: ergo potiùs relatio rationis, quia minus habet de esse. Ad hoc jam dictum est suprà, ulterius autem dicitur, quod relatio realis non resultat nisi positis fundamento & termino; at terminus relationis rationis non ponitur in intellectu, nisi actu quo ipsa relatio formatur, nempè actu reflexo, quo natura concipitur relativè ad inferiora sua, quarè non est idem de illa, ac de reali. Tertia ratio est: quod aliqua potentia attingitur, debet præcedere actum, quo attingitur, quia actus causatur ab objecto: ergo ens rationis esse habet pro priori ad actum, quo cognoscitur. Resp. quód ant. tantúm tenet de objecto simpliciter, & motivo; tale autem non est ens rationis, sed secundarium & purè terminativum.

ARTICULUS II.

An aliqua alia potentia in nobis præter intellectum formet ens rationis?

105 NON est sensus, an alia potentia præter intellectum formet ens, quod tantum habeat esse objectivè in intellectu; hoc enim sensu apertè patet, quòd solus intellectus format ens rationis; sed sensus est, an sicut intellectus entia format, quæ nullibi sunt aut esse habent nisi tantum objectivè in ipso, ita possit aliqua alia potentia efformare, quod tantum objectivè in ipsa potentia formante sit. Prima sent. docet etiam sensus externos proprium formare ens, ut cùm sensus circa proprium objectum fallitur, v. g. visus colores videt ubi non sunt veri colores, ut in Iride, & remum in aqua fractum; auditus in echo multiplicatam vocem percipit, ubi una tantùm est. Ita P. Arriaga.

Secunda sent. negat quidem de sensibus externis, affirmat verò de internis; imaginativa enim figmentum efformat, quod nullibi est, nisi tantùm objectivè in ipsa, ut cùm montem aureum imaginatur. Pro hac idem Arriaga citat P. Suar. & citantur communiter Rub. Merin. & alij. Tertia sent. negat de sensibus tam externis, quam internis, affirmat verò de voluntate. Pro hac citantur Scotus & Scotistæ communiter, Mast. verò q. 4. art. 2. id tantum probabile asserit, & quidem casus, quo tantùm putatur voluntas ens rationis efformare, probabiliter tantum de mente Scoti tenetur à Scotistis, teste eodem Mast. quando nempè ipsa voluntas bonum sibi præfinit, quod neque

objectum habet, neque ab intellectu proponitur; quando enim objectum proponit intellectus, quod voluntas attingat, non tunc ipsa voluntas ei dat esse, sed pro priori habet in actu intellectus proponente, quarè non id solius voluntatis est ens, aut tantùm in voluntate objectivè esse habens.

Quarta sent. quam cæteri tenent, docet, nullam aliam potentiam præter intellectum formare ens rationis. Hæc nobis tenenda est; displicet tamen motivum, quod ferè omnes assumunt, nempè quòd ens rationis sic est objectivè in potentia, quod extra illam nec est, nec esse potest; tunc autem, cæterę omnes potentiæ quidquid attingunt, licèt fortè non sit, non tamen est impossibile esse extra potentiam; si enim voluntas impossibile aliquando attingit, non ipsa format, aut fingit, sed ab intellectu proponente supponit confictum; potentiæ sensitivæ unionem tantùm, non identitatem diversorum objectorum attingunt, quarè cum sola identitas non verò unio sit impossibilis, solus intellectus potest impossibile attingere, & ens rationis formare. Hęc, inquam, ratio displicet: non enim, ut jam supra diximus, de ratione entis rationis est, quòd sit impossibile, sed tantùm, quòd non aliud esse habeat quam objectivum. Deinde: ipsum possibile, ut accipitur contradistinctum á causa sua, ens rationis; est quia licèt id, quod ita accipitur, sit realis essentia possibilis in re poni, in actu tamen nihil est, quod intellectus accipit ut verum ens, & ideò hoc, quod accipit tantùm est objectivè in ipso, licèt possit in re esse. Præterea: relatio, quæ apud omnes ens rationis esse potest, non est quid impossibile.

106 Dicendum ergo cum communi sent. quòd solus intellectus in nobis format ens rationis. Prob. Solus intellectus vim habet percipiendi ultra id quod sibi repræsentatur in specie, qua movetur; sed ille tantùm actus ens rationis efformat, qui percipit ultra id, quod sibi repręsentatur in specie: ergo. Maj. patet, quia solus intellectus est potentia discurrens, atque ex uno aliud deducens; percipere autem ultra id, quod species repræsentat, ea tantum potentia potest, quæ sic potest deducere; tale enim percipere est quodammodo deducere & colligere, quod in specie non est, sive repræsentatur. Min. ostenditur: Si potentia id tantum percipit, quod in specie repræsentatur, nihil attingit, quod tantum sit objectivè in ipsa; sed hoc est ens rationis: ergo. Patet maj. quidquid enim attingit prius erit subjectivè in specie.

107 Arg. 1. pro prima sent.

sent. Intellectus format ens rationis cùm decipitur & concipit quod non est ac si esset; sed decipitur sensus & attingit quod non est ac si esset: ergo. Maj. patet, eò enim quod non est in re id, quod attingit intellectus, tantum est objectivé in ipso. Min. exemplis supra adductis ostenditur: visus enim in Iride attingit colores, qui non sunt, ac si essent, & remum in aqua fractum, & ita in alijs.

108 Resp. dist. maj. Intellectus format ens rationis cum concipit quod non est neque in re, neque in specie, qua movetur, conc. maj. Quod non est in re præcisè, neg. maj. conceptu enim præcisivo attingit quod non est in re, siquidem in re non est natura sine individuatione; non autem in illo conceptu decipitur aut ens rationis format, quia in specie, qua movetur, ita repræsentatur natura; hoc autem sensu neg. min. quia sensus id percipit quod repræsentat species, qua movetur, quarè non ipse decipitur, sed judicium de tali sensatione fallax est. Itaque S. P. de ver. relig. cap. 33. cujus verba adduximus trac. præc. disp. 2. ait quod, qui putat remum in aqua frangi, non malum habet nuncium, sed malus est judex, nempe species sibi objectum repræsentat secundum dispositionem medij, & quia aliter in aqua, aliter in aere species imprimitur illius medietatis remi, quę extra aquam est, & potest sensum immutare, hoc sensus percipit, & judicium de sensatione putat objecti esse, quod medij est, & speciei in medio: non ergo ipse sensus decipitur aut aliquid percipit, quod tantum sit objectivè in ipso, & idem de alijs dicendum.

109 Arg. 2. pro secunda sent. Imaginativa ex speciebus montis & auri montem aureum percipit; sed tale est tertium quid, quod tantum est objectivè in ipsa: ergo. Conf. Quia brutæ sepe falluntur & ens rationis formant; sed intellectum non habent, quo possint formare: ergo imaginativa formant. Prob. maj. Ovis hominem lupi pelle contectum lupum reputat, siquidem æquè fugit ac à vero lupo; canis umbram hominis verum reputat hominem, umbræ enim allatrat; passeres pictas ubas veras aliquando reputarunt, nam ad ipsas advolasse scribitur de quadam Zeuxis pictura, & ita in multis alijs.

110 Resp. neg. min. nam mons aureus imaginativa perceptus non est tertium quid, sed tantum quod imaginativa simul & uno actu percipit quod in una specie non repræsentatur, sed in duplici; non autem ex hoc idolum ipsa fingit, quod sit tertia natura ex duabus, quod tantum est ens rationis. Ad Conf. neg. maj. Ad ejus prob. dicitur, quod ovis homi-

hominem fugit lupi pelle contectum, non autem ad hoc requiritur, quod lupum reputet, sed quod ipsam lupi pellem, quam sensu percipit, aversatur. Canis item nihil amplius percipit, quam sibi species repræsentat, ex umbra enim objecti alicujus similitudinem habet, hoc percipit, & hoc sufficit, ut illi adlatret. Idem de pictura dicitur, ea enim objecti similitudinem repræsentat, & hanc aves percipiunt, quare id, quod ipsi percipiunt, non fictum quid est, aut tantum objectivè in potentia, sed prius subjectivè est in specie, deceptio autem non in eo est quod aliquid percipiunt, quod omnino non est, sed quod perceptio speciei conformatur, non autem species objecto.

111 Arg. 3. pro tertia sent. multis, quibus ostenditur, quod voluntas amat aliquando impossibile, quare potest attingere, quod non est ac si esset. Sed his omnibus respondetur, quod illud est quidem ens rationis, non tamen à voluntate, sed ab intellectu ipsam regulante confictum, quia nihil volitum, quin præcognitum. Mast. itaque his missis totam hujus sent. probabilitatem ex eo deducit, quod de mente Scoti potest voluntas bonum sibi à se præstitutum amare, nempe intellectu proponente objectum nullomodo bonum, ipsa voluntas bonitatem aliunde assumptam illi objecto affigit, & sibi præfigit hoc objectum hac bonitate amandum: tunc enim objectum, quod amat voluntas, nullibi est, neque in ipso etiam intellectu, nempè objectum hac bonitate bonum; talem quippe bonitatem neque objectum in re habet, neque intellectus habere proponit: ergo objectum hac bonitate bonum tantum est objectivè in voluntate, & consequenter ens rationis ab ipsa voluntate efformatum.

112 Resp. quod jam trac. præc. disp. 3. ostendimus non posse voluntatem sibi bonitatem præstituere, aut objecto præfigere, alioqui ipsa esset cognoscitiva. Ulterius autem ratio qua alia argumenta rejicit Mast. & inefficatia reputat, hoc etiam rejicit, nempe nihil volitum, quin præcognitum, quare si voluntas aliquod amat impossibile, id sibi prius proponit intellectus. Hæc, inquam, ratio rejicit etiam bonum præstitutum. Neque quid refert, quod dicatur hanc bonitatem ab intellectu præcognitam esse, & ipsi voluntati propositam, non autem propositam ut hujus objecti, aut huic objecto, affixam. Hoc, inquam, nihil refert, quia hoc est quod ponitur amare voluntas, quare hoc debuit ab intellectu præcognosci, & ipsi proponi: sicut ergo, quia voluntas non est potentia cognoscitiva, nequit amare hanc bonitatem, aut aliunde habere,

quam

quam ab intellectu sibi hanc bonitatem proponente, ita eadem ratione nequit amare hoc objectum hac bonitate bonum, quin intellectus sibi proponat quod hoc objectum est hac bonitate bonum, hoc enim amplius dicit quam simultas utriusque speciei, nempe bonitatis & objecti, dicit enim quod hæc bonitas illius objecti passio sit, quod cognitionem requirit fingentem.

ARTICULUS III.

An Deus formet entia rationis?

§. I.

Relatis sententijs nostra probatur.

113 MIrum sanè quantum de re tantula digladiantur D. D. non solum enim Philosophi, sed Theologi etiam de ea latè disputant, & in plures dividuntur sent. ut videre est apud N. Gav. de atrib. in com. q. 2. art. 15. & 16. breviter quidem ab ea expediri fert animus, quia tamen de mente B. D. non clare constat, quare nostri communiter in affirmativam sent. ipsum trahunt, pro ejus mente explicanda, & tollenda æquivocatione, qua majori ex parte hęc controversia nititur, non nihil oportebit immorari; tota autem difficultas in hoc videtur sita, quod si ens rationis tantum habet esse objectivè, aut intellectui Divino non objicitur, & sic à Deo non cognoscitur; aut objicitur, & sic in eo habet esse objectivum, quare à Deo formatur.

114 Prima itaque sent. docet, quod intellectus Divinus neque cognoscit, neque format entia rationis, nempe ne cogatur asserere à Deo formari, negat cognosci. Pro hac citantur Caram. Vazq. atque ejus discipuli Torres, & Alarcon, & ex nostris Cœlestin. in Log. disp. 2. q. 2. Secunda sent. huic extremè oppositа docet non solum cognoscere, sed etiam formare intellectum Divinum quodlibet ens rationis. Hanc tenet Elis. in Met. disp. 3. q. 2. art. 4. pro ea citat Resol. & ejus discipulos, & ex Thomistis Prad. Araujo. Aguirre; ea communiter tribuitur Scoto, & Scotistis, Mast. tamen disp. 3. Log. q. 5. ait, quod de mente Scoti non constat, quare eam ipse problematicè amplectitur. Tertia sent. docet, quod Deus entia rationis cognoscit à nostro intellectu formata, nullum tamen format. Hanc ait Mast. valde esse plausibilem & communem, eam tenent communiter Thomistæ, & ex alijs Suar. Rub. Aversa & alij.

Inter has duas sent. media via multi procedunt, qui variè de

de entibus rationis distinguentes, alia formare, alia non formare docent intellectum Divinum. Quarta ergo sent. docet præter intentiones logicas & distinctionem rationis alia omnia formari ab intellectu Divino, sive fundata, sive ficta. Ita N. Villan. disp. 2. Log. dub. 6. cap. 1. ubi alios pro eadem sent. refert. Quinta sent. docet entia sine fundamento fieri non posse ab intellectu Divino, fundata autem posse. Pro hac Mast. citat Joan. de S. Th. Amic. & alios, sed Joan. de S. Th. apertè tenet sextam sent. Itaque sexta sent. docet, quod ens rationis cum fundamento necessitante potest Deus formare, non autem cum fundamento non repugnante. Hanc tenet N. Gav. loco sup. cit. & in Log. q. 2. art. 4. Manso in Log. lib. 2. q. 7. qui pro ea citant B. D. & ejus discipulos, malè tamen ut patebit inferius.

116 Dicendum 1. quod Deus omnia entia rationis cognoscit à nostro intellectu formata. Hæc est contra 1. sent. pro qua non benè citatur Caram. ipse enim entia rationis negat, quare alio sensu tenet à Deo non cognosci. Prob. itaque conclusio 1. ex fac. tex. quo dicitur, quod Deus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt, & quod ipse cognovit figmentum nostrum, & similia multa, quibus apertè supponitur quod cogitationes nostras, & figmenta, quæ eis formamus, Deus intuetur.

117 Prob. deinde manifesta ratione: Deus intuetur & supercomprehensivè videt omnes & singulas operationes nostras, quomodo enim suplicia decerneret, aut premia pro meritis uniuscujusque, nisi uniuscujusque operationes omnes & singulas videret? At operationes non potest intuitivè videre, nisi id videat, quod operatio percipit & attingit: ergo. Patet hæc min. perceptio enim quædam est assimilatio ei quod attingit. Conf. Non enim major ratio est, aut magis imperfectionem importat quod Deus entia rationis cognoscat, quam quod cognoscat peccata; sed hoc secundum Deo negari non potest: ergo illud 1. negari non debet. Conf. 2. Deus in essentia sua videt non solum ea, quorum est idea, & quæ ipsam possunt imitari, sed etiam quæ ab illa discordant, & nequeunt illam participare; sed quodlibet ens rationis ad id pertinet, quod nequit participare, aut imitari essentiam suam: ergo. Patet maj. alioqui non cognosceret Deus peccata. Patet itē min. quia ens rationis est non ens acceptū ab intellectu nostro ut ens.

118 Ad rationem resp. P. Vazq. quod Deus videt quidem comprehensivè operationem & terminum ejus, sed non proinde ens rationis cognoscit, quia cognos-

noscit terminum illius operationis, ut est, nempè extrema realia, non verò unionem, sive identitatem, quæ non est, & in hac consistit ens rationis. Sed contra: 1. non quodlibet ens rationis consistit in identitate ficta extremorum realium, ut ex jam dictis patet. 2. terminum illius operationis videt; sed non extrema realia, sed eorum identitas est terminus illius operationis: ergo. Patet min. alioqui ea non formaret ens rationis, si ad id tantum terminaretur, quod in re est. 3. quia ab essentia sua discordat ille terminus non ut importat extrema realia, sed ut importat identitatem fictam; sed Deus in essentia sua videt, quod ab ipsa discordat, sic enim peccata cognoscit, negationes, & non entia: ergo.

119 Hinc ad id patet, de quo multi dubitant, & in quo majorem difficultatem esse imaginantur, an nempè Deus entia rationis cognoscat extra intellectum humanum? Ratio dubitandi est: quia ens rationis non aliud esse habet, quam objectivè in intellectu; at extra intellectum humanum non esse habet in ipso, aut ab ipso: quod ergo tunc haberet esse objectivum, ab intellectu Divino haberet, & sic Deus talia formaret. Mast. ait, quod cognoscere entia rationis extra intellectum humanum est ea efformare, & illis dare esse objectivum, in quo consistunt; & quia probabile putat Deum talia entia formare, probabile tenet sic cognoscere.

120 Ad hoc, inquam, ex dictis patet: Deus quidem extra se nihil cognoscit, sed omnia in essentia sua; nihilominus tamen utroque modo entia rationis cognoscit, & in intellectu humano, sive operatione ejus, & extra ipsum, quin ex hoc esse objectivum illis tribuat, aut ea formet: cognoscit quidem in intellectu humano, quatenus idea hominis repræsentat operationes ejus, & earum terminos; cognoscit deinde extra, quatenus essentia sua medium est quo cognoscit quidquid ab ea discordat; neque ex hoc eis esse tribuit, aut ea formal, quia non precisè objici cognitioni est ab ea habere esse objectivum; sicut enim supra diximus, quod negatio non est ens rationis, nisi quatenus ad modum entis concipitur, quia sic solum habet esse objectivum, cum enim concipitur ut non ens, non esse habet, sed non esse, seu negationem ejus, ita in proposito ens rationis habet esse objectivum à cognitione accipiente ipsum ac si esset, hæc enim aliquod esse ipsi tribuit, quod purè objectivum est; non autem sic acciperet illa cognitio Divina, quare non ei tribueret esse objectivum.

121 Dicendum 2. quod entia rationis chimerica & sine

fundamento non potest formare intellectus Divinus. Prob. Quia formare ens rationis non est præcisè illud cognoscere, sed cognoscere ut aliquod ens, & dando ei aliquam quidditatem; sed repugnat quod intellectus Divinus ita cognoscat: ergo. Patet maj. tum quia tantum vi hujus secundæ cognitionis habent quiddita tem objectivè in intellectu, qui enim non ens cognoscit ut non ens, nullam ei quidditatem tribuit, sed potius carentiam ejus, tum deinde quia cognitio formans ens rationis sine fundamento falsa est & fingens, quæ autem chimeram accipit ut ens repugnans, & omninò impossibile, verissima est. Min. item patet, quia cognitio accipiens ac si effet id, quod non est, falsa est & fingens, quæ proinde Deo repugnat.

122 Dicendum 3. quod entia rationis cum fundamento non repugnante nequit etiam formare intellectus Divinus. Hæc etiam de facili prob. Quia talia entia sunt secundæ intentiones; sed istæ sive ex cognitione, qua formantur, sive ex illa, quam de necessitate supponunt, repugnant ab intellectu Divino fieri: ergo. Prob. min. quantum ad 1. quidem: quia formantur cognitione, quæ relationem concipit in objecto, quod in se nullum habet; sed ista Deo repugnat: ergo. Patet maj. quia secunda intentio universalitatis v. g. consistit in relatione naturæ ad inferiora sua, quam natura ipsa in se & metaphysicè non habet, identificatur enim cum ipsis inferioribus, & de illis prædicatur in quid. Quantum ad 2. item ostenditur eadem min. Quia supponunt de necessitate cognitionem naturę potentialem & præcisivam ejus ab inferioribus suis; hæc autem Deo manifestè repugnat.

123 Dicendum 4. quod neque entia rationis cum fundamento necessitante format intellectus Divinus. Hęc est contra nostros specialiter, qui oppositum putant de mente B. D. quod nempè eo dicuntur cum fundamento necessitante, quia illud fundamentum necessitat quemcumque intellectum ens rationis formare. Pro cujus intelligentia not. quod B. D. in 1. dist. 19. p. 1. quæst. 2. qua tota agit de veritate, & dist. 30. q. 1. qua agit de relationibus temporalibus in Deo, præsertim art. 3. quem pro se nostri adducunt, docet quod mensura & mensuratum sunt correlativa, & dicuntur ad se invicem per unam relationem, quæ secundum rem est in mensurato, in mensura autem non nisi secundum rationem; quia mensuratum re ipsa dependet à mensura; & ad eam se habet; mensura verò non dependet re ipsa, sed quatenus relationem &

de-

dependentiam mensurati terminat, modum habet relativi, seu est relativa secundum dici, & ex sua quidditate absoluta, qua illam dependentiam & relationem terminat, habet ad mensuratum concipi; sic autem concipiendo relationem format intellectus in objecto, quod nullam in se habet, quare illa relatio, quę in mensurato est secundum rem, in mensura tantum est secundum rationem, quatenus habet sic concipi.

Hinc relationes temporales dicit in rebus creatis esse secundum rem, in Deo autem tantum secundum rationem, quatenus nempè Deus terminat dependentiam & relationem temporalem creaturæ, quo modum habet relativi, seu relationem secundum dici, & idem de qualibet mensura respectu sui mensurati: quia ergo ille modus relativi necessitat intellectum relativè concipere, relatio, quam sic concipiendo format, rationis est, nempè concipitur in objecto, quod in se illam non habet; quia illud fundamentum cogit sic concipere, dicitur rationis cum fundamento necessitante; & quia etiam respectu intellectus Divini illud fundamentum est relativum secundum dici, re enim ipsa habet in se illum modum relativum, deducunt nostri quod illud fundamentum etiam intellectum Divinum necessitat sic concipere, & formare tale ens rationis quod neque docet B. D. neque ex ejus doctrina deducitur.

124 Prob. ergo conclusio: Non formatur ens rationis etiam cum fundamento necessitante, nisi per cognitionem, quæ concipiat relationem in objecto, quod relationem in se non habet; sed talis cognitio Deo repugnat: ergo. Prob. maj. Si talis cognitio apprehendit relationem in objecto, quod in se illam habet, illa relatio non rationis est, sed rei ipsius, nec ratio refert, sed res ipsa refertur: ergo ut ea sit rationis debet cognitione apprehendi in objecto, quod illam in se non habet. Ostenditur deinde min. Concipere quod non est ac si esset, est imperfectio Deo repugnans; sed concipere relationem in objecto, quod illam non habet est concipere quod non est ac si esset: ergo.

125 Resp. quod talis imperfectio non ipsius est cognitionis, sed rei conceptę, quæ ex illo modo relativi, quem habet, cogit & necessitat intellectum sic concipere, quare ea Deo non repugnat, neque in Deo cognoscente, sed in objecto concepto imperfectionem refundit. Sed contra: 1. Objectum sic conceptum Deus ipse est v. g. ut creator; sed apertè implicat, quod Deus intellectum suum necessitet concipere aliter ac in se habet: ergo. 2. Illa necessitas est modus rela-

tivi, & similitudo, quam objectum quidditate sua absoluta habet cum eo, quod verè est relativum; sed similitudo relativi nostrum quidem intellectum poterit cogere ut modo relativi concipiat, quippè noster intellectus potentialitate sua habet similitudine decipi, & verosimile accipere ut verum, intellectus autem Divinus, imo etiam Angelicus objectum illud ut in se verè est concipit, nempè non relatum, sed relato simile: ergo. Adde quod noster etiam intellectus reflexione facta videt, quod illud objectum in se non habet relationem, sed modum relativi, seu relationem secundum dici. Alia mitto, quoniam ex his sufficienter patet conclusio, amplius autem patebit solutione eorum, quæ objiciuntur in contrarium, ubi loca expendemus B. D.

§. II.

Solvuntur argumenta.

126 ARg. 1. contra primam conclusionem: Deus nihil cognoscit, nisi in Divinis ideis; sed ibi nequit ens rationis cognoscere: ergo illud non cognoscit. Prob. min. Illa solum potest Deus in ideis cognoscere, quæ ideam in Deo habent; sed ens rationis non habet ideam: ergo. Prob. min. Illa solum ideam habent, quæ sunt factibilia; & possunt Divinam essentiam imitari; sed ens rationis non est factibile: ergo. Patet maj. quia idea hoc est, ipsa Divina essentia ut est à creaturis imitabilis.

127 Resp. 1. neg. min. Ad prob. neg. maj. quia privationes, & non entia, mala item & peccata Deus procul dubio cognoscit; talia autem ideam in Deo non habent, neque Divinam essentiam imitantur Resp. 2. claritatis gratia dist. illud assumptum: Illa solum potest Deus cognoscere, quæ ideam habent positivè & cui conformantur, neg. maj. Alioqui non cognosceret peccatum: quæ ideam habent sive positivè, & cui conformantur, sive remotivè & à qua discordant, conc. maj. & hoc sensu neg. min. licet enim ens rationis ideam non habeat cui conformetur, habet tamen, à qua discordat. 3. Data illa maj. neg. min. Ad prob. ejus dicitur, quod ea, quæ per se & ratione sui possunt à Deo fieri, ideam habent propriam, quę autem non per se, sed aut in alio, aut ab alio fieri possunt, non in propria idea cognoscuntur, repræsentantur autem in idea alterius, aut cujus sunt partes, & sic materia in idea cognoscitur totius, cujus est pars; aut in idea illius, à quo possunt fieri, sic in idea repræsentante hominem cognoscuntur omnes operationes ejus, & earum termini, & in ea po-

potest cognosci ens rationis.

128 Arg. 2. Cognitio entis rationis involvit imperfectionem : ergo Deo repugnat. Prob. ant. Cognitio entis rationis est cognitio entis, quod non est ac si esset ; sed hæc imperfectionem involvit : ergo. Resp. neg. ant. Ad prob. ejus dist. maj. Cognitio practica, seu factiva illius, conc. maj. Cognitio speculativa, & quę factum attingit, neg. maj. Itaque illa cognitio, quæ ens rationis format, de necessitate attingit quod non est ac si esset; debet enim attingere, quod non est, si enim attingit quod est, non ens rationis, sed reale est id, quod attingit ; debet item attingere ac si esset, si enim quod non est attingit ut non ens, non dat illi esse objectivum, sed potius objectivè in intellectu habet illud idem non esse, quod in re ; at vero cognitio speculativa, & quæ ens rationis cognoscit verè ut in se ipso est, non ei dat objectivè aliquod esse ; sed quod habet, aut habere potest ab intellectu sibi tribuente, cognoscit, in quo nulla est imperfectio.

129 Arg. 3. Cognitio entis rationis aut esset per assensum, aut per dissensum in Deo ; sed utraque repugnat : ergo. Prob. min. quantum ad 1. quia per assensum falsa est & fictiva. Quantum ad 2. item : quia cognitio per dissensum est nescientia, quare ait S. P. quod talia nesciendo sciuntur, nempè videmus tenebras non videndo lucem ; at nescientia imperfectionem importat Deo repugnantem : ergo. Resp. 1. quod ens rationis potest Deus cognoscere per assensum & positivè, non in se ipso, sed in idea repræsentante intellectum hominis, & ejus operationem, qua fit, & in hoc nulla est fictio, aut imperfectio. Resp. 2. quod nescientia illius, quod est quid positivum, & potest sciendo cognosci, imperfectionem involvit, non autem ejus quod nequit aliter cognosci, & tale est ens rationis.

130 Arg. 4. Si Deus entia rationis cognosceret, ea faceret; sed facere nequit : ergo nec cognoscere. Prob. maj. facere ens rationis est ei dare esse objectivum ; sed illud cognoscere est ei dare esse objectivum : ergo illud cognoscere est facere. Patet hæc min. quod enim cognoscitur, est objectivè in mente cognoscentis. Conf. Quod Deus cognoscit ab æterno cognoscit : si ergo ens rationis cognoscit, ab æterno illud cognoscit, & cum ab æterno non esset humanus intellectus à quo haberet esse objectivum, illud haberet ab intellectu Divino, & sic ab eo fieret. Conf. 2. Si Deus ens rationis cognoscit à nostro intellectu formatum, aut illud idem, quod noster intellectus format, aut aliud ei simile, quod sit imago ejus : Si dicatur primum,

mum, cùm ens rationis à nobis formatum esse non possit extra intellectum nostrum, sequitur, quod Deus aliquid extra se cognoscit, quod est inconveniens: Si autem dicatur secundum, illud alterum ens rationis non habet esse ab intellectu nostro, quare illud habebit ab intellectu Divino: si ergo repugnat ab intellectu Divino fieri, repugnat pariter ab eo cognosci.

131 Ad hoc arg. communiter resp. quod cognoscere ens rationis cognitione practica est illi dare esse objectivum; non autem illud cognoscere cognitione speculativa. Hæc solutio difficultatem relinquit intactam; hoc enim argumentum probat, quod nulla cognitio entis rationis est purè speculativa, sed quælibet est practica, cum cuilibet objiciatur, & consequenter in qualibet habeat esse objectivum, quare solutio ex doctrina in præcedentibus data accipienda est, quam habet B. D. in 1. dist. 33. q. 1. art. 2. in sol. ad 1. quod nempè esse tripliciter accipitur; uno modo, ut significat veritatem propositionis; alio modo, ut significat quidditatem; & 3. modo ut significat esse in re, sive existentiæ; dicimus enim, quod *nihil est, quod esse non habet*, ubi de nihilo aliquod esse affirmatur per copulam est; aliquod verò negatur, cum dicitur, quod non habet esse: esse ergo quod affirmatur est verificativum propositionis, quod nihil est aliud quam concipi, ut de eo possit aliquid dici, negatur vero esse quidditativum, & esse in re.

Cum dicitur ergo quod ens rationis habet esse objectivum in intellectu, intelligitur de esse essentiæ & existentiæ, oportet nempè quod intellectus accipiat ut aliquid & habens essentiam, quod in re nullam habet, ut formet ens rationis, verissima enim cognitione & nihil fingente concipit intellectus chimeram esse ens repugnans; cum autem dicitur, quod cognoscitur esse objectivè in mente cognoscentis, intelligitur de esse verificativo propositionis: ex hoc ergo quod priori modo concipitur ad modum entis; formatur ens rationis, & cognitio est practica, speculativa autem, quæ posteriori modo concipit.

132 Ad arg. itaque neg. maj. Ad prob. dist. maj. Est ei dare esse objectivum essentiæ & existentiæ, conc. maj. Est ei dare esse, quod significat copula, & tantum quantum ad veritatem propositionis, neg. maj. & eodem sensu min. quia tantum dat esse essentiæ enti rationis cognitio, quæ illud accipit ad modum entis. Ad 1. Conf. neg. subillatum conseq. Cognoscit ab æterno Deus ens rationis, non quidem factum, aut esse objectivum habens, sed possibile fieri, in ipsa idea

idea, quę hominem repræsentat, & ejus operationem posſibilem. Quo patet ad 2. Illud idem ens rationis, quod fiet ab intellectu humano cognoscit Deus in se ipso, & in idea hominis, à quo fiet, & quo habebit in ipso intellectu, quando fiet, esse objectivum existentiæ, habet in idea esse objectivum, quod significat copula.

133 Arg. 5. N. Vill. contra 2. conclusionem ex B. D. in 1. dist. 36. q. 2. art. 4. ad 1. dicente; *quod licet hircocervus & chimera non sint entia in rerum natura, non tamen de ratione eorum est privatio entis, & ideo imaginabilia sunt, & ideam habent*: Ergo possunt à Deo cognosci, & sic habent esse objectivum in intellectu Divino; sed non aliud habent: ergo. Resp. ex dictis dist. subillatum: habent esse objectivum, esse quod significat copula, conc. Esse essentiæ aut existentiæ, neg. Pro intelligentia autem tex. B. D. nota, quod illo art. quærebatur, an mala habeant ideam? Arguebatur in contrarium, quod non entia imaginabilia sunt, & ideam habent: ergo & mala. Ad hoc resp. B. D. duobus modis: 1. per verba assignata; 2. & melius, quod hircocervus ideam habet quantum ad partes suas, non autem quantum ad identitatem fictam: sensus ergo primæ solutionis est, quod aliter noster intellectus apprehendit mala, ac hircocervum, nempè hircocervum apprehendit ad modum entis, quare potest dici quod ideam habet, nempè illam, quæ ipsum intellectum nostrum repræsentat, non autem sic mala, quæ à nobis apprehenduntur ut mera privatio boni.

134 Arg. 6. fundamento, quod communiter Scoto tribuitur: Tota imperfectio, quam importat cognitio factiva entis rationis est termini facti: ergo Deo non repugnat. Prob. ant. Cognoscere ens rationis ut petit cognosci nulla est imperfectio cognoscentis, sed termini cogniti; at ens rationis petit cognosci ad modum entis & ut quædam umbra & similitudo ejus: ergo. Mitto alia, quæ ad hoc ipsum habet N. Manso, quia ex solutione hujus ad illa patet. Resp. neg. ant. Ad prob dicitur, quod aliud est ens rationis cognoscere ut petit cognosci, aliud verò, quod non est ens concipere ut verum ens; illa prior cognitio non importat imperfectionem aliquam, sed non ea format ens rationis; hęc posterior format ens rationis, sed ea imperfectionem involvit, ut de se patet.

135 Arg. 7. contra ultimam conclus. ex P. Aug. lib. 83. quæst. q. 46. ubi ita habet: *Quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si rectè dici & credi non potest, restat*

tai ut omnia ratione sint condita; nec eadem ratione homo, qua equus, hoc enim absurdum est existimare: singula igitur propriis sunt creata rationibus; has autem rationes ubi arbitrandũ est esse, nisi in mente creatoris? Neque extra se quidquã positũ intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constituebat, hoc enim sacrilegium est arbitrari. Quibus verbis docet S.P. ideas in Deo præcessisse, & quod unumquodque creatum propriam habet ideam; at istæ ideæ non distinguuntur realiter, cum sint ipsa essentia Divina, ut est à creaturis imitabilis: ergo Deus illam idearum distinctionem attingens format ens rationis, nempè distinctionem inter tales ideas.

136 Resp. dist. min. Non distinguuntur realiter subjectivè, conc. min. sed neque hoc sensu illas cognoscit Deus distinctas nõ distinguuntur realiter objectivè, neg. min. & conseq. Itaque si Deus distinctas cognosceret ideas eo sensu, quo re ipsa non sunt distinctæ, fingeret, & falleretur ejus cognitio, quod absurdissimum est imaginari: idea ergo subjectivè est ipsa Divina essentia, quæ se ipsa, & sine ulla multiplicitate reali aut rationis est imitabilis multipliciter ab omnibus creaturis factis, & possibilibus fieri; objectivè autem accepta non ipsa creatura est potens imitari, aut quæ est objectum, sed terminatio dependentiæ ipsarum creaturarum; ipsa enim essentia, ut imitabilis, mensura est creaturarum, quę ipsam imitantur, & quia mensura ad mensuratum dicitur non relatione quæ sit in ipsa mensura, sed eadem relatione mensurati, quatenus ipsam terminat, relativa est secundum dici tantum, & à nobis concipitur relativè, quo est relativa secundum rationem; idea ergo in Deo sumpta objectivè significat respectus ideales, quibus multiplicantur & distinguuntur ideæ creaturarum isti autem respectus in intellectu nostro sunt relationes rationis, quia nos relativè concipimus in ipso autem Deo sunt tantum terminationes diversarum relationum creaturarum mensuratarum, ex quo habet Divina essentia nullam quidem in se & subjectivè realem multiplicitatem, sed objectivè multiplicem modum relativi, seu relationem secundum dici, & hoc tantum Deus cognoscit, sic ideas distinguit, quare sine ullo ente rationis.

137 Arg. 8. ex eodem S. P. qui quæstiuncula de Trinit. ait: *Nullatenus in Deo aliud est esse, aliud vivere, vel intelligere, vel aliud posse.* En de attributis omnino negat distintionem in ipso Deo, sed tantum in intellectu nostro, de ideis verò distinctionem esse in ipso Deo

supra

supra vidimus asserere; at neque ista neque illa realis esse potest, quia inter absoluta nullam realem distinctionem agnoscit nostra schola: ergo erit utraque rationis, & consequenter illam, quæ in Deo est ipse format Divinus intellectus. N. Manso aliter ex eodem loco subsumit, nempè, quod si nullam format distinctionem intellectus Divinus, cum utraque sit rationis, non aliter distinguuntur attributa, quam ideæ, nempè utrobique distinctionem format noster intellectus: si ergo aliter distingui docet S. P. tenet procul dubio, quod illam intellectus Divinus, hanc noster format.

138 Ex hoc loco melius ego pro nobis, quam contra nos argumentum deduci putarem, nempè: ideæ distinguuntur distinctione, qua non distinguuntur attributa; sed attributa distinguuntur distinctione rationis majori, nempè ratiocinata, & cum fundamento in re: ergo amplius distinguuntur ideæ, & sic realiter non quidem subjectivè, sed objectivè sensu supra explicato. Resp. itaque neg. min. & ad rationem inclusam dicitur, quod nostra schola non agnoscit realem distinctionem subjectivam, & quæ ponat ullomodo multiplicitatem in Deo, non autem negat objectivam, & quæ solum ponit multiplicitatem in mensurato, & dependentia ejus, quam multiplicem dependentiam re ipsa terminat sine ulla multiplicitate essentia Divina, & ex hoc sine ulla multiplicitate, nempè subjectivè in se ipsa, est multipliciter relativa secundum dici. Quod patet ad deductionem N. Manso; aliter distinguuntur attributa quam ideæ, quia hæ non ratione distinguuntur in ipso Deo, sed realiter objectivè.

139 Arg. 9. N. Manso ex B.D. in 1. dist. 36. q. 2. art. 2. ubi in sol. ad 2. ait: *Propter pluralitatem respectuum est in Deo pluralitas idearum*, & in sol. ad 1. *hujusmodi pluralitas idearum est in Deo, non sicut in natura ejus, sed tanquam in cognitione ipsius; cognoscit enim se Deus à pluribus imitabilem.* En illa pluralitas idearum non realis est, & quæ sit in ipsa essentia, sed rationis tantum, & quæ est solum in Divina cognitione. Eandem sent. habet ibidem N. Argent. quod nempè illam distinctionem & pluralitatē idearū non facit noster intellectus, sed intellectus Divinus.

140 Resp. quod mens B. D. clara est legenti tex. ejus, non enim relationem rationis intendit, sed relationem secundum dici, quam proinde dicit respectum, quare ait, *quod idea non dicit essentiam absolutè consideratam, sed cum quodam respectu*, scilicet ex quo multorum dependentiam terminat, modum habet relativi, & relatio-

nem secundum dici ad multa: ex hac ergo pluralitate respectum multiplicantur ideæ, hujusmodi autem pluralitas non est in ipsa essentia subjectivè, & hoc ait D. non esse in Deo sicut in natura sua, sed tantum est objectivè, nempè ex terminatione multiplicis relationis mensuratorum, quæ ipsam possunt imitari, & quia Divinus intellectus cognoscit ex termino tantum esse multiplicitatem, ait quod est tanquam in cognitione ipsius; quod illa pluralitas idearum sit in Deo, non facit intellectus noster, quia re ipsa essentia Divina terminat multiplicem dependentiam, & est multipliciter relativa secundum dici, & hoc intendit N. Argent. sed quod in Deo est tantum objectivè & secundum dici, noster intellectus concipit subjectivè & secundum esse quo format relationem rationis.

141 Arg. 10. N. Gav. à ratione: Absoluta, quę habent modum relativi, seu sunt relativa secundum dici, necessitant quemcumque intellectum ut intelligat ipsa eo modo, quo telliguntur relativa, nempè ad alterum, & consequenter formare relationem rationis; at ideæ sunt quid absolutum habens modum relativi ad ideata: ergo quemcumque intellectum, & sic etiam Divinum necessitant concipere relativè & formare relationem rationis. Mitto ea, quæ in confirmationem adducit, quia non addunt novam difficultatem.

142 Resp. 1. quod arg. amplius probat quam ipse intendat; nam v. g. universale primę intentionis modum habet relativi, & est relativum secundum dici, quare probat arg. quod Deus etiam format secundam intentionem, quod ipse non admittit. Resp. 2. directè neg. maj. nihil enim potest Divinum intellectum necessitare ut cognoscat objectum aliter ac in se est: quod ergo in se non relativum est, sed modum habens relativi, non relativè, sed absolutè cognoscitur à Divino intellectu, qui etiam videt, quod illa essentia absoluta non relationem, sed modum relativi habet; dicitur autem nostrum intellectum necessitare, quia hic ex potentialitate sua similitudine decipitur.

143 Arg. 11. idem: Deus ab æterno cognovit in suis ideis ideata diversimodè imitantia Divinam essentiam: ergo cognovit diversas imitabilitates essentiæ suæ; at non cognovit diversas diversitate facta ab intellectu creato: ergo ex se cognovit illam distinctionem; sed ea rationis est: ergo illam format Divinus intellectus. Hæc min. nota supponitur, quia illa imitabilitas est realiter ipsa Divina essentia, quæ nullam admittit realem distinctionem. Resp. dist. primum conseq. cognovit diversas

sas imitabilitates eò sensu, quo diversas accipit noster intellectus, nempè subjectivé & in se, neg. conseq. cognovit diversas, eo sensu, quo diversæ sunt, nempè purè & tantum objectivè & penes terminare diversam relationem & dependentiam ideatorum, conc. conseq. & concess. subsumpta cum conseq. sua, neg. ulterior subsumpta, quod illa multiplicitas sit rationis; terminare enim multiplicem relationem, & ex hoc habere modum relativi ad multa re ipsa habet.

144 Arg. 12. N. Manso Respectus ideales, quibus multiplicantur ideæ, dantur in intellectu Divino ante omnem creaturam; sed sunt entia rationis: ergo fiunt ab intellectu Divino. Maj. patet, quia ideæ ipsæ distinguuntur ab æterno. Min. autem supponitur, ratio autem conseq. est, quia ab æterno non potuerunt ab intellectu creato fieri. Probationes & confirmationes mitto, quia id omnes supponunt, quod probandum erat, quod nempè illi respectus sunt relationes rationis. Resp. itaque neg. min. quia illi respectus sunt relationes secundum dici, seu modus relativi, quem habet Divina essentia, ex quo relationem terminat mensuratorum, quæ ipsam possunt imitari, & hoc Deus cognoscit, neque enim dici potest quod Deus in essentia sua cognoscit relationem, quam re ipsa non habet, cum falsa sit hæc cognitio.

Hæc ergo de toto philosophico labore dicta sunto, quæ in honorem cedant Dei Omnipotentis, cujus ope & auxilio sicut laboris metam, ita æternitatis bravium detur assequi, quæ autem eo toto diximus, eò tantum collimant, ut mentem explicent B. D. prout nobis datur assequi, & injunctum est; si quid ergo aut cuique injurium, aut rectæ rationi minus consonum evasit, libens volo retractatum.

LAUS DEO.

INDEX QUÆSTIONUM, ET ARTICULOR.

QUI IN HOC QUAR. TOMO CONTINENTUR.

DISPUTATIO II.

DE ANIMA VEGETATIVA, ET SENSITIVA.

QUÆST. 1. De potentijs animę vegetativæ
Art. 1. Quid sit potentia nutritiva?
§. 1. Quibusdam præmissis probatur nostra sententia. 1
§. 2. Solvuntur argumenta. 4
Art. 2. An potentia nutritiva differat ab augmentativa?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 6
§. 2. Solvuntur argumenta. 8
Art. 3. De potentia generativa, & actu generationis.
§. 1. Quædam dubitantur de potentia generativa. 11
§. 2. Expediuntur quæ pertinent ad actum generationis. 14
Quæst. 2. De Anima sensitiva.
Art. 1. An sit, & quid sit anima sensitiva?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 22
§. 2. Solvuntur argumenta. 27
§. 3. Expenduntur quæ habet D. Martinez pro 2. sent. 32

§. 4. Reliqua expenduntur, quæ habet Tosca pro 4. sententia 37
Art. 2. An bruta ratione utantur ?
§. 1. Probatur communis sententia. 41
§. 2. Solvuntur argumenta. 46
Quæst. 3. De potentijs animæ sensitivæ in communi.
Art. 1. An potentię sensitivæ sint supra se reflexivę ? 57
Art. 2. An potentię sensitivæ sint purè passivæ ?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 60
§. 2. Solvuntur argumenta. 65
Art. 3. An detur sensus agens ?
§. 1. Expenditur difficultas de sensibus externis. 70
§. 2. De sensibus internis. 75
Art. 4. An potentię sensitivæ subjectentur in organo corporis ?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 79
§. 2. Solvuntur argumenta. 82
Quæst. 4. De specie sensibili & actu sentiendi.
Art. 1. An dentur sensibiles species ?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 86
§. 2. Solvuntur argumenta. 89
Art. 2. Quid sit species ? 93
Art. 3. Expenduntur cœtera, quæ de specie dubitantur ? 98
Art. 4. De objecto sensibili in communi.
§. 1. Quid sit & quotuplex sensibile ? 102
§. 2. An commune sensibile propriam habeat speciem? 106
§. 3. De comparatione sensibilis ad sensum. 109
Art. 5. De actu sentiendi in communi.
§. 1. An actus sentiendi sit de necessitate intuitivus ? 110
§. 2. De veritate in actu sentiendi. 113
Quæst. 5. De sensibus externis in particulari.
Art. 1. Quale sit organum visus ? 118
Art. 2. Quid sit lux & lumen ?
§. 1. Expenduntur sententię de quidditate lucis. 121
§. 2. An lumen sit in medio realiter ? 128
Art. 3. Quid sit color ?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 132
§. 2. Solvuntur argumenta. 135
Art. 4. Quodnam sit objectum formale visus ? 137

Art. 5.

Art. 5. De reliquis quatuor sensibus.
§. 1. De organo auditus, & ejus objecto. 142
§. 2. De sensu olfactus. 147
§. 3. De gustu & tactu. 151
Quæst. 6. De sensibus internis.
Art. 1. Quotuplex sit sensus internus?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 157
§. 2. Solvuntur argumenta. 160
Art. 2. Quid sit & quotuplex appetitus sensitivus? 164
Art. 3. Quid sit potentia loco motiva? 169

DISPUTATIO III.

DE ANIMA RATIONALI.

QUÆST. 1. De substantia animæ rationalis.
Art. Unicus. Quid sit, & quo modo producatur rationalis anima? 173
Quæst. 2. De intellectu agente.
Art. 1. An sit, & quid sit intellectus agens? 180
Art. 2. An intellectus agens sit alia potentia ab intellectu possibili? 184
Art. 3. Quæ sint munera intellectus agentis?
§. 1. Referuntur sententiæ. 187
§. 2. Proponitur, & probatur nostra sententia. 190
§. 3. Solvuntur argumenta. 193
Quæst. 3. De intellectu possibili.
Art. 1. An intellectus possibilis sit potentia purè passiva?
§. 1. Referuntur sententiæ. 198
§. 2. Probatur nostra sententia. 203
§. 3. Solvuntur argumenta. 210
Art. 2. Quenam sit mens B. D.

INDEX QUÆST.

§. 1. Expenduntur loca, quę in contrarium adducuntur. 217
§. 2. Expenduntur loca pro noſtra ſententia. 223
Quæſt. 4. De actu intelligendi.
Art. 1. Quid ſit intellectio?
§. 1. Referuntur ſententiæ. 227
§. 2. Proponitur & probatur noſtra ſententia. 232
§. 3. Solvuntur argumenta ex B. D. 235
§. 4. Cœtera argumenta ſolvuntur. 238
Art. 2. A quonam cauſetur intellectio? 241
Quæſt. 5. De objecto intellectus.
Art. 1. Quodnam ſit objectum intellectus noſtri? 247
Art. 2. Quodnam ſit 1. cognitum ab intellectu noſtro?
§. 1. Explicatur ſenſus controverſiæ. 251
§. 2. Probatur noſtra ſententia. 253
§. 3. Solvuntur argumenta. 259
Art. 3. An intellectus noſter cognoſcat ſingulare?
§. 1. Relatis ſent. noſtra probatur. 264
§. 2. Solvuntur argumenta. 268
Quæſt. 6. De ſpeciebus intelligibilibus.
Art. 1. An dentur ſpecies intelligibiles?
§. 1. Relatis ſent. noſtra probatur. 273
§. 2. Solvuntur argumenta 279
Art. 2. Quam cauſalitatem habeat ſpecies? 284
Quæſt. 7. De Verbo mentis, & memoria.
Art. 1. Quid ſit Verbum?
§. 1. Quibuſdam præmiſſis probatur noſtra ſent. 290
§. 2. Solvuntur argumenta. 294
Art. 2. An in omni intellectione formetur verbum? 298
Art. 3. Quomodo Verbum procedat ab intellectu?
§. 1. Relatis ſent. probatur 1. concluſio. 302
§. 2. Probatur 2. concluſio. 306
§. 3. Solvuntur argumenta. 309
Art. 4. An memoria differat ab intellectu? 313
Quæſt. 8. De voluntate.
Art. 1. Quomodo ſe habeat voluntas ad actum ſuum?
§. 1. Quid eſt voluntas, quid liberum arbitrium? 318
§. 2. Prob. concluſio B. D. 323
§. 3. Solvuntur argumenta. 328
Art. 2. Quodnam ſit objectum voluntatis?

§. 1.

§. 1. An sub eadem ratione moveatur voluntas, ac intellectus? 332
§. 2. An possit movere quod non proponitur sub ratione boni? 335
§. 3. De bono præfixo. 339
Art. 3. Undè sit libertas in voluntate?
§. 1. Quibusdam præmissis probatur nostra sent. 341
§. 2. Solvuntur argumenta. 344
Art. 4. An voluntas sit nobilior potentia?
§. 1. Relatis sent. nostra probatur. 347
§. 2. Solvuntur argumenta. 354

TRACTATUS IN METAPHYSICAM.

DISPUTATIO I.

DE ENTE SUMPTO NOMINALITER.

QUÆST. 1. De ente secundum se.
Art. 1. De divisionibus entis. 366
Art. 2. Per quid constituatur possibile?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 373
§. 2. Solvuntur argumenta. 378
Art. 3. An ens habeat conceptum perfectè præcisum?
§. 1. Referuntur sententiæ. 382
§. 2. Probatur nostra conclusio. 385
§. 3. Solvuntur argumenta. 390
§. 4. Consectaria ex dictis. 398
Art. 4. An ens sit univocum?

§. 1. Referuntur sententiæ. 402
§. 2. Probatur nostra conclusio. 407
§. 3. Solvuntur argumenta. 412
Quæst. 2. De passionibus entis.
Art. 1. An ens veras habeat passiones?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 418
§. 2. Solvuntur argumenta. 422
Art. 2. Quotuplex sit unitas, & quid addat supra ens?
§. 1. Resolvitur articulus. 424
§. 2. Solvuntur argumenta. 428
Art. 3. Quodnam sit principium radicale individuationis?
§. 1. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ. 433
§. 2. Probatur nostra sententia. 436
§. 3. Solvuntur argumenta. 440
§. 4. Solvuntur fundamenta contraria. 447
Art. 4. In quonam consistat distinctio?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 452
§. 2. Solvuntur argumenta. 457
Art. 6. Quotuplex sit distinctio, ubi de distinctione modali?
§. 1. Explicantur species distinctionis. 461
§. 2. Quid sit modus, & qualiter constitui debeat distinctio modalis? 465
§. 3. Solvuntur argumenta. 471
Art. 6. Quid sit veritas?
§. 1. Quibusdam præmissis referuntur sententiæ. 474
§. 2. Expenditur mens B. D. 477
§. 3. Probatur nostra conclusio. 482
§. 4. Solvuntur argumenta. 484
§. 5. Quid sit falsitas, & quomodo sit in re? 487
Art. 7. Quid sit bonitas?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 490
§. 2. Solvuntur argumenta. 493
Quæst. 3. De divisione entis in substantiam & accidens.
Art. 1. An substantia sit genus ad spiritualem & corpoream? 495
Art. 2. An substantia materialis habeat partes independenter à quantitate?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 498

§. 2.

§. 2. Solvuntur argumenta. 503
Art. 3. Quid sit accidens? 508
Art. 4. An inhærentia sit de quidditate accidentis? 512
Art. 5. An accidens habeat propriam existentiam? 518

DISPUTATIO II.
DE ENTE SUMPTO
PARTICIPIALITER.

QUÆST. 1. De existentia.
Art. 1. An in rebus creatis differant realiter essentia & existentia?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 524
§. 2. Solvuntur argumenta. 529
Art. 2. Quid sit existentia? 534
Art. 3. An existentia habeat effectum formalem essentię communicatum? 539
Quæst. 2. De subsistentia, suppositalitate, & personalitate.
Art. 1. explicantur ea de quibus quæritur. 542
Art. 2. An subsistentia differat realiter à natura?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 546
§. 2. Solvuntur argumenta. 548
Art. 3. An subsistentia consistat in negativo?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 552
§. 2. Solvuntur argumenta. 558
Art. 4. An subsistentia sit prior existentia? 566
Art. 5. In quonam consistat subsistentia?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 571
§. 2. Solvuntur argumenta. 574
Art. 6. Quid addat suppositum supra naturam? 579

DIS-

DISPUTATIO III.
DE ENTE RATIONIS.

QUÆST. 1. De essentia & existentia entis rationis.
Art. 1. An detur ens rationis ? 586
Art. 2. Quid sit ens rationis ?
§. 1. Referuntur sententiæ. 591
§. 2. Probatur nostra conclusio. 595
§. 3. Solvuntur argumenta. 602
Art. 3. Quotuplex sit ens rationis ?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 607
§. 2. Solvuntur argumenta. 611
Art. 4. Quomodo existat ens rationis ?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 614
§. 2. Solvuntur argumenta. 619
Quæst. 2. De causa entis rationis.
Art. 1. Qualiter ab intellectu nostro fiat ens rationis ? 625
Art. 2. An alia potentia formet ens rationis ? 631
Art. 3. An Deus formet entia rationis ?
§. 1. Relatis sententijs nostra probatur. 635
§. 2. Solvuntur argumenta. 640

FIN.

M. IDALGO
CURS.
PHILOSOPH.
T. III.
12588